






GMEINERI XAVERII

EPITOME
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
N. T.

IN USUM

PRÆLECTIONUM ACADEMICARUM.

TOMUS I.

COMPLECTENS DUAS EPOCHAS PRIORES.





MATRITI
EX TIPOGRAPHIA IBARRA.
ANNO MDCCCXXII.

Se hallará en la librería de Matute, calle de Carretas.

PRÆFATIO.

In usum prælectionum academicarum, ac proin tyronibus, non doctis hæc scripta sunt; doctis enim scribere & nolebam, & etiam nequiebam. Inde illorum tantum crisim grato animo suscipere paratus sum, qui convincentibus ostendere valebunt rationibus, me *finem* scriptionis meæ minime adsecutum fuisse.

Dabam Græcii Styrorum
Anno 1786.



CONSPECTUS CAPITUM

PROLEGOMENA.

PROLEGOMENA.

CAPUT PRIMUM

DE

HISTORIA IN GENERE, VARIISQUE EJUS SPECIEBUS.

§. 1.

Per *factum* (*hecho*) in genere philosophi intelligunt res omnes, quæ sunt, vel fiunt. Cognitio rerum, quæ sunt, vel fiunt, seu cognitio factorum ***cognitio historica*** dicitur.

§. 2. In cognitione historica aut quis solummodo seriem factorum plurium cognoscit, aut insuper *nexum*, *causas*, & *effectus* illorum perspicit. Prior cognitio historica ***vulgaris***, altera ***pragmatica***, & ***philosophica*** dicitur [1].

[1] Facta sunt res existentes. Quod existit, est objectum singulare undequaque determinatum. Objecta singularia ope sensuum cognoscimus (pr. Log) quare cognitionem historicam *vulgarem* per organa sensoria adquirimus.

§. 3. In anima nostra teste sensu intimo ideæ ita sibi succedunt, ut una alteram excipiat. Series idearum in anima nostra sibi succedentium quodamodo mensura temporis, & vitæ nostræ dici potest.[1] Dum facti existentiam ope sensuum adquirimus, nova nobis succedit idea. Hinc quo plura facta ope sensuum cognoscimus, eo longior *ceteris paribus* est vita nostra, & vice versa, quo diutius vivimus, eo plura facta ope sensuum cognoscendi habiles sumus.

[1] Series idearum in anima nostra sibi succedentium *exacta* mensura temporis esset, si omnes æquali cum reflexione ad eamdem adtenderent; at cum sensu intimo constet, eadem temporis momenta homini A., qui ad successionem idearum adtentus est, longiora videri, quam homini B., qui distractionibus impeditus seriem idearum sibi succedentium haud animadvertit, factum est, ut motus corporum cœlestium pro temporis mensura adsumptus sit.

§. 4. Mundus hic aspectabilis vel *physice*, vel *moraliter* spectari potest. Mundum physicum corpora ad triplex naturæ regnum animale, vegetabile, & minerale pertinentia, & mundum moralem

actiones hominum morales constituunt. Mundus uterque tum physicus, tum moralis est *mutabilis*, hinc ab eo momento, quo existentiam accepit, varia in eo contigere facta, tum physica, tum moralia. Primi homines hæc facta suis sensibus perceperunt, & inde sibi compararunt cognitionem historicam; at successores primorum hominum hæc eadem facta coram intuiti non sunt. Eodem modo generatio tertia non est coram intuita facta, quæ tempore secundæ generationis contigere, & ita porro. Præterea cum globus terraqueus vastus sit, homines in una ejus parte existentes sensibus suis percipere non possunt facta, quæ alia ejus plaga contingunt. Hinc autem consequitur, cognitionem historicam ope sensuum neminem adquirere posse, nisi qui eodem *tempore*, & eodem in *loco*, quo factum contingit, existit.

§. 5. Inde jam adparet, nos eo quod vita nostra brevis sit, ope sensuum paucorum factorum cognitionem adquirere posse. Ut jam cognitionem nostram historicam augere valeamus, opus est testimonio aliorum hominum ante nos, aut tempore nostro in alio loco existentium præbere assensum, dum nobis oretenus, vel scriptotenus narrant, se varia facta sensibus suis percepisse. Inde divisio cognitionis historicæ intelligitur; siquidem, vel nobis eam comparamus ope *sensuum*, vel ope *testimonii*. Prior *experiencia*, altera *fides philosophica*, vel κατ' ἐξοχιν cognitio historica dicitur.

§. 6. Series factorum debito se ordine insequentium, quorum cognitionem fide philosophica adquirimus, eam scientiam, aut artem constituit, quam *historiam* adpellamus (ab ισημι, ἱςωρ *scire videre*)[1].

1. Quantum historia generatim sumpta ad usus vitæ humanæ, felicitatemque conferat, haud opus est multis ostendere, cum jam tot virorum doctorum encomiis decorata sit; siquidem Polybius eam adpellat φιλοσοφιαν εκ παραδειγματων Xenophon διδασκαλιαν αριστην, Dionysius Halicarnasseus αρχην φρονησεως και σοφιας, Cicero: *testem temporum*, *nunciam vetustatis*, *vitam memoriæ*, *lucem veritatis*, *& vitæ magistram* (L. 2 de orat. cap. 9).

§. 7. Ens ratione, & intellectu præditum ex *fine* agat oportet; hinc & historicæ cognitioni, quam nobis aliorum testimonio comparamus, finis præfigendus est. Si id facimus, per quod status noster externus, & internus perficitur, fini nostro, & totius universi convenienter agimus. Hinc autem adparet, ex immenso fere factorum numero, quæ in mundo tum physico, tum morali ab initio ejus existentiæ ad nostra usque tempora contigere, in historia illa tantum recensenda esse, quorum cognitio nos perficere apta est, seu ex quibus utilitatem aliquam aut ad vitam physicam, aut moralem spectantem percipere possumus. Ergo non facta quælibet minutissi-

ma, sed insigniora, quæ influxum ad nostra tempora habent notatu digna sunt, neque enim memoria hominum, utpote tenuis, minutissima quæque facta retinere valet.

§. 8. Quia diversitas cognitionis historicæ a diversitate factorum pendet, tot sunt possibiles historiæ divisiones, quot sunt species diversæ factorum. Facta, & mutationes, quæ jam contigere, aut contingunt, vel ad mundum physicum vel moralem pertinent. Cum mundus physicus hic loci non sit nostri fori[1], eo misso solum mundum moralem considerabimus.

1. Mundus physicus ex substantiis materialibus componitur. Facta & mutationes quæ in substantiis materialibus, id est, in regno naturæ animali, vegetabili, & minerali contigerant, *historiam naturalem* adpellamus.

§. 9. Actiones hominum morales mundum constituunt moralem. Homines aut in vita segrege, aut in societate existentes considerare possumus. Societates, uti ex jure naturali constat, aut sunt simplices, aut compositæ. Homo in præsenti naturæ statu se conservare, & perficere non poterat nisi in societate, in qua admisso communi imperio unitis viribus, & voluntatibus ad obtinendam securitatem tum internam tum externam tenditur, eo quod nec in vita segrege, nec in societate anarchica se contra aliorum insultus satis defendere poterat. Ita juris publici universalis doctores originem *philosophicam* societatum civilium exponunt. At habent civitates quoque suam originem *historicam*, illa jam historiæ species quæ originem, incrementa, vicissitudines, & interitum civitatum enarrat, historia *civilis*, seu profana dicitur, eritque pragmatica, si simul harum rerum causas evolvit, & effectus.

§. 10. Si porro homines qua creaturas rationales relate ad creatorem spectamus, cui cultum ac religionem debent, possumus concipere societatem in determinato Deum colendi modo, seu in religione consentientium, quam societatem *ecclesiam* adpellamus. Series itaque factorum, & eventuum notabiliorum in quadam ecclesia eorumque nexus *historia ecclesiastica* adpellatur[1].

1. Homines varias artes, ac scientias ad promovendam felicitatem invenerant, inventasque perficere studuerant. Enarratio originis, incrementi, variarumque vicissitudinum, quas scientiæ subiere, *historia litteraria* dicitur.

§. 11. Quia ecclesia est societas plurium in religione, seu cultu Dei consentientium, tot sunt possibiles ecclesiæ quot sunt possibiles determinati Deum colendi modi. Et cum historia ecclesiastica sit enarratio factorum notabiliorum in quadam ecclesia, eorumque nexus, etiam tot sunt possibiles historiæ ecclesiasticæ, quot sunt possibiles ecclesiæ. Modum, quo Deus quondam a po-

pulo judaico coli voluit, in sacra scriptura veteris testamenti invenimus. Illi, qui Deum colebant modo in veteri testamento determinato, ecclesiam constituebant judaicam, seu mosaicam, series jam eventuum notabiliorum in ecclesia judaica, eorumque nexus, historia ecclesiastica *veteris testamenti* dicitur; at postquam Christus in mundum venit, ecclesiam judaicam abrogavit, illique aliam Deum colendi societatem substituit, quam ecclesiam christianam adpellamus Enarratio eventuum in ecclesia Christi *notabiliorum* [1], eorumque *nexus* [2] historia ecclesiastica *novi testamenti* dicitur.

1. Tot a Christo nato ad nostra usque tempora in ecclesia christiana contigerant eventus, ut omnes intra unius anni academici spatium enarrari nequeant, nec etiam cujusdam esset utilitatis minutissimis quibusvis inhærere factis (§. 7.) hinc *notabiliores* ex iis feligendi. Illi vero præ ceteris sunt notabiliores, qui cum ceteris studii theologici partibus nexum habent, iisque aut demonstrandis, aut illustrandis inserviunt.

2. Eventus in ecclesia Christi notabiliores ceteris scientiis theologicis demonstrandis, aut illustrandis haud inservirent, nisi simul eorum causæ, effectus, & nexus intelligantur. Inde ratio adparet, cur historia ecclesiastica *pragmatice* tractanda sit (§. 2.)

§. 12. Historia ecclesiastica novi testamenti si eventus memorabiles universe comprehendit, *universalis*, at certo ejusmodi eventuum generi, periodo temporis, aut loco alligata *particularis* nominatur.

CAPUT SECUNDUM

DE

METHODO HISTORIAM ECCLESIASTICAM PERTRACTANDI.

§. 13. In evolvenda methodo historiam ecclesiasticam pertractandi, tum *stylum*, tum ordinem, ac *digestionem* factorum enarrandorum examinare, ac determinare oportet. Et imprimis ratione styli via duplici incedi potest; vel enim integri contextus scriptorum primævorum, ex quibus facta enarranda haurienda sunt, exscribuntur ita, ut historicus tantum interloquatur, & priora sequentibus connectat [1], vel sola substantia excerpitur, ceterum ipsa historia stylo æquali, & continuo narratur [2]. Prior via ideo magis secura quibusdam videtur, quia idem prope fit, quod in processu judiciali, producuntur scripta, de quibus lector per se ipsum judicat: verum qui hac methodo utitur, longus esse cogitur, &

frequenter eadem repetere, cum enim sæpe idem factum a diversis authoribus cum diversis circunstantiis narretur, omnia exescribere oportet, ut lector plene erudiatur: neque etiam ad hujus methodi commendationem quidquam facit, quod ita lectoribus libera relinquatur judicandi facultas, semper enim factorum scribendorum, aut textuum extrahendorum electio in potestate historici est, qui sæpe facta præjudiciis suis contraria silet [3].

1. Hanc viam ingressi sunt centuriatores Magdeburgici, & Baronius.
2. Hanc methodum, qua historia scribitur stylo æquali, & non *verba* sed *sensus* antiquorum referuntur, tenuere Godavius, Maimburgus, & historicorum tam antiquorum, quam modernorum plerique.
3. Mediam inter utramque viam ingressus est Claudius Fleurius. qui æquali stylo utitur, servatis tamen, quantum fieri potuit. antiquorum verbis ex græco, aut latino sermone in ejus linguam patriam fideliter translatis.

§. 14. Si in ente A. continetur ratio sufficiens, cur in ente B. mutationes contingant, tum illud in hoc *influere* dicitur. Mutationes, quæ in ecclesia Christi contigerant, aut habent rationem sui sufficientem in societate ecclesiastica qua *tali*, aut in societatibus ab ea distinctis. Hinc etiam facta, quæ in societatibus ab ecclesia distinctis contigerant, in ecclesiam influxum quandoque habent [1].

1. Inde intelligitur, qualis historiæ civilis in historiam ecclesiasticam, & vice versa influxus esse queat.

§. 15. Facta, quæ in ecclesia Christi ob influxum aliarum in eam societatum contigerant, facta *externa*, ea vero quæ rationem sui in societate ecclesiastica qua tali habent, facta *interna* dicuntur.

§. 16. Facta ecclesiæ externa ita comparata esse possunt, ut ulteriorem ejus propagationem aut promoveant, aut impediant. Priori in casu facta *prospera*, in posteriori *adversa* dicuntur. Adversa, quæ ecclesia sustinenda habuit, passa est ab hostibus suis, iisque tum *publicis* tum *privatis*. Primi generis fuerant Principes gentiles, & magistratus, qui suis conatibus, ac edictis ecclesiam nascentem tollere adlaborabant, secundi generis illos dico, qui & diatribis, & calumniosis scriptis veritatem religionis christianæ obscurare adtentarunt. Inde ratio sufficiens concipitur dividendi facta ecclesiæ adversa in *publica* & *privata*.

§. 17. Facta ecclesiæ interna illi exhibent characteres, quibus societas christiana ab aliis communitatibus secernitur. Cum ecclesia christiana sit societas hominum, qui pro fine sociali habent mo-

dum colendi Deum a Christo determinatum, hic autem modus determinatus Deum colendi consistat in dogmatibus fidei, & morum, in disciplina externa, & ceremoniis distinctis, sequitur, dogmata fidei, & morum, nec non disciplinam externam eos esse characteres, quibus ecclesia christiana ab aliis societatibus distinguitur[1]. Spectanda etiam est *consociationis ratio*, quæ inter varios cœtus ecclesiæ christianæ intercedit, hinc ad facta interna quoque pertinet historia hæresum, schismatum, conciliorum, colloquiorum religionis causa institutorum &c.

1. Historiam dogmatum fidei, & morum, disciplinæ externæ, ac ceremoniarum *historiam religionis* dicimus. Quia vero religio in *theoreticam* & *practicam* dividi potest, solent aliqui facta interna ita dividere, ut pars religionis theoreticæ contineat historiam dogmatum, hæresum, & controversiarum theologicarum, pars autem religionis practica comprehendat historiam divini cultus publici, vitæ, & morum christianorum, ac res gestas hominum præsertim illustrium.

§. 18. *Epocha* (ἐποχή ab ἐπέχω contineo, cohibeo) apud philosophos idem est, ac quædam mentis remora, vel cohibitio assensionis. Apud astronomos autem est situs syderum, & gradus planetarum in zodiaco. Chronologis demum, ac historicis est eventus aliquis *memorabilis*, adeo insignes producens mutationes, ut ab eo tanquam nota characteristica annorum, aut seculorum successio ordinetur, & futuri temporis exordium sumatur.

§. 19. Ordo, ac digestio eventuum enarrandorum, in quo methodus historias tractandi posita est, triplex concipi potest, vel enim *primo annorum*, vel *secundo seculorum* servato ordine gesta chronologice recenseri, vel demum *tertio* secula in certas *epochas* distribui, & facta, quæ ab una epocha ad alteram contigerant, pragmatice enarrari possunt.

§. 20. Criterium cognoscendi, quænam ex adductis tribus methodis optima sit, & in historia docenda adhiberi debeat, hæc est propositio: *illa methodus historiam ecclesiasticam pertractandi ceteris præferenda est, quæ maxime memoriam adjuvat*; ut quis enim insignis historicus haberi queat, habitu instructus esse debet facta ecclesiæ interna, & externa, eorumque nexum, & causas enarrandi, id est, instructus esse debet facilitate ideas eventuum in ecclesia Christi ex lectione, aut narratione adquisitas pro libitu reproducendi, at facultatem ideas habitas reproducendi memoriam dicimus (psycholog).

§. 21. Qui chronologice servato annorum ordine facta recensent promiscue ab uno anno ad alterum procedendo, factum, quod in anno A. cœpit quidem, at per plures annos B. C. &c. continuatum est, absoluta historia anni A. abrumpere, ad historiam anni B.

transire, ibidem facta alia narrare, & dein factum anni A. abruptum continuare coguntur[1]. Eodem modo, cum facta quædam circa finem cujusdam seculi cœperant, & sequenti seculo continuata sint, illi quoque, qui separando secula incedunt per sectiones, atque capita, factum, quod in seculo A. cœperat, finita hujus seculi historia abrumpere, ad seculum sequens progredi, ordinem capitum servare, ac factum seculi A. interruptum tum primo continuare coguntur, dum ad caput ei destinatum veniunt; at hæc omnia memoriam discentium obruunt, quæ incommoda cum evitentur, si secula in epochas dividuntur, jam liquet, methodum hanc ceteris præferendam esse.

1. Libri historici, in quibus facta recensentur promiscue servato solo annorum ordine, *annales* dicuntur. Est annalibus quoque sua utilitas, præsertim dum *interest* scire annum, quo factum quoddam contigit, at quod contendo istud est: libros ejusmodi discentibus parum adcommodatos esse; nam si facta sæpissime interrumpuntur valde arida erit narratio, & in partes minutissimas dissecta, fietque, ut facta non cohærentia brevi rursus memoria excidant; sæpe necesse erit subito ex oriente in occidentem, Roma Antiochiam commigrare, jam inceptum in Italia concilium abrumpere & ad aliud converti in Africa celebrandum. jam una linea erit inserenda ad notandam Pontificis, vel Imperatoris mortem, & hæc omnia sine nexu.

§. 22. Hac de causa secula a Christi navitate ad nostram usque ætatem elapsa in quatuor dividimus epochas, quarum prima a Christo Jesu ad Constantinum M.[1], altera a Constantino M. ad Carolum M., tertia a Carolo M. ad reformationem Lutheri, seu concilium Tridentinum[2], quarta a concilio Tridentino ad nostra usque tempora se exporrigit. Et hæ quidem quatuor periodi præeunte Moshemio ita sunt pertractandæ, ut in qualibet imprimis exponantur facta ecclesiæ externa tum prospera, tum adversa, dein transitur ad interna.

1. Quoniam a Christo ad mortem Apostolorum quidam eventus contigerant memorabiles ceteris epochis haud communes. solent quidam primam epocham dupliciter considerare, nimirum a Christo ad mortem Apostolorum, & inde ad Constantinum M.

2. Quia epocha tertia a Carolo M. ad concilium Tridentinum ceteris amplior est, in duas dividitur sectiones, quarum prima usque ad Papam Gregorium VII se exporrigit.

§. 23. De conjunctione chronologiæ cum historia ecclesiastica quædam monenda sunt. Arctum inter utramque nexum intercedere, & chronologiam historiæ ecclesiasticæ adminiculum esse nemo ambigit quidem, at vero & hic illud Horatii locum habet: *Est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum.* Is officio boni historici jam functus est, qui annum, diemve solummodo tunc ponit, dum de iis ipsi constat,

eosque recensere cujusdam est utilitatis [1], quod si verò annus certo non constat, aut etsi constat, nulla tamen utilitas ex ejus notione redundaret, non perspicio rationem, cur siccis ejusmodi annorun recensionibus tyronum memoria torquenda sit, qui historiæ ecclesiasticæ eum præcipue in finem se impendunt, ut ipsis ad ceteras scientias theologicas viam pandat [2].

1. In exemplo: utile est memoria tenere annum normalem 1624 in instrumento pacis Osnabrugensis statutum, quoniam juxta illum varia statum imperii romano germanici tum politicum, tum ecclesiasticum concernentia ordinanda erant; utile est itidem recensere annum 1618, quo motus bohemici sunt exorti, quoniam annus iste justa J. P. O. pro termino restitutionis ex capite amnestiæ ponitus est. Hæc iis scitu necessaria sunt, qui juri ecclesiastico publico particulari Germaniæ operam dant, at qualem, quæso, theologiæ candidati inde caperent utilitatem, si operose cujuslibet Pontificis anni imprimis duobus seculis determinarentur, cum de illorum gestis ferme nihil constet?

2. "Modernorum eruditorum æmulatione factum, ut hodie in chronologia ea „scientia, ac certitudo requiratur, cui comparandæ Noemi vita, ultra nongentos „annos extensa, non sufficiat. Opus esset summa cura ad calculos vocare omnes „eclipses, quarum notitiam habemus, eisque debitum locum in periodo Julia„na assignare; oporteret omnium nationum epochas scire, & annorum men„siumque diversitatem, qua a nobis differunt, eosque cum nostris conferre; ne„cesse esset omnium antiquorum marmorum, & numerum inscriptiones exami„nare, fastos consulares corrigere, omnes signatos dies, quos in historicis in„venimus, inter se conferre, & ad particularia descendendo etiam chronica, „singulosque titulos inspicere. Jam vero, amabo! quando inquirendi erit finis? „Quis me post hæc omnia nullum irrepsisse errorem, securum præstabit? Potest „denique tam operosa inquisitio probari in factis, quorum tempus adcurate sci„re multum interest, sæpissime autem labor iste omni caret utilitate. Quanta „litigia de sensu unius inscriptionis in lapide, vel in nummo? Quanto molimine „inquiritur in ætatem alicujus Imperatoris, & diem suæ mortis certissimam, „aut in alia hujusmodi. Quibus tandem exploratis aliud concluditur nihil, nisi „quod Baronius, & Scaliger in hoc puncto fuerint hallucinati. An non hoc est, „quod dicit S. Apostolus Paulus (1. ad Tim. cap. 6. v. 4.) prurire in quæs„tiones, quæ æmulationes, & rixas pariunt, præterea autem nihil prosunt? „*Facta* facilius memoria retinentur, quam factorum *tempus*, sæpe de nobismet „ipsis meminimus, hoc nos fecisse, vel dixisse, in tali loco, cum tali persona, „hac anni tempestate, ipsius tamen anni, vel diei non recordamur. Historico„rum plurimi, imprimis sacri hanc methodum tenuere, annosque & dies nonnisi „exigente necessitate adposuere." (Claudius Fleurius Diss. 1, Hist. Eccles.)

CAPUT TERTIUM

DE

CRITERIO VERITATIS HISTORICÆ.

§. 24. Factum, quod per fidem philosophicam cognoscimus, est propositio ab alio nobis oretenus, vel scriptotenus communicata; est proin fides philosophica assensus propositioni ob testimonium alterius datus. Si vero fides est assensus, quem propositioni cuidam

præbemus ob testimonium alterius, perspicuum est, rationem, cur in fide quid pro vero habemus, esse authoritatem personæ narrantis.

§. 25. Cum vero personæ narrantes ob defectum sufficientis *dexteritatis*, seu scientiæ nos fallere *possint*, & ex defectu *sinceritatis*, seu voluntatis nos quandoque fallere *velint*, tum tantum testimonio narrantis adquiescere possumus, si nulla adest ratio sufficiens aut de ejus dexteritate, aut sinceritate dubitandi. Hinc supremus fidei historiæ gradus iis tribuendus est, qui rem necessario sciverunt, & necessario vere dixerunt. Gradus alter iis dandus, quos constat, rem non potuisse non scire, & vere voluisse dicere. In tertio loco illi locandi, de quibus constat, rei cognoscendæ facultatem, diligentiamque, & verum dicendi voluntatem habuisse.

§. 26. Personæ factum quodam narrantes *testes* dicuntur, factorum vero narrationes, seu relationes *fontis historiæ* nominari solent. In omni itaque fide historica ad sequentes circumstantias est adtendendum: α ad *testem*, β ad *rem* ipsam, quæ refertur, γ ad *modum* narrandi.

§. 27. Testium non eadem est authoritas, adeoque ad eorum diversitatem adtendi debet. Conspicitur vero illa diversitas primo ratione *sensuum*, secundo ratione *intellectus*, tertio ratione *voluntatis*. Ratione sensuum vel sunt oculati, qui factum coram intuiti sunt, vel auriti, qui, quidpiam factum esse, ab aliis acceperunt. Atque hi testes auriti vel sunt coævi, id est, eo tempore vixerunt, quo factum aliquod evenit, vel sunt non—coævi, seu recentiores, qui quidquid narrant, a coævis acceperunt. Ratione intellectus alii sunt testes prudentes, & intelligentes, judicandique dote instructi, alii sunt simplices, & vecordes. Ratione denique voluntatis vel sunt neutrarum partium, vel uni parti magis addicti.

§. 28. In regula testis oculatus aurito præferendus est; nam testis oculatus est testis coævus, qui *ceteris paribus* [1] pluris faciendus, quam non—coævus, & ad fontes primi ordinis refertur (Baumeister Inst. philos. ration: p. m. 173).

1. Dixi: *ceteris paribus*; quoniam fieri potest, „immo quandoque contingit, „authorem haud synchronum historiam exarare seriis monumentis, rationibus-„que innixum, omnique maturitate, ac prudentia, secus vero contempora-„neum, utpote negligentem, rerumque inscium, „vel etiam adsentatione ali-„qua, aut proprii commodi fœnore affectum." (Paul. Jos. a Riegger Inst. Jurisp. Eccl. Part. prima).

§. 29. Hinc propterea fit, nimis fidendum non esse iis, quæ

scriptores vel absolute, vel ferme contemporanei silentio prætereunt [1].

1. Clarius regula hæc ita enunciari potest: si æquales scriptores de re quadam silent, quam ob claritatem ignorare non poterant, quam silentio præterire scopo illorum contradixisset, & quam commemorandi graves, nullæ silendi aptæ causæ fuerant, ea pro commentitia habenda. Sed hæ regula non calumniose urgenda est; *contingere siquidem potest, ut auctor vel tempore remotior selecta quædam monumenta perlegerit, in secretis, cum res evenerunt, habita, seu etiam scriptores synchronos, vel fere synchronos inviserit, quorum opera mox evanuerunt* (Mabillon de stud. monast. P. 2. cap. 8).

§. 30. Qui in materia historica nil aliud admittere vellet, nisi quod ex testibus immediatis hausit, is notitiam suam in proprium damnum coarctare deberet, nec enim otium nobis, aut potestas semper immediate fidei testes consulere, unde cum rari sint testes primi ordinis, posteriores omnimodam fidem habent, qui coævos, a quibus sua acceperunt allegant [1].

1. „Si author gravis scriptores se antiquiores nominat, unde sua extraxit, fidem „meretur" (Claudius Fleurii Diss. prima in Hist. Eccles.) Hujus tamen regulæ usum sequenti cautela munivit Mabillonius loc. cit. *summopere cavendum est, ne a nonnullis supposititiis nostræ hujus tempestatis auctoribus decipiamur; tametsi contemporaneorum auctorum nomina referant.* Hujus generis recenset loc. cit. Mabillonius chronica *Falsi*, *Maximi*, *Lucii Dexteri*, *Luitprandi*, item historicas *Manetonis*, *Belosi*, & alias ab *Annio Viterbiensi*, & id genus aliis impostoribus confictas. Quomodo autem cavere nobis possimus, critica docet, de qua nonnulla infra.

§. 31. Ex eo, quod fonti secundi ordinis tum solum fides habeatur, dum constat, eum ex primi ordinis fonte rem, quam narrat, hausisse, & fideliter expressisse, sequitur: veritatem historicæ cognitionis a copia scriptorum haudquaquam dependere, siquidem facto historico non ideo major certitudo accedit, quod in libris plurimorum auctorum recentiorum, quorum alter alterius relata descripsit, inveniatur, sed omnes simul sumpti non majoris sunt ponderis, quam primus, ex quo hauserunt [1].

1. *Quamquam omnes doctores, qui hodie luce fruuntur, in hanc sententiam conspirarent, S. Virginem 75 annis vixisse, ideo non tamen hæc opinio magis vera, vel probabilis evaderet, quia in antiquitate non fundatur, & veritas facti ratiocinando non invenitur. Interim cum hominis certitudinem avent, quod scriptor primus divinando, & dubitando protulit, dicens: Forte ita res contigit, vel, magis pium est hoc credere, quam alterum, secundus dixit, esse verosimile, tertius rem ut certam pronunciavit, priorum duorum testimonium adducens, subsecuta est credentium turba; quicunque deinde in rei veritatem profundius perspicere, & in fontes inquirere vult, novator audit, & temeritatis incusatur — — — vera pietas veritatis amans est.* (Claud. Fleurii. Diss. I. in Hist. Eccles.)

§. 32. Hac etiam de causa non multum insistendum est innumeris propemodum narratiunculis, quas plerique recentiorum con-

gerunt in descriptione vitæ quorumdam sanctorum [1]. (Paul. Jos. a Riegger Inst. Jurispr. Eccles. Part. 1).

1. *Vehementer hæc innuens angor, dolenterque addere compellor, longe adcuratiores fuisse profanos authores ethnicorum vitas describendo, ac fuerint quamplures Christi fidelium in descriptione vitæ sanctorum, quod etiam adseverare nullatenus metuit Melchior Canus de Diogene Laertio philosophorum vitas recensente, & de Suetonio super duodecim cæsarum gestis. Et sane mirum est, quantum credulitate, vulgique simplicitate nonnulli abutebantur, aliquot sanctorum acta enarrare præsumentes, quorum corpora ex cryptis fuere extracta, uti S. Ovidii, & S. Felicissimi, qui enim fieri potest, ut horum sanctorum gesta a prudenti lectore adprobentur, cum vel propria ipsorum nomina usque modo nos lateant?* (Mabillon. de stud. monast. C. 8).

§. 33. Ratione dexteritatis plus valet testimonium viri prudentis, & judicandi maturitate gaudentis, quam hominis simplicis, & rudis, si res narratur, quæ adtentionem aliquam, judiciumque requirit [1]. Cum vero facta narrantur, quæ nonnisi usum sensuum, nec multam adeo adtentionem requirunt; testimonium hominis plebeji, & rudis eamdem meretur fidem, quam eruditi cujusdam viri, quinimmo nonnunquam majorem, si scilicet & affectus suspicio adsit, & partium studium metuitur [2].

1. Si narratur res miraculosa, vel recensetur peculiaris aliqua, & paradoxa viri eruditi opinio, tunc tutius credes testi, cujus dexteritas, & judicii ακρίβεια tibi jam perspecta est, quam homini simplici qui ea cum adtentione, qua debebat, naturæ vires, ac phænomena, opinionemque viri alicujus eruditi neutiquam penetrasse præsumitur.

2. Quin etiam quia homo eruditus, & prudens, perspectis narrationis consequentiis, veritatem sæpe reticet, in pluribus casibus homini simplici, facti consecutiones nescienti, adeoque factum fideliter narranti, tutius creditur.

§. 34. Ratione sinceritatis non mediocre vere dicendi voluntatis argumentum est quædam in scribendo diligentia, cum narrationis formulis certa ab incertis disjunguntur. Hæc diligentia in Eusebio agnoscitur. Eadem vere dicendi voluntas ei tribuenda est, qui testem suum adpellat, & illius scriptionem excitat, etsi illa forte interdum perierit, aut lateat [1]. (Ferd. Stoger Introd. in Hist. eccles. sect. 2. §. 8).

1. Huic regulæ Mabillonius de stud. monast. cap. 8. sapienter addit sequentia: *Non fit absolute proscribendus author aliquis ob aliquas hallucinationes, vel passionis defectus, ob styli asperitatem, vel alium quemdam naturalem defectum, dummodo sincerus, solersque in reliquis reperiatur.* Argumento sit Josephus hebræus, qui egregios inter historicos numeratur, quamvis identidem calamo inter scribendum cespitaverit, et Herodotus Halicarnassæus Ciceroni parens historiæ, & historicorum princeps, licet in ipso quamplurima commentitia inveniri testetur. *Quid obstat* (inquit Photius bibl. cap. 97.) *quæ utiliora videntur, seligere, ceteris posthabitis?*

§. 35. De illorum sinceritate minime est dubitandum, qui de

facto plane illustri, quod publice coram magna hominum multitudine contigit, eo tempore, ac loco scripserunt, quo multorum adhuc memoriæ inhæserat, si hos, ut eorum mendacio contradicerent, graves, ut silerent, nullæ rationes impulissent [1].

1. Evangelistæ de Christo narrant ejusmodi gesta, quæ non clam, sed coram magna multitudine hominum contigerant. Nonne ex tanta copia eos aliqui mendacii arguissent, si hæc miracula confinxissent? At nulla fide illi sunt digni qui narrant: Quod Camellus noctu Mahomedem allocutus fuerit, quoniam facile est fingere, *noctu*, & *clam* aliquid contigisse.

§. 36. Quam vere quis dixerit, plurimum adjuvat inquirere, quam graves vere dicendi habuerit causas, & quam parum fuerit impedimentorum, quo minus vere diceret. Plerique hominum propria sua commoda promovere, & mala declinare student. Qui itaque ex testimonio dato non tantum nullum commodum, aut lucrum sperandum se potius mala gravia timenda habet, fide dignus est [1].

1. Evangelistæ, & Apostoli sciverant Christum judæis scandalum, & gentilibus stultitiam esse, nihilque nisi supplicia & mortem ob testimonium de eo datum expectare poterant. An non merito illum hominum stultissimum diceres, qui ob eam unice causam mendacia spargeret, ut tormentis, & morte affici queat?

§. 37. *Gentis* [1] apud quam scriptor degit, & *temporis* [2], quo scripsit, animadversio multum etiam valet in ordine ad voluntatem dicendi verum. In quibusdam regnis ingenua scribendi libertas salva est, in aliis opprimitur; in alio regno assentationi *præmium* [3], veritati odium, & *pœna* est proposita [4]. Qui ob veritatis testimonium aut præmium expectandum habent, aut saltem sensa animi impune exponere concessum est; fideles in narrando esse consueverunt, quoniam dicendi verum nullum iis obstabat impedimentum; contra iis in locis, ubi veritati odium, & pœna proposita est, vel maxima eam dicendi impedimenta se offerunt.

1. Natali Alexandro in *Gallia* degenti de juribus Principum circa sacra talia scribere impune licuit, quæ illo tempore ne quidem in *Germania*, multo minus in *Italia* impune scribi potuissent; nam illius historiam ecclesiasticam Innocentius XI. in indicem librorum primi ordinis prohibitorum referri jussit, at ipse sub potenti Regis sui clientela tutus erat. Liberavit tamen opus hoc e catalogo prohibitorum Benedictus XIII.

2. In uno eodemque regno hoc, illove tempore illud ipsum impune scribere licet, quod alio tempore non licuisset. Quæ suo tempore scripsit in Gallia Launojus, in Germania catholica vix scribere licuisset; at hodie licet.

3. Scriptores curiæ romanæ assentatores quandoque episcopatus, aut cardinalitium pileum præmium laboris sui tulisse, historia nos docet.

4. Iis in provinciis, in quibus terribile inquisitionis tribunal viguit, veritati rogus præparatus erat.

§. 38. Ut constet, num testis studio partium sit occupatus, & vel amori, an odio aliquid det, adtendere oportet ad plures περιστάσεις, ad patriam scilicet, religionem, sectam, familiam &c. Quæ de adversa familia cum laude memorantur, falsi suspicione vix unquam laborant [1], nisi fors scriptor ex adversarii aliqua laude majorem familiæ suæ gloriam, & utilitatem tanquam præmium expectet. Maxime vero ejusmodi testibus auscultandum est, qui adversariis id in vitio ponunt, quod laudandum erat [2]. Demum si scriptor quidam nullam prætermittit occasionem adversarium suum vellicandi, factum vero adversario ignominiosum, quod ipso vivente contigisse fertur, quodque, si reipsa contigisset, eum latere non poterat, attamen silentio præterit, de veritate ejusmodi facti merito dubitari potest [3], at qui adversæ familiæ aliquid adscribit, quod probare nequit, fidem nullam meretur [4].

1. Quis non adhibebit fidem Juliano Imp., cum christianorum mutuæ charitatis meminit?

2. Quis non inde concludet, primos christianos in religione profitenda fuisse constantes, ac intrepidos, quia Plinius in Ep. ad Trajanum ait. „Nec enim „mihi videbatur dubium, quidquid id esset, quod faterentur, saltem *pertinaciam*, & *obstinationem inflexibilem* impunitam esse non debere"? Quis dubitabit, tempore Trajani religionem Christi late jam propagatam fuisse, si in eadem epistola Plinii legit: *Rem consultatione dignam visam ob incrementum eorum numerum; nam plurimi omnis ætatis, sexus, & conditionis periclitantur. Non solum urbes, sed & oppida, & agros hæc superstitio infecit?*

3. Photius romanæ sedi infensus, & ævi sui vir doctissimus, nullam cavillandi ecclesiam romanam occasionem prætermittens, eidem tamen non objicit, inter Leonem IV. & Benedictum III. Joannam Papissam romanam ecclesiam gubernasse, & in publica supplicatione partus doloribus obrutam puerperam factam fuisse.

4. Celsus affirmat, per christianos filios a parentibus — —alienari, quem Origenes confutat, quod nullus possit in medium adducere.

§. 39. Ad *rem* ipsam, quæ narratur, & ad *modum* narrandi quoque adtendendum esse diximus (§. 26.), & quidem ratione facti, sive rei narratæ hæ cautiones observandæ sunt: α si quod factum narratur, in quo *circumstantiæ* occurrunt sibi invicem *repugnantes*, tum nulla adest fides historica [1] β si factum insolitum, mirabile narratur, unicus testis non adeo multum fidei habet, potuit enim, quod sæpissime fit, imaginatione decipi, cum vero eamdem rem mirabilem, insolitamque plures, probatæ ceteroquin fidei viri iisdem sub circumstantiis referunt, aut jurejurando quoque confirmant, multo probabilius est, revera id, quod narratur, contigisse [2]. (*Frid. Christ. Baumeister Inst. philos. ration.*)

1. Quoties enim aut *ipsa facta*, quæ narrantur, aut etiam unius facti *circumstantiæ* sibi contradicunt, tum impossibilia adferuntur. Cum vero omne factum debeat esse possibile, veritas regulæ intelligitur. Eusebius Philostratum refu-

tans ei oggerit: quod jactet Apolonium virum divinum, ex se rerum omnium conscium, & tamen magistros nominet, a quibus in qualibet disciplina eruditus fuerit, narretque, ad Indos, & Ægyptios fuisse profectum, ut scientias sibi *ignotas* ab iis mendicaret, atque in illis itineribus interpretum ope indiguisse, illum ipsum, qui non modo omnium linguas, sed avium quoque caluisset. Simoni de Gitton homini samaritano, viventi adhuc, & mago Romæ locatam fuisse statuam, a ratione *loci*, & *morum* abhorret, quia juxta Claudii edictum nemini sine senatus consensu statuam ponere licuit.

2. *Possumus, & debemus inquirere: an miracula certis argumentis sint probata, ne contra Deum falsum testimonium dicamus, dum ipsi miracula, quæ non patravit, attribuimus;* —— —— —— *sunt, qui nullum miraculum credere audent, ne simplicium numero accenseantur* —— —— —— *Boni ergo Christiani est miraculorum existentiam sine repugnantia credere; quæstio tantum de facti particularis probationibus moveri debet. Quæ prodigia in sacra scriptura referuntur, authoritatis omni exceptione majoris sunt, quæ autem a viris gravitate conspicuis referuntur, pro referentis authoritate probabilitatis gradus admittunt.* (Claudius Fleuri Diss. I in Hist. Eccles. §. 5).

§. 40. Factum non tunc solum tanquam falsum rejiciendum est, si circumstantiæ *concomitantes* contradictionen involvunt, sed etiam cum *antecedentibus*, *&* *consequentibus* conferendum est. Si antecedentia facto repugnat, illud non evenisse [1], si in iis occasiones & causæ ejus latent, tum illud fieri potuisse judicetur [2]. Si consequentia facto repugnant, falsum esse [3], secus id fieri potuisse statuendum [4].

1. Si firma ratione demonstraretur, totam Nazareth a Romanis fuisse vastatam, Nazarethanæ domus translatio incredibilis esset.

2. Tanta fuit Christi beneficentia, tanta miraculorum claritas, ut Abgarum ægrotantem illius opem implore *potuisse* fatendum sit.

3. Constantini donationem, si alia abessent, tranquilla filiorum ejus possessio refelleret.

4. Marcus Aurelius Antonius Christianorum militum precibus ad reportandam victoriam contra Quados, ac Marcomanos adjuvari *poterat*, etsi postea Christianos vexavit, quoniam bonum in christianos animum mutare potuit.

§. 41. Ad circumstantias facti etiam pertinet tempus, quo contigisse dicitur, hinc quandoque in auxilium vocandæ sunt rationes chronologicæ. Quidquid his adversatur, ut certo falsum explodendum [1] (Ferd. Stoger Introd. in Hist. Eccles.)

1. Hæc regula tum solum sua gaudet veritate, quando chronologia cujusdam facti est certa, non item si est dubia; recte enim monet Claudius Fleurii Diss. I. in Hist. Eccl. §. 5. *Aliqui facta [illegible] ab aliquo authore scripta, quia cum illa chronologia, in qua ipsi fallebantur, propter suam imperitiam non valebant conciliare.* Dum legis apud Marianum Scotum Leoni IV. successisse Joannam fœminam, eamque annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor romanam administrasse ecclesiam, facile ex chronologia industria fabulam detegis: Leo enim IV. mortuus est anno 855., quare si post illum annis duobus Joanna Papissa rexisset ecclesiam romanam, Benedictus III. non antea nisi anno 857. in Papam eligi potuisset, at constat certo, Benedictum III. eodem anno 855., quo Leo IV. obiit, electum fuisse.

§. 42. Ad modum denique narrandi, quod adtinet (§. 39.); observa, ea, quæ historice narrantur, plus mereri fidei, quam quæ poetice, & oratorie recensentur, stylus siquidem historicus *projicit ampullas, & sesquipedalia verba.* (Horat. de arte poetica), figuræ oratoriæ affectibus excitandis aptæ sunt, at affectibus historicus caret: *Nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum* (Cic.)[1].

1. Ex hoc capite Evangelistæ gesta, & miracula Christi narrantes maximopere se commendant; omnia enim stylo plano, & simplici missis exquisitis, & verbosis sententiis proferunt. Scriptores contra, qui plus justo ingeniosi sunt, aut extra modum laudant, aut violenter vituperant, fraudis suspicionem incurrunt.

§. 43. Criterio veritatis historicæ etiam adnumeranda sunt *monumenta*, quæ in *publica* & *privata* dividi solent. Publica sunt, quæ ab integra aliqua societate proficiscuntur, vel ejus authoritate conficiuntur, eidemque probantur. Omnia tum privata, tum publica porro aut sunt monumenta *litterarum*, aut *operum.* Inter monumenta publica litterarum numerantur acta conciliorum, libri symbolici, leges ecclesiasticæ, omnia actorum judicialium genera, pacta, & transactiones, uti transactio calixtina, concordata nationis germanicæ, pax osnabrugensis, item privilegia, diplomata, matriculæ, quibus tanquam publicis instrumentis natalis, matrimonium, mors cujusque inscribitur &c. Inter monumenta privata litterarum recensentur testamenta, pia legata, codicilli, lucubrationes privatorum dogmaticæ, polemicæ, &c. omnis generis scripta historiæ profanæ, & ecclesiasticæ, epistolæ illustrium hominum &c. Ad monumenta operum tum publica, tum privata referuntur inscriptiones, statuæ, monetæ, ædificia[1], vestes ad ministerium sacrum destinatæ &c.

1. Religionem Christi sine interruptione ad nostra usque tempora fuisse propagatam, inter alia quoque ostendimus ope ædificiorum & templorum religionis cristianæ usui exstructorum, quorum aliqua a mille annis existunt.

§. 44. In monumento publico aut ipsa materia *princeps*, directe ad illud pertinens, vel materia adventitia, & *accidentalis* (uti sunt causæ, argumenta, consilia &c.) vel materiæ principis *consequentia* consideranda veniunt. In materiam principem, quæ a monumento publico tanquam primo rei gestæ fonte pendet & sciendi, & vere dicendi moralis necessitas cadit[1] at monumenti accidentali, uti causæ, argumenta, &c. non minus crisi subjacent, quam relationes monumentorum privatorum[2], consequentia itidem a propria monumenti publici materia adcurate secernenda sunt[3].

1. Libri symbolici certe ostendunt, doctrinam in iis propositam familiæ, a qua sunt profecti, arrisisse. Transactio calixtina indubie demonstrat, in Germania propter investituras motus extitisse.

2. Nero Christianos persequi jussit. Res hæc indubia est; at causa persecutionis, quod fuerint urbis incendiarii, falsa est. Quæ condiderit decreta quoddam concilium certum est, at rationes, & argumenta, quibus Patres concilii in condendis decretis utebantur, num sufficientia, aut insufficientia fuerint, examinanda sunt. Ordinem templariorum a concilio viennensi anno 1311. extinctum fuisse certum est, quoniam extinctio ordinis ad monumenti hujus principem pertinet materiam; at num causa extinctionis eorum fuerint vitia, aut divitiæ: historici certant, & adhuc sub judice lis est.

3. Lex quædam, aut concilii decretum promulgatur, sed executioni fuisse mandatum non sequitur. Diocletianus in omnibus romanis provinciis christianos esse vexandos decrevit; non tamen in omnibus romanis provinciis vexati sunt. Sessione 26 concilii constantiensis decretum perpetuum de conciliis generalibus stato tempore celebrandis editum quidem, sed executioni non mandatum est.

§. 45. Si quid monumento publico fuerit insertum, quod principi materiæ est accidentale, ut judicium, causa &c. primi autem ordinis fons adhuc extet, huic potius auscultandum est, quam publico monumento [1].

1. Certum est, historiam ecclesiasticam Natalis Alexandri catalogo librorum prohibitorum fuisse insertam, certum est, opera cardinalis Norisii in Hispania apud *inquisitionis* officium diu velut in carcere detenta fuisse, at si quæstio incidat: num Natalis, & Norisii opera erroribus scateant? id ex inquisitione ipsorum librorum potius, quam nuda indicis authoritate dijudicandum est.

§. 46. Qui ex monumentis operum veritatem historicam eruere volunt, iis notitia *antiquariæ* (archæographiæ) necessaria est. Universam archæographiam dividit Jacob Sponius in Numismatographiam, Epigramatographiam, Architectonographiam, Iconographiam, Glyptographiam, Toreumatographiam, & Angeiographiam, sed de his agere ab instituti mei ratione est alienum [1].

1. In monumentis operum considerandæ veniunt circumstantiæ loci, *ubi*, & temporis, *quando* positum sit. Si iis quæ inscriptio adjecta est, e vulgaribus scriptores interpretandi regulis erit explicanda. Quandoque monumenta sola facti existentia, non item illius causa erui potest. Statua, quæ repræsentat victoriam Marci Aurelii de Quadis, & Marcomannis, eam militum christianorum precibus impetratam fuisse haud probat; gentiles enim victoriam Diis suis referebant acceptam, ut constat ex nummis, & sculpta in columna Antonini imagine *Jovis pluvii*. De artis numismaticæ utilitate Frolich in quat. tent. de re num. vet. cap. 1, quum ex veterum authoritate quædam protulisset, sic infit: *Misto jam veteres, quando nostra etiam ætate viri primi in historia ecclesiastica nummis non defuerunt, qui antiquis e nummis lumen, ac partes suas* [illegible] *Cardinalis Baronius in annalibus* [illegible] *persionibus doctissimus Pagius historiæ subsidia e numis veterum non parce petierunt.*

§. 47. Quoniam multa menda variis de causis in monumenta litterarum tum publica, tum privata irrepserunt, in eorum usu, ne decipiamur cautiones adhibendæ sunt. Causas mendorum quatuor numerat Jo. Clericus in arte critica: *tempus*, *impostores*, *criticos*, & *librarios*, quibus addi potest *defectus* artis typographi-

cæ; siquidem ante medium seculum decimum quintum æræ christianæ ars typographica Europæis fuit ignota; ut adeo omnes codices manu exscribi oportuerit, at quotuplicis generis menda admitti possint in describendo nemo ignorat. Præterea edax rerum tempus in causa est, ut membranæ antiquitate, & situ laceræ, atque exesis litteris ad posteritatem transmissæ sint.

§. 48. Nec defuerunt impostores, ac falsarii, qui data opera varia in vetustis monumentis mutarunt, iis detraxerunt, aut etiam adsuerunt [1].

1. Graves sunt hac de re, & frequentes SS. PP. querelæ. Dionysius Corinthiorum episcopus queritur apud Eusebium Hist. Eccles. L. 4 cap. 23 se adhuc vivo epistolas suas esse zizaniis impletas. S. Hier in Lib. de script. eccles. passim diversa scripta apocrypha, quæ apostolis, & viris apostolicis, veluti Petro, Clementi, Barnabæ subjecta sunt, notat. Et non modo singuli Patres, sed & concilia ea de re sæpius lamentantur, ut in synodo quinta, synodo sexta act. 3.

§. 49. Post inventam artem typographicam viri, ut illa erant tempora, docti, qui ex manuscriptis codicibus veterum monumenta primum typographicis litteris descripta ediderant, persæpe in emendando plus justo ingenio suo indulgentes nova invenerunt menda. Denique celeritas tum in dictando, tum in scribendo, characterum veterum apud diversas gentes varietas, usitatá antiquas voces nullis interstitiis sejunctas scribendi ratio totidem fontes sunt, ex quibus in antiqua monumenta menda profluxerunt.

§. 50. Ars monumenta genuina a spuriis, integra a corruptis, & interpolatis, mutilatisve discernendi *ars critica* dicitur [1], quæ proin historico est necessaria [2].

1. Mabillonius tract. de stud. monast. cap. 13 criticam ita definit. *Est scientia conjecturalis docens modum recte judicandi de quibusdam operibus, præsertim auctorum, eorumque scriptis.*

2. „Unde tot errores, ac fabulæ, & dogmata stolida, nisi e criticæ inopia? unde „recti judicii, meliorisque eruditionis restitutio, nisi e critica restituta?" (Muratorius de ingen. moderat. L. 2. cap. 14). *Legimus S. Paulum (I. ad Tim. cap. 4 & ad Tit. cap. 1 v. 14) sæpius Titum, & Timotheum monere, ut fabulas devitent, legimus quoque a S. Petro (II Petr. cap. 1 v. 16) rejici doctas fabulas ac a S. Paulo traditiones aniles; & merito credendum S. Petrum, et ut fabulas Judæorum rejecit, ita etiam fabulas christianorum fuisse damnaturum, si jam tunc extitissent.* — — — *Ergo critica est necessaria* (Claudius Fleurii Diss. I in Hist. Eccles. § 5).

§. 51. Multas criticæ artis periti præscribunt regulas, quarum ope monumenta litteraria genuina a spuriis secerni possunt. Pauca hac de re delibare juvat. *Omnis liber est genuinus, qui genui-*

nus habitus est ab omnibus proxime, & continua serie sequentibus cum ætatibus. Quod axioma si quis vocaverit in controversiam, jam certum nihil habebit in litteris. (Daniel Huetius Demonstr. Evangel.) [1]

1. Idem axioma urgebat S. Aug. adversus Faustum. L. 33. cap. 6. *Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque hujusmodi authorum libros unde noverunt homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibi succedentium contestatione continua?* Quod si quis (addit Ant. Genuensis) ne id quidem ad fidem faciendam satis firmum putet, videat, quo argumento probare possit, proavita bona hæreditario jure ad se pertinere.

§. 52. Huic axiomati sequens innititur regula: Indicium libri *suppositi* est, quando in codicibus ejus, qui haberi possunt vetustissimis, alteri alicui tribuitur authori, nisi alia gravis adferatur ratio, cur ejus non sit habendus, cujus nomine antiqui codices circumferuntur. *Mutilati* vero argumentum est, si est aliquid in vetustis codicibus, quod in recentioribus desideratur. *Interpolati* denique, si habet aliquid novi, quod in vetustis codicibus deest. *Genuinus* autem est liber, atque *integer*, in cujus codicibus omnia illa reperiuntur, quæ sunt in vetustis, si nulla subsit alia dubitandi ratio.

§. 53. Quæ aperte rejecta, aut in dubium revocata sunt a veteribus, ea propter authoritatem recentiorum, nisi gravissimis ex rationibus veluti genuina admitti non debent [1].

1. Ex hac regula contra veterum authoritatem sustineri non possunt canones concilii Nicæni I., qui supra viginti ab Abr. Echellensi, & Franc. Turriano ex arabico translati sunt. (Nat. Alexander secul. 4.)

§. 54. Scriptum, in quo aut res, aut personæ, aut rerum nomina auctore, cui tribuuntur, recentiora continentur, spurium est, aut interpolatum. [1].

1. Hoc vitio laborant epistolæ decretales Isidori Mercatoris; sunt enim in iis quamplurima, quæ primis ecclesiæ seculis nequaquam, octavo autem, quo prodierunt, apprime conveniunt. In canonibus vulgo apostolicis de quibusdam ceremoniis est sermo, quæ Apostolorum tempore nondum fuerant usitatæ, occurrunt itidem in iis vocabula tempore Apostolorum prorsus ignota, uti: *cathalogus clericorum, lector, cantor, laicus &c.*

§. 55. Controversiæ natæ post authorem, cui scriptum aliquod tribuitur, [1] & recentioris alicujus scriptoris imitatio [2] indicia sunt scripti aut spurii, aut interpolati.

1. Author symboli vulgo *Athanasiani* hæresim nestorianam, & eutychianam, quarum utraque post Athanasium exorta est, diluit. In canonum vulgo *Apostolicorum* 51. & 53 Manichæorum, & in 52 Novatianorum, & Montanistarum hæreses impetuntur, quæ longo post Apostolos tempore exortæ sunt.

2. In pseudodecretalibus Isidori ex hieronymiana scripturæ versione integri textus recitantur etiam in eorum Pontificum epistolis, qui S. Hieronymo multo fuere antiquiores.

§. 56. Quod si stylus aut cum noto scriptoris, cui tribuitur [1], aut seculi, quo vixisse dicitur, non congruit, scriptorem indicat recentiorem, vel libri interpolationem. Dum vero plures libri *diversis* tribuuntur scriptoribus, in omnibus tamen *idem* occurrat stylus, suppositionis est indicium. [2].

1. At cautum esse oportet, ne stili diversitatem ibi se deprehendisse putet ubi reipsa nulla diversitas est. *Erasmus quædam S. Augustini scripta rejecit, quia in iis styli diversitatem sibi deprehendere videbatur.* (Claud. Fleurii Diss. I. in H. E. §. 5.)

2. Isidorus Mercator Pontificibus singulis a Clemente usque ad Syricium, & ab eo usque ad Gregorium M. plerisque aliquas epistolas adtribuit, & tamen in omnibus stili similitudo deprehenditur.

§. 57. Ficta, aut saltem suspecta judicanda sunt scripta, quæ a nullo seu coævorum, seu proxime sequentium seculorum scriptore commemorata sunt [1]. Spurius esse liber censetur, in quo leguntur dogmata iis contraria, quæ auctor idem alias constanter tenuit [2]. liber fabulis refertus, aut res viro solide docto indignas continens, alicui docto tribuendus non est [3].

1 Regula hæc *argumento negativo* nititur, & sæpius fallere potest, hinc ea caute utendum est; fieri enim potest, ut opus quoddam diu lateat, & propterea notitiam coævorum, & proxime sequentium fugiat.

2 Hac quoque caute usurpandum est regula, poterat enim auctor opinionem suam mutare, quin ejus meminisset, aut poterant notata in margine librariorum inscitia in textum migrare.

3. Hac de causa *sermones ad fratres in eremo* indigni sunt, quorum auctor S. Augustinus habeatur. In L. 2. constitutionum Apostolicarum episcopus, presbyter, & diaconus temere cum Patre, Filio, & Spiritu sancto comparantur, quæ comparatio absurda est, & Apostolis indigna. In Epistola, quæ *Barnabæ* tribuitur, occurrunt interpretationes quorumdam textuum V. T. adeo contortæ, & veritati tam parum conformes, ut vix possibile videatur, eas a viro apostolico, qui comes Pauli in prædicando fuit, profectas fuisse.

CAPUT QUARTUM

DE

SCRIPTORIBUS HISTORIÆ NOVI TESTAMENTI.

§. 58. Notitia scriptorum historiæ ecclesiasticæ novi testamen-

ti est pars historiæ *litterariæ universalis* (§. 10.[1]), historia enim litteraria universalis agit de origine, fatis, incrementis, & præcipuis scriptoribus omnium scientiarum, ac artium; notitia itaque scriptorum historiæ ecclesiasticæ est pars historiæ litterariæ universalis. Ingens illorum est copia qui scribendæ historiæ ecclesiasticæ novi testamenti operam dedere[1]. Solent hi dividi ratione *originis* in græcos, latinos &c. ratione *ætatis* in antiquos medios, & recentiores, ratione *religionis* in Catholicos, Protestantes, Reformatos &c. ratione *materiæ* in universales, qui historiam novi testamenti universalem, & particulares, qui particularem pertractarunt, ratione denique *authoritatis* in divinos, seu hagiographos, & humanos.

1. Non sinunt temporis angustiæ fusam scriptorum historiæ ecclesiasticæ adferre notitiam, pauca solum hac de re delibare licet. Qui plura cupiunt, adeant Wilhelmum Cave, Ceillierium. Eliam du Pin. Bosium. Goujetum, Oudinum, Olearium, Casparum Sagittarium, Andream Schmidium. Mathæum Pfaffium, Franciscum Buddeum, Georgium Walchium, Mathiam Schrœkium &c.

§. 59. Originem ecclesiæ christianæ, vitam, & gesta Christi, acta, laboresque Apostolorum, alia itidem adjuncta, quibus res nascentis ecclesiæ christianæ illustrantur, ex scriptoribus divinis sunt haurienda, qui quidem spectati etiam qua humani scriptores, præscindendo quod inerrantiæ privilegio donati fuerint, juxta regulas circa criterium veritatis historicæ adlatas plenam tum ratione dexteritatis, tum sinceritatis merentur fidem (hac de re quædam in prælectionibus.) At ex scriptoribus divinis illa tantum eventa haurire possumus, quæ ab origine ecclesiæ ad primi medii seculi, & paulo longius intervallum contigerant, & ne hæc quidem omnia, utut memoratu digna, enumerantur[1], ut adeo ad hæc quoque plenius cognoscenda monumentis humanis indigeamus.

1. Evangelistæ pauca duntaxat Christi gesta prodiderunt litteris; S. Lucas autem duorum tantum Petri, & Pauli Apostolorum res gestas in actibus contexuit, & ne has quidem omnes; nam nullibi dissensionis illius inter Petrum & Paulum, qua hic ei in faciem restitit, meminisse legitur, quo silentio ducti quidam alium quemdam e discipulis Petrum fuisse contendebant. Primum Antiochiæ episcopum Petrum fuisse, & inde Romam venisse, ibique episcopatum gessisse, veterum authoritate constat, at hujus rei memoriam Lucas nobis nunquam servavit. Septem sunt Apostoli, qui scripto nihil reliquerunt, de quibus nihil scimus nisi eorum nomina. Elegantem, cur hagiographi tam pauca scriptis consignaverint, reddit rationem Claudius Fleurii Diss. I. in H. E. §. 9. „Quæ in Actis de SS. Petro, & Paulo narrantur, sufficiunt, ut paria de ceteris conjicere debeamus; videmus horum amborum rationem prædicandi evangelium Judæis, & Gentilibus, doctis, & indoctis; discimus eorum miracula, virtutes, & toleratas ærumnas; si etiam S. Bartholomæi, aut S. Thomæ actiones particulatim nobis essent notæ, non ideo majorem utilitatem referremus, nisi quod sciendi curiositati satisfieret; est vero curiositas [illegible] censui annumeranda, quos coercere evangelium docet. E contra Apostolorum

„silentium insignis nostra doctrina est; etenim quod a propriæ laudis, & „gloriæ cupiditate fuerint alienissimi, hoc ipso infallibili argumento evin„citur, ipsis nullam penitus curam fuisse, ut facta sua, & prodigia clarissi„ma post se longæva hominum memoria celebrarentur, satis erat pro Dei „gloria, & posterorum instructione, si modica factorum eorum pars nota „esset; reliquorum oblivio plus Apostolorum famam auget. quam centum his„toriæ, cum nihilominus certum sit, quod populos ad fidem Christi con„verterint multitudine innumerabiles. „

§. 60. Non solum scriptores divini, sed etiam humani antiquissimi pauca litteris consignarunt, & ex iis etiam, quæ scripsere, pleraque perierant. Et quidem Apostolorum discipulos eamdem cum Apostolis parum scribendi consuetudinem retinuisse, Clemens Alexandrinus eorum tempori proximus testatur: „Antiqui „nihil scribebant, ne tempus, quod scribendo consumerent, ne„cessariæ aliorum instructioni subtraherent, & requisitum otium „esset illis præparandis, quæ dicturi erant" (Exscript. elect. n. 27.) Plura autem antiquitatis monumenta periisse, nullum est dubium; præter illa enim, quorum Eusebius, & alii mentionem faciunt, magnarum urbium episcopos sæpius se consulentibus epistolas rescripsisse, ex epistolis Cornelii Papæ, quas Cypriani, & Eusebii diligentiæ debemus, item Julii Papæ in causa Athanasii conjicitur.

§. 61. Quia tot antiquitatis monumenta perierant, post divinos scriptores ad Constantini M. usque ætatem nullum habemus historicum, cujus commentarii integri extent. *Hegesippus* ex Judæo Christianus seculi II scriptor, mortuus sub Imp. Commodo omnem a Christo passo ad suam usque ætatem ecclesiæ historiam libris quinque complexus est, quæ tota periit, exceptis paucis fragmentis ab Eusebio servatis.

§. 62. Hinc quidquid memoratu dignum tria priora ecclesiæ secula tulerunt, ea fere omnia ex *Eusebii* historia hauriri debent. Fuit episcopus Cæsareæ in Palæstina (inde dictus *Cæsareensis*, ob singularem vero cum Pamphilo Mart. amicitiam cognomentum *Pamphili* sortitus), & sub initium seculi quarti historiam ecclesiasticam ab ecclesiæ incunabulis usque ad annum 324 id est, usque ad Licinium a Constantino M. superatum libris decem græce complexus est, Photii in Bibl. sua hoc est de Eusebio judicium: *Illum esse gravem in historia, non autem in dogmate fidei*; arianismi enim a pluribus incusatur, jure, nec ne? non vacat inquirere, siquidem macula hæc ejus *sinceritati* nil detrahit, quod nec ipse negare ausus est Photius, *gravem* in historia pronuncians. Indulsit ei Constantinus M. monumentis publicorum tabulariorum imperii Romani ad historiam scribendam uti, ut explicat ora essent fata christianorum per Romanum imperium, & acta martyrum integriora. Observarunt qui-

dem docti nævos quosdam in ejus historia [1], verum si totus spectetur Eusebius, magni æstimandus est ob diligentiam, & infinitam pene eruditionem, qua plura nobis antiquitatis monumenta servavit, de quibus alias nihil sciremus.

1. Multa Chronologiæ menda ei exprobrat Jos. Scaliger *de emend. tempor. in proleg. & L. 6 p. 516.* Et quamquam in defendendo Eusebio operam omnem consumserit Causinus, ejusque historiam in Gallicum idioma convertit, fassus tamen est, errasse eum, quando Herodem obscuris natum parentibus, alterum autem juniorem Viennam in exilium pulsum asserit. quod S. Jacobum ecclesiæ Hierosolymitanæ episcopum e templi pinna præcipitem actum testatur, quod Novatum a Novatiano non distinguat, alia, quæ a doctis notata sunt. (Vid. Baronium T. I. in proem.) Refert etiam Eusebius L. I H. E. cap. 13 apocrypham epistolam Christi ad Abgarum Edessenorum Regem.

§. 63. Idem Eusebius vitam Constantini M. libris quatuor comprehendit. Oratoria prosequitur oratione res a Constantino pro religione, ac ecclesia gestas, hinc quibusdam in locis ab assentatoris vitio haud longe abest, sed hoc non adeo vitio vertendum est viro ceteroquin magno, quippe qui magnanimitati Imperatoris gratitudinis monumentum ponere voluit [1].

1. De reliquis Eusebii scriptis suo loco.

§. 64. Exemplo Fusebii incitati plures conscribendæ historiæ operam navarunt, & quidem cum eventu felici, reddita jam ecclesiæ a persecutionibus tranquilitate. Inter Græcos medio seculo quinto *Socrates* Constantinopolitanus Ammonii, & Heladii Alexandrinorum Constantinopoli degentium in gramaticis discipulus, a forensium actionum peritia dictus *scholasticus* (ita tum causidici vocari solebant) historiam ecclesiasticam ab anno 306, sive ab initio regiminis Constantini M. usque ad annum 439, sive usque ad Theodosii junioris consulatum XVIII libris septem comprehensam conscripsit. Sedula in excutiendis monumentis diligentia, & adcuratum de agitatis controversiis judicium scriptorem istum plurimum commendat, uti & summopere laudanda est æquitas, qua in sectas ferebatur. Quia asserebat, Novatianorum consuetudini plerosque obluctari laxitatis amore, Novatianismi incusatus est; at Valesius ejus defensionem in se suscepit, concedit siquidem Socrates, familiam Novatianorum coaluisse ab ecclesia catholica segregatam. Reprehenditur ceterum in Socrate, quod in omnis generis prodigiis parum exploratis, ac rumore acceptis nimium facilem se præbuerit.

§. 65. Eodem cum Socrate tempore floruit *Hermias Sozomenus*, patria Salaminius, qui eamdem, quam Socrates historiam ab anno 306 ad annum 439 in libros novem distributam edidit, &

Theodosio panegyrica apostrophe dedicavit. Scriptor iste in omnibus (sola scribendi elegantia excepta) Socrate est inferior. Paucos post annos Socratem & Hermiam secutus est *Theodoretus* Cyrensis in Syria episcopus, qui quatuor libros historiæ ecclesiasticæ evulgavit. Scriptor sane doctus, & genuinam scribendæ historiæ methodum amplexus. Quam Theodoreto laudem peperit, eamdem obscuravit ejus alterum opus: *Philotheus, seu religiosæ historiæ*, continens ascetarum elogia; hic enim jam non sagax, & acutus scriptor conspicitur, sed fabulis, & nugis indulgens [1].

1. Vixit, floruitque circa eadem tempora *Gelasius* Cyzicenus, qui scripsit historiam de actis Nicænæ synodi tribus libris comprehensam; sed tertium implent duæ, tresve Epistolæ Constantini M. In præfatione suæ historiæ significat se vixisse, Cæsareæ Palestinæ episcopum. tempore Basilisci orient. Imp. anno 476. Demum ad seculum quintum referendus est *Philostorgius* Cappadox Arianus de Eunomianorum familia. qui libris 12 ab origine arianæ hæresis usque ad annum 425 historiam contexuit. Ejus epitomen a Photio confectam habemus. A catholica ecclesia alienus familiæ suæ ultra æquitatis terminos favet.

§. 66. Seculo sexto inter Græcos historiæ scribendæ se accinxit *Theodorus* ecclesiæ Constantinopolitanæ lector. Narrationem eventuum ibi inchoat, ubi Socrates desiit, & persecutus est usque ad annum 558, de cujus tamen opere nonnisi aliqua supersunt fragmenta a *Nicephoro Callixto* collecta. Hoc eodem seculo expirante *Evagrius* scholasticus, scilicet jureconsultus Antiochenus, (juxta aliquos Epiphaniensis) & unicus ex historicis græcis antiquioris ævi orthodoxus, ut quibusdam placet, historiam sex libris comprehensam scripsit, quam ab anno 431 exortus ad annum 594 continuavit [1].

1. Memorata hucusque historicorum Græcorum opera e manuscriptis codicibus emendatiora, & in latinum sermonem translata Henricus *Valesius* anno 1659 edidit, simulque doctis suis illustravit animadversionibus.

§. 67. Græci quemadmodum in scientiis, & artibus profanis, teste historia litteraria, duces fuere nostri, ita etiam eos in historia ecclesiastica duces secuti sunt Latini; eruditio enim, & verus eruditionis gustus in latinam ecclesiam serius venit, quam in græcam. *Ruffinus* Toranus, seu Turanius Aquilejensis presbyter seculo quarto exeunte Eusebianam historiam in latinum transtulit, omissoque libro ejus decimo duos de suo addidit, in quibus res in ecclesia gestas usque ad Theodosii Imp. obitum exequitur [1].

1. Ruffini libros duos ad translationem librorum Eusebii adjectos elegantes quidem ait *Dupin bibl. nov. T. III. p. 275*, sed multa continere adversus historiæ fidem. e. g. Athanasium integros sex annos delituisse post latam in ipsum a concilio Tyri hac de sententiam comminiscitur. Gregorio Nazianzeno, ut & Basilio paulo iniquior est. Falso Hilarium excommunicatum asserit. „Multa „præterea sunt (inquit idem Dupin) ejusmodi vitia in hac historia, quæ ta-

„ meu non obstant, quo minus utilissimam ecclesiæ operam navavisse Ruf-„ finus dicendus sit." Idem Rufinus antiquitates Josephi Judæi in latinum transtulit.

§. 68. Seculo quinto *Sulpicius Severus* Primuliacensis presbyter historiam sacram L. 2. à mundi exordio ad annum usque 400 æræ christianæ coss. Stilicone, & Aureliano conscripsit. „ Nemo sane seu veterum seu recentiorum historiam ornatius *con-*„ *traxit* Sulpitio Severo, sed fatendum est, eum magis, quam „ quidem expedit, res in angustum contraxisse. Accedit, quod „ nec chronologia ejus satis exacta sit, quodque infinita veterum „ deliria cæca credulitate confirmaverit." (Paul. Jos. a Riegger Inst. Jurispr. Eccles. Part. 1 p. m. 348).

§. 69. Cum seculo sexto ex Latinis paucissimi græcum intelligerent, circa annum 510 *Epiphanius* scholasticus in græcis, latinisque litteris versatissimus, hortante *Cassiodoro*, historias Socratis, Sozomeni, & Theodoreti latinas fecit, & in unum corpus contexuit libris duodecim. Idem Cassiodorus collectam ab Epiphanio historiam in compendium redegit, ediditque libros 12 de rebus gestis Gothorum, ut mittam chronicum ab Adam usque ad annum 519 incuria nimia contextum.

§. 70. Seculum septimum nec numero, nec celebritate historicorum ecclesiasticorum tam fecundum fuit, quam tria præcedentia; nulli enim fere occurrunt præter *Isychium* Jerosolymitanum Patriarcham, cujus historia jam periit, *Marcum*, & *Sisebutum*, qui quorumdam sanctorum vitas scripsere, & *Anastasium* Sinaitam, qui litteris tradidit notitiam omnium hæresum ab initio religionis christianæ, & conciliorum, quibus damnatæ sunt, usque ad Constantinopolitanum œcumenicum VI sed horum quoque scripta ita comparata sunt, ut iis facile carere possimus.

§. 71. Universam historiam ecclesiasticam ita in quatuor dividimus epochas, ut prima a Christo ad Constantinum M., altera ad Carolum M., tertia ad tempora reformationis, quarta ad nostram usque ætatem sese exporrigat (§. 22) scriptores historiæ novi testamenti pariter ita dividere possemus, si in prima epocha, seu ante Constantinum M. aliqui fuissent, sed quoniam Eusebius historicorum N. T. est pater (§. 62) prima horum epocha à Constantino M. ad Carolum M. progreditur, quos antiquos vocamus, altera a Carolo M. ad tempora reformationis scriptores medii ævi, & tertia a tempore reformationis ad nostram ætatem scriptores recentiores comprehendit (§. 58).

§. 72. Scriptores antiquos celebriores a Constantino M. ad Ca-

rolum M. hucusque adtulimus. Scriptores medii ævi a Carolo M. ad tempora reformationis recenset Mabillonius de stud. monast. P. 2 cap. 8 *Gregorium Turonensem*, *Bedam*, *Annales S. Bertini*, *Diaconum Papiensem*, *Eulogium Cordubensem*, *Flodoardum*, *Luitprandum*, *Dithmarum*, *Lambertum Schafnaburgensem*, *Hugonem Abbatem Floriacensem*, *Sigebertum Gemblacensem*, *Ordericum Vitalem*, *Wilhelmum Malmesburiensem*, & *Mathæum Parisiensem* &c.

§. 73. Cum medio ævo omnes fere scientiæ misere jacuissent, nihil mirandum, quod etiam historia ecclesiastica maximam partem rebus commentitiis, aut incertis conflata fuerit. Defectus artis criticæ in causa fuit, quod scriptis apocryphis, fictis miraculis, & vitis sanctorum fides adhibita sit, inde superstitiones, pietas mechanica, aliæque religionis nostræ opprobria originem acceperant. Seculo decimo quinto *Laurentius Valla* Patricius Romanus, & canonicus ea scientia, & tam magno præditus erat animo, ut historiam ecclesiasticam repurgandam sibi sumeret. Primo omnium Constantini M. donationem oppugnavit, negavit postea Symbolum ab Apostolis fuisse compositum, & quædam alia communi reliquorum assensu probata. Inquisitores, ut fertur, illi rogum destinabant; nec effugisset supplicium, nisi Alphonsus V. Aragoniæ Rex doctum hominem in suam tutelam accepisset. Qua de causa timor alios ad libere expromendi animi sensa tardiores effecit.

§. 74. Veniamus ad seculum XVI., seu ad tertiam scriptorum epocham (§. 71) cum hoc seculo Catholici a Protestantibus historicis armis sint impetiti, nostris theologis necessitas est imposita historiam ecclesiasticam excolendi curatius, quam antehac factum est. Prodierunt ex parte Protestantium centuriæ Magdeburgenses. Electus est initio *Onuphrius Panvinius*, qui sese opponeret, quod cum is detrectasset, impulsore Philippo Nerio *Cæsar Baronius* natione Neapolitanus, Congregationis oratorii presbyter, postea Supremus hujus congregationis præpositus, Clementi VIII a confessionibus, & collegio cardinalitio adscriptus [1], hanc in se suscepit provinciam magnum opus Annalium ecclesiasticorum conficiens labore improbo, quod ad annum 1198 perduxit.

1. Natus erat Soræ anno 1538, obiitque anno 1607 Martyrologium quoque romanum perpetuis notis illustravit.

§. 75. Baronii opus magna nobis cum dignitate excipiendum esse, communis eruditorum est consensio. „Qui nostra, patrumve „memoria hanc spartam exornarunt, hos inter si principem locum

„Baronio vindicemus, neminem puto nobis dissentientem habituros" sunt verba Pauli Josephi Rieggeri loc. cit. *Baronii annales maximam ecclesiæ utilitatem adtulere, meque imprimis ejusdem vestigiis inhæsisse fateor*, Claudius Fleury Diss. 1 in H. E. §. 3 scribit. Protestantes etiam hoc opus in pretio habent, eoque omnino carere non posse fatentur [1].

1. Commendatur Baronii industria vel maxime ex eo capite, quod e pontificio tabulario magnam monumentorum copiam vulgaverit, ad quod conformiter Schelstratus *in antiquit. illustrat. circa concil. general.* animadvertit, post celeberrimi hujus cardinalis interitum multa vetustatis monumenta in lucem producta fuisse, quæ quia ignota ei fuerunt, evenit, ut in multis lapsus sit, facile detegendis, si his ei per ætatem uti licuisset.

§. 76. Sunt tamen huic præclaro operi sui etiam nævi. Nam imprimis ordine chronologico de anno in annum progreditur, quo fit, ut nexus factorum disrumpatur (§. 21). „In annalibus Baronii „summæ industriæ, & vastissimæ eruditionis viri non modici chro„nologiæ errores inventi sunt, & inter alios Pagius corrigendis „quatuor primorum seculorum mendis nuper amplum volumen „edidit." (Claudius Fleury Diss. 1 in H. E. §. 8). „Fontes in„spiciat, unde Baronius sua extraxit, idque eo magis est necessa„rium, quod nonnulla opera ut authentica protulerit, quæ post„modum fuisse apocrypha exploratum est; sed & alia diffiden„tiæ subest causa, quod versiones authorum græcorum, quibus „usus est, non semper satis fidæ sint." (Idem Loc. eod. §. 3). „Lectores Baronii, dum modo facili, & sibi commodo de his„toriæ ecclesiasticæ rebus instrui cupiunt, ad studium, & labo„rem non exiguum damnantur, *cum Baronius historiæ ecclesias„ticæ scribendæ partes, & materiam magna solertia conquisi„visse, & præparasse melius dicatur, quam ipsam historiam „scripsisse.*" (idem Loc. eod.) Sæpe enim disputatorem, & polemicum magis agit, quam historicum. Cupiebat ostendere, Romani Pontificis monarchiam ab ipso Christo fuisse institutam, eique prærogativas, quæ ævo sequiori nactus est, a religionis initio fuisse proprias, illumque a vetertimis temporibus obtinuisse potestatem in res politicas Principum. Hinc fabulosa, si modo huic consilio adcommodata essent, pro veris defendit, & quæ a Pontificibus haud recte gesta sunt, vel præclare facta esse contendit, vel quæsitis excusationibus obtexit, illorum decreta in eum sensum ubique interpretatus, ut eos infallibiles esse ostendat. Qui vituperandis Pontificum conatibus obstiterant, eos atro carbone notavit [1].

1. „Mirari non satis possum, quod Cardinalis Baronius, perspicacissimi ingenii „vir, adversa omnia, quibus ecclesiæ, præsertim sacræ sedis, inimici diver„sis temporibus perculsi sunt, tanquam totidem divinæ ultionis exempla, quo„rundam vero Principum piorum prosperitatem tanquam bonæ causæ, quam

„ defendebant, argumenta diligentissime notet. Verumtamen historiæ veritate „ compulsus sæpe ad abyssum judiciorum Dei confugit, ut tristissimorum eventuum, quibus etiam zelosissimos religionis catholicæ cultores afflictos legimus, causam inveniat. Sed vir alias doctissimus non adtendit, argumentum „ non semper demonstrans nunquam aliquid demonstrare." (Claud. Fleury Diss. 3 in H. E. §. 3).

§. 77. Habebat Baronius continuatores, epitomatores, correctores, & oppugnatores. Primus annalium continuator est Odericus Raynaldus congregationis oratorii presbyter. Pervenit Baronius ad annum 1198 (§. 74), & Raynaldus ad annum 1534 processit. Multitudine monumentorum, quæ produxit, Baronio non multum est inferior, disputator ut Baronius, eidemque consilio serviens; hinc a multis illi vitio vertitur, quod ea monumenta publica de industria omiserit, quæ curiæ romanæ non favent. Alter Baroniani exempli imitator est Jacobus de Laderchio Raynaldi concellita, at utroque Baronio & Raynaldo longe inferior. Abraham Bzovius [1] vero ex ordine Prædicatorum, & Henricus Spondanus [2] annalium Baronianorum tum continuatores, tum epitomatores [3] extitere; *sed is ordinis sui potius, quam ecclesiæ gesta collegit, & hic in contrahendo Tournelio feliciorem, quam in prosequendo Baronio operam collocavit.* (Paul. Jos. a Riegger loc. cit).

1. Continuavit annales a se contractos desinendo in pontificatu Pii V. Adversum eum jubente aula Bavarica defensio Ludovici Bavari est promulgata.

2. Spondanus præmium laboris, quo Baronii annales contraxit, & ad annum 1640 continuavit, abstulit Apamiensem episcopatum sub Ludovico XIII. Gallarum Rege.

3. Gabriel Bisciola itidem Baronii epitomatoribus adnumerandus est.

§. 78. Baronii emendatoribus [1] palmam præripuit Antonius Pagius de familia fratrum conventualium, cujus critica historico—chronologica quantam baroniano operi lucem adtulerit, dici non potest. Pagius vir erat in chronologia, & historia versatissimus, cujus postrema scripta perpolivit, complevitque Franciscus Pagius ejus nepos de historia Romanorum Pontificum bene meritus. Quod Antonio Pagio vitio dari solet, istud est, quod nimio studio desudet in rebus explicandis, quæ nec necessariæ sunt, nec magni ponderis.

1. Antonius Godeau Vencensis episcopus etiam Baronium pluribus in locis correxit, ita tamen, ut ipse multis egeat emendationibus.

§. 79. Demum etiam quædam de Baronii oppugnatoribus monenda. Jacobus I Rex Angliæ moleste acerbeque ferebat, a Baronio Romanis Pontificibus in ecclesiam universam, in Reges, ac

Principes potestatem incircumscriptam vindicari. Itaque e Gallia evocavit *Isaacum Casaubonum*, virum ob doctrinam celebrem, eique author fuit, ut Baronium refutaret. Morem gerebat Casaubonus, & componendo exercitationes sedecim inter ejus adversarios principem locum obtinuit [1].

1. Baronius suis annalibus tractatum de monarchia Sicula addidit, ubi negabat utriusque Siciliæ Regibus jus esse propria authoritate supremum ecclesiæ tribunal constituendi. Hunc tractatum Philipus II. anno 1610 edicto proscripsit, & oppugnavit Ludov. Elias Dupinius.

§. 80. *Richardus Montacucius* Norbicensis episcopus animo non parum commovebatur, cum cerneret Casaubonum e Gallia vocatum fuisse; quasi Anglorum nemo cum Baronio concertare valeret, quapropter origines ecclesiasticas in lucem dedit, in quibus Baronium, Bulengerum, ipsum quoque Casaubonum acriter perstringit, & castigat. His tamen, pensatis omnibus minor est Montacucius.

§. 81. Post Cæsarem Baronium non pauci Catholicorum elaborandæ historiæ ecclesiasticæ insudarunt. Galli ceteris palmam præripuere, cujus rei ratio in libertatibus, seu rectius antiquis juribus ecclesiæ gallicanæ latet; in ceteris enim catholicis provinciis libertas sentiendi, & scribendi ad nostra fere usque tempora adeo constricta fuit, ut animi sensa, & veritatem historicam fere nemini impune exponere licuerit.

§. 82. Agmen ducit *Edmundus Richerius* Parisiensis universitatis reformator, qui ineunte sæculo decimo septimo lucubrationibus suis historiæ ecclesiasticæ lucem affudit. Pontificis inerrantiam, ejusque super universam ecclesiam monarchiam illimitatam negabat, jura vero Principum circa sacra defendebat, quamobrem reprehensionem virorum eruditione, & potestate conspicuorum incurrebat, quibus instigantibus palinodiam canere cogebatur, at sibi, libertatique redditus eam ipsam palinodiam ejuravit.

§. 83. Non diu post *Petrus de Marca* impellente Cardinale Edmundo Richelio adversus Optatum Gallum *concordiam sacerdotii, & imperii* moliebatur. Opus hoc Urbano VIII. Papæ ita displicuit, ut negaret bullas ad episcopatum necessarias ei expediendas, nisi calculum reduceret. Itaque suis principiis contradicebat, & hoc modo accedente ingentis eruditionis merito perpetuo ad altiora ascendit, factus archiepiscopus Tolosanus, consiliarius status, ac demum archiepiscopus Parisiensis. Cum humani nihil amplius speraret inconstans, & mutabilis esse desiit, & opus

posthumum celeberrimo Stephano Baluzio vulgandum reliquit [1].

1. Decessit Petrus de Marca anno 1656., opus ejus Baluzius semel, iterumque in lucem edidit cum vita authoris, notisque.

§. 84. Superavit præcedentes scribendi licentia *Joannes Launojus* doctor Sorbonicus, qui imperterrite historiam a fabulis sibi purgandam sumpsit; nam alios sanctorum nunquam extitisse, aliorum vitam fabulis inquinatam esse ostendebat, causam, ob quam Bruno ordinem Carthusianorum instituisse vulgo putabatur, singulari libro: *de causâ recessus Brunonis in desertum* ut comentitiam explosit, & vanitate suspicione id laborare adfirmabat, quod Carmelitæ de admirabili virtute sui Scapularis in vulgus spargebant. Longe majori quoque animo, quam ceteri, Regis sui, & ecclesiæ gallicanæ jura defendit contra potestatem, quam curiæ romanæ adulatores Pontifici adscribebant. Ab extremum ad iis, quorum causam egit, non modo nullum ingentium laborum præmium tulit, sed etiam malam gratiam retulit [1], aula enim gallicana his viris generosis, quod merebant præmium, non semper persolvit, immo sæpe iniquam sese illis præbuit, quo indignanti, & minanti Pontifici gratificaretur: nec tamen multum inde utilitatis ad curiam romanam pervenit, quoniam Reges Galliæ jura sua tacite semper defendebant.

1. Obiit Launojus 1678. Inimicorum ejus opera factum, ut magno viro honorifico epitaphio parentare non licuerit. Ingentia habentur, variique argumenti volumina, in quibus nimiam rerum, verborumque repetitionem eruditi carpunt. Liber inscriptus: *Veritable tradition de l' Eglise sur la prédestination, & la grace* a Clemente XI. anno 1704. tamquam S. Augustino injuriosus damnatus est. Adversarium hujus libri se præbuit Hyacinthus Serry Ord. Præd., qui epistola quasi ex elisiis data ostendit, quidquid Launojus Augustino vitio dabat, fuisse depromptum ex scriptoribus societatis Lojoliticæ, quorum enumerat saltem viginti.

§. 85. *Ludovicus Elias du Pin* exemplo Launoy stimulatus contra placita curiæ romanæ pugnavit, quam ob causam infensi ei erant Romani, propitii Galli, at post evulgatam bibliothecam ecclesiasticam inter ipsos Gallos adversarios invenit Richardum imprimis Simonium; dein Mathæum Petitdierium. His minoris momenti adversariis Dupinius respondit, & facile expedivit, verum postquam magnum Bossuetum contra se excitavit, facies rerum mutata est. Dupinius causam suam quidem orabat, sed in incassum; nam archiepiscopus Harlæus publica censura ejus bibliothecam proscripsit, & ille compulsus est, repugnante licet natura, & invito calamo multa operis sui loca interpretari, mutare, & retractare. Ceterum nec operi, nec authoris existimationi derogatum est. Obiit anno 1719.

§. 86. *Benignus Bossuetius* Meldensis episcopus, Divioni in

Burgundia natus anno 1627 defunctus anno 1704. ut in omni theologico genere celebratissimus, ita ejus historia universalis excelentissimum est sublimis ingenii monumentum. Ostendit maxima quæque imperia corruisse, religionem unam inter temporum, rerumque motus stabilem permansisse. Ad hanc eventa omnia accommodat, & ubique divinæ providentiæ vestigia reperit [1].

1. Bossuet, que ha trazado el bosquejo de una historia universal, se ha limitado á tratarla bajo un cierto punto de vista, digno de un obispo filosofo y de un teologo lleno de la mas preciosa erudicion. Dios lo ha hecho todo para gloria suya: esto es para sí propio, y todos los seres criados hallan su propia perfeccion en la mas estrecha union con su autor. Así todas las mudanzas que acaecen á la especie humana, están subordinadas á las miras de la providencia, y una de estas miras, despues del pecado de los hombres, es restablecerle á su primer estado por medio de la religion revelada. . . Esta idea sublime es el alma de la obra de Bossuet; y está difundida en todas sus partes presentando la pintura mas grande, mas magnífica y ordenada que la historia ha dado á conocer jamas, á saber: el enlace de todas las revoluciones de los imperios y reynados, de todas las mudanzas de los pueblos con el establecimiento de la iglesia de J. C. En el discurso de este sublime compendio se ve la fuerza y valor con que el autor ha manejado su pincel. Todo es allí digno del gran Bossuet, digno de la alta idea que tenia de la religion y de su cargo de preceptor de un joven Príncipe, á quien se le debia inculcar que los Reyes, que suelen creerse unos Dioses, no son otra cosa que unos instrumentos de que se sirve la divinidad para castigar ó remunerar á los pueblos. (*Batteux: principios filosóficos de la Literatura: tom. IV.*)

§. 87. *Natalis Alexander* Ord. Præd. utriusque veteris, ac novi testamenti historiam scripsit. Libertatem ecclesiæ Gallicanæ defendit, & negat Pontificem potestatem habere in Principum temporalia. Adeo celebrem se hic reddidit scriptor, ut omnium theologorum manibus teratur, attamen ex ignorantia juris publici universalis quorumdam Principum reprobat facta, quæ reprehendi minime poterant, eo quod rationem sui in juribus circa sacra habeant. Zenonem non fuisse hæreticum contra Baronium quidem adfirmat, ejus tamen henoticum ex eo capite reprehendit, quia nefas esse ait laicum decretum de fide edere, eamdem ob causam graviter invehitur contra constitutionem Caroli, *interim* dictam, asserens: " Carolum Imp. manum temere misisse ad sacra, non ut arcam nutantem sustentaret, sed ut stantem concuteret, unde non minori pene execratione cæsareum illud *interim* dignum fuisse, quam Zenonis henoticon, Heraclii Ethesis, & Constantis tipus" at satis notum est juris publici universalis, & juris ecclesiastici doctoribus, non esse, cur constitutio interim tam atris notetur carbonibus: laudanda tamen æquitas, qua seposito partium studio Wilhelmun a S. Amore ab hæresi immunem pronunciat. Obiit vir doctissimus anno 1724 [1].

1. Historiam Natalis Innocentius XI. in indicem librorum primi ordinis prohibitorum referri jussit; liberavit tamen postea hoc opus e cathalogo prohibitorum Benedictus XIII. Nactus est Natalis adversarios Cælestinum Sfrondatum,

Franciscum de Enghien, & Jacobum Faber. Sfrondatus nil magni perfecit. Enghienio ipse Natalis respondit Diss. 6. Sec. 15. & 16., Fabri notæ vero suppressæ sunt.

§. 88. *Claudius Fleury* natus Parisiis patre jurisconsulto anno 1640. presbyter, informationi Principum Franciæ adhibitus a Rege abbatiam *Locum—Dei* ord. Cisterc. anno 1689. retulit. Ab anno 1716 usque ad annum 1722. Regi Galliarum a confessionibus fuit, & anno sequenti ætatis 83. naturæ debitum solvit (juxta chronologiam *Calmet* anno 1724.) Præter institutiones juris canonici, cathechismum historicum, librosque de moribus Judæorum, & Christianorum scripsit historiam ecclesiasticam a Christi ascensione usque ad seculi 15 initium [1]. Scriptores quatuor in Fleurium calamum acuerunt, Honoratus a S. M. Carmelita, Balduinus Belga, & duo anonymi; at si ea quæ objiciunt, cum Fleurii verbis conferantur, illico lectori a præjudicio libero adparet, Fleurii sensum esse longe alium, easque conclusiones, quas ipsi putant minime sequi.

1. La historia eclesiástica no se diferencia de la profana sino en el objeto. El escritor queda en ella abandonado á sí mismo, sin mas recursos que sus talentos y conocimientos para buscar la verdad y enseñarla á los demas. Mas como trata de materias pertenecientes al cristianismo se ve obligado mas que ningun otro historiador á animar su narracion con aquel espiritu de sencillez y de candor propio de una religion que renuncia especialmente á lo que solo es por pagana y ostentacion frivola. Mr. Fleuri ha conservado muy bien este caracter en su *Historia eclesiástica*. Al leerle cree uno oir la deposicion de un testigo cuerdo y fiel que refiere con candor y sin preocupacion lo que ha visto, y que por consecuencia lo refiere como ello es en sí. Su estilo tiene algo de aquella nobleza, de aquella uncion que se advierte al leer las historias sagradas. Habla con dignidad de los designios de Dios, y con circunspeccion de sus ministros: vitupera ó alaba con justicia las acciones; y en todo manifiesta un juicio sano, una piedad ilustrada y un corazon recto. (*Batteux*, *Principios filosóficos de la Literatura*; *tom. IV*).

§. 89. *Sebastianus Nanus Tillemontius* ferrea patientia totos quadraginta annos colligendæ materiæ impendit, & tanta cum laude historiam sex primorum seculorum evulgavit, ut omnium seculorum historiam tillemotiana narratione continuata optarunt eruditi [1].

1. Obiit vir doctissimus magna cum pietate anno 1683, in templo monasterii portus regii. sepultus referente Laurent. Berti in Breviario hist. eccles. ad seculum 17 p, m. 334.

§. 90. De Gallis transimus ad Italos. Nemo ibit inficias Italis ingenium illustrandæ historiæ ecclesiasticæ nunquam defuisse; at tales solum materias ab illis solide pertractari, quæ nullum curiæ romanæ detrimentum adferre valent, in ceteris vero curiæ romanæ non faventibus præjudiciis suæ gentis abreptos fuisse, nullo negotio lectores eorum detegunt; præjudiciis autem suæ gentis

sese opponere partim nimium constricta sentiendi libertas, partim proprium quoque commodun eos vetabat. Notabiliores hujus nationis historici sacri post Baronium sunt Carolus *Sigonius*, Ignatius Hyacinthus Amat de *Graveson* Gallo — Italus, in urbe ejusdem nominis prope Avenionem natus, qui Romæ scripsit, Augustinus *Orsi* [1], & Laurentius *Berti* [2].

1. Orsi magnum familiæ S. Dominici lumen, impulsore Benedicto XIV. Pontifice doctissimo historiam ecclesiasticam sex primorum seculorum publicavit, magnum Bossuetum refellendum sibi sumpsit, & Romanis non mediocriter placuit, in collegium cardinalitium assumptus.

2. Laurentius Berti ex Augustinianorum familia theologus percelebris edidit dissertationes historicas in archigymnasio Pisano habitas, at breviarium historiæ ecclesiasticæ nomine suo haud dignum est. Ipse Berti in præfatione sui breviarii, ubi perpendit, quænam historica compendia tyronibus sint utilissima, ita habet: *Petenti, quodnam ex compendiis præferendum existimemus, quid respondendum sit, omnino me latet. Si chronicorum laudavero libros, tabulasque chronologicas, nescio quid ex iis eruere possit discipulus, nisi forte rationem temporum, nudave sive cæsarum, sive Pontificum, sive celebratisimorum virorum nomina, rerumque humanaram vicissitudines, aliaque id genus, quæ aut noscat, aut ignoret, parum sua interesse crediderim*, jam vero si discipuli breviarium Bertianum percurrunt, invenient quidem designatos annos, dies etiam, nomina rerum, & hominum, de historia pragmatica vero, & philosophica prorsus nihil. Accedit, eum opinionibus suæ gentis nimium quantum adhærere.

§. 91. Postquam Gallia tot viros in ecclesiastica historia celeberrimos protulisset, nemo unus adhucdum in Germania catholica inveniebatur, qui excellentis historici nomen consecutus fuisset. Rationem hujus si quæris, duas mihi invenise videor. Gallis impune licuit jura Principum circa sacra defendere, inmoderatæ potestati pontificiæ se opponere, abusus & defectus disciplinæ ecclesiasticæ indicare, quod Germanos Catholicos constricta nimium sentiendi libertas facere vetabat. Huic accedit, Catholicos cum Protestantibus aut permixtos, aut iis vicinos disputationibus polemicis omne fere tempus insumpsisse, & quod si etiam Protestantes armis ex historia petitis eos aggrediebantur, honori ecclesiæ se haud bene consulturos putabant, si Baronii vestigia desererent [1].

1. Inter historicos Catholicos recentissimos in Germania principem tenet locum *Schidius*, quem consecutus est opere inscripto: *Historia de Alemania*. Non is ergo sunt, qui famam viri doctissimi meis laudibus augere valeam. Opus ob nexum, quem historia Germanorum cum historia ecclesiastica habet, iis quaque perutile, qui historiæ ecclesiasticæ dant operam.

§. 92. Protestantibus, & Reformatis sui erant historiæ ecclesiasticæ cultores & numero, & eruditione non pauci; nam post tentatam a Luthero reformationem asseclæ ejus objecerant, nos Catholicos Christum memoria nostra delevisse, ut ejus loco adoremus sanctos, religionem nostram in nullo alio consistere, quam ceremoniis externis, cultu imaginum, peregrinationibus religionis quam

causa susceptis, totum ædificium fidei, ac disciplinæ nostræ in utilitatem religionis ministrorum erectum fuisse, quarum objectionum fundamenta ex historia ecclesiastica hauserunt. Doctissimus *Melanchton* se in excolenda hac scientia ducem præbuit, ex cujus schola prodierunt Mathias *Flaccius*, & Martinus *Chemnitius*.

§. 93. Flaccius Illyricus centuriatoribus Magdeburgensibus se præbuit ducem, & ingenti cum applausu a theologis suæ ecclesiæ exceptus est. Lucas Osiander ejus epitomen confecit, additis historiæ tribus seculis. At utut laudis multum Flaccius cum sociis promeritus est, nævis tamen centuriæ non paucis scatent, quos nec ipsi Protestantes dissimulant; nam, ut cetera prætercam, scripta supposititia, dubia, depravata pro genuinis, certisque usurparunt, sed simul ingenue fatendum, plures ejusmodi nævos conditioni temporum adscribendos esse; scilicet Patrum editiones plerumque erant mendosæ, ipsa scripta non excussa criticorum industria, & manuscripta perquam multa in bibliothecis latitabant [1].

1. Lites *adiaphoristicæ* inter Protestantes ortæ centuriatoribus in perficienda historia impedimentum ponebant; notum est enim, theologos Saxoniæ ex parte Lutheranorum molliorum, seu *Philippistarum* stetisse, at Flaccius cum doctoribus academiæ Jenensis Lutheranos rigidiores sequebatur. Cum jam Flaccius cum sociis theologos Saxoniæ moderatiores vehementer oppugnasset, animorum disjunctio effecit, ut quibusdam historiæ instrumentis in manibus theologorum Saxoniæ existentibus caruerint centuriatores Magdeburgici.

§. 94. Longum nimis, & a scopo scriptionis meæ alienum foret, si omnes, qui ex Protestantium familia post centuriatores Magdeburgenses excolendæ historiæ ecclesiasticæ operam dabant, adcuratius enumerarem [1]. Sufficit meminisse *Moshemii*, *Pfaffii*, ac *Walchii* utriusque patris, & filii. Laurentius Moshemius professor theologiæ Helmstadii, Mariavallensis Abbas, academiæ Gottingensis Cancellarius, a teneris studio historiæ ecclesiasticæ deditus, primus ex sua familia pragmaticam historiam feliciter expressit. Quatuor libros historiæ Moshemianæ vivente, & impellente ipso authore in compendium redegit Jo. Petrus *Millerus* integrum opus Moshemianum vero Chistophorus ab *Einem* germanicum reddidit, notis auxit, & ad sua tempora continuavit, quæ versio tyronibus utilior est, quam opus originale, quoniam stylus Moshemii nimia flosculorum copia plenus ornatior est, quam pro captu plurimorum. Constitutum habebat singulas historiæ periodos filo longiori prosequi . at primam cum absolvisset, reliquas ut continuaret, mors præpediebat. Mathæus Pfaffius cancellarius Tubingensis, & Giesensis superintendens tum de historia litteraria, tum ecclesiastica per ingentem, quam sibi comparaverat, eruditionem optime meritus est, at dictione est durus, longas contorquens periodos. Uterque etiam Walchius Georgius pater, &

Franciscus Georgii filius historicam scientiam non vulgarem sunt adepti.

1. Qui hos adcuratius nosse cupit, adeat Ferdinandi Stöger *Introductionem in hist. eccl.* quo opusculo & ego usus fui; videbit ibidem Cl. authorem satis erudite disserentem de Georgio *Calixto*, Samuele *Schurzfleischio*, Christiano *Kortholto*. Andrea *Schmidio*, Adamo *Rechenbergio*, Thoma *Ittigio*, Christiano *Thomasio*, Gottfrido *Arnoldo*, Augusto *Heumano*, aliisque, nec non de celebrioribus historicis in ecclesia reformata, uti de Joanne *Dallæo*, Gothofredo *Salvasio*, Friderico *Spanhemio*, duobus *Basnagiis* Samuele, & Jacobo, Henrico *Hottingero &c.*

CAPUT QUINTUM

DE

NECESSITATE, AC UTILITATE HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

§. 95. Necessitatem, ac utilitatem historiæ ecclesiasticæ ex fine ejus, ac influxu, quem aut in alias scientias, aut in ecclesiæ bonum habet, metiri debemus. Is vero ejus est finis, ac scopus, ut theologis *necessaria*, ceteris omnibus vero *utilis* sit; nam solidis ostendi potest rationibus, eam in omnes theologiæ partes, in hermeneuticam sacram, dogmaticam, moralem, pastoralem, jus ecclesiasticum &c. tantum habere influxum, ut nulla harum scientiarum sine ope ipsius sat solide addisci queat [1].

1. Ostendi hoc in opusculo, quod inscripsi: *Schema Encyclopædiæ theologicæ, per terras Austriæ hæreditarias theologis primi anni explanandæ*, quo, ne eadem repetam, tyrones remitto.

§. 96. Historiæ civilis, seu profanæ (§. 9.) magnum esse usum, ac utilitatem in promovenda civitatum, seu rerumpublicarum felicitate nemo ibit inficias: *Historiarum ignari semper sunt pueri*, vetus est adagium. (Jo. Andr. Fabricius in hist. litter. P. 1.) *La historia profana es el retrato de los siglos pasados, presentado á los siglos presentes y venideros*; sunt verba Ramleri (*Batteux, obra citada antes: parte III, tratado I, cap.* 3) quod si itaque adeo arctus inter historiam civilem, & ecclesiasticam est nexus, ut illa sine hac manca foret, ac imperfecta, satis adparet, in quanto pretio historiam ecclesiasticam politici quoque ac jurisconsulti habere debeant. Porro non magno opus est acumine influxum historiæ ecclesiasticæ in civilem perspiciendi; nam a tempore Constantini M. imperium Romanum ad formam ecclesiasticæ gubernationis, & vicissim ecclesiasticæ,

diœceses ad formam divisionis imperii Romani multis in rebus sunt accommodatæ, Imperatores in suis legibus non minus religionis, quam rei politicæ rationem habebant, episcopi, & abbates dignitates civiles sunt consecuti, a temporibus Caroli M. Pontificum potestas immodice augeri cœpit. Imperantes civiles quum statuum suorum felicitatem, & civium quietem a Pontificibus sibi justo majorem potestatem arrogantibus perturbari vidissent, iis resistebant, at cum conatibus politicæ romanæ subditorum animis ea opinio implantata fuit, Pontificem infallibilem esse, eique nunquam licere resistere, Imperantium potestas depressa est, eorumque regna a Pontificum arbitrio dependere putabantur. Quo quidem posito nemini dubium esse potest, multa gesta ad historiam civilem pertinentia, nisi historia ecclesiastica in subsidium vocetur, ne quidem intelligibilia esse. A tempore reformationis ad nostram usque ætatem cum viri docti in limites utriusque potestatis civilis, & ecclesiasticæ profundius, ac liberius inquirerent, Principum jura majestatica vindicata sunt, hæc autem omnia, ut recte perspiciantur, ducem se præbet historia ecclesiastica [1].

1. Sit nobis exemplum Germania. Qui nobilissimæ hujus provinciæ statum politicum cognoscere cupiunt, in historia imperiali versati sint oportet; jus enim publicum particulare Germaniæ historiæ imperiali tanquam suo fundamento innititur. Jam vero historiæ imperialis cum historia ecclesiastica tam arctus est nexus, ut sine illa maximæ & præcipuæ revolutiones ignotæ essent, quantas enim, & insignes mutationes in imperio Romanogermanico produxit dignitas Electorum, & Principum quibusdam Germaniæ episcopis, & abbatibus collata ¿quis erat effectus litium de investitura? reservationum, & gratiarum expectativarum a Pontificibus introductarum? Concordatorum Germaniæ? & hæc quidem ante tempora reformationis. Postea vero per pacem religiosam, & Westphalicam novam quasi statum imperii politicum induisse faciem, nemo historiarum peritus ingnorat.

§. 97. At præstantissimum historiæ ecclesiasticæ munus est, quod nos de veritate religionis Christianæ convincat. Quod si fundamenta, quibus veritas religionis nostræ innititur, cognoscere non omnibus æque est necessarium, nemo tamen est, cui non sit utilissimum, quoniam ipso Apostolo docente fidei nostræ obsequium *rationabile* sit oportet (ad Rom. Cap. 12. V. 1.) Quantum vero historiæ ecclesiasticæ in demostranda religionis Christianæ veritate sit pondus, per se patet: nam materia illius est religionis nostræ ortus, progressus, & conservatio. Certa est religionis nostræ *origo*, cum non solum fidelium, sed etiam infidelium testimonia ostendunt, christum ante mille octingentos ferme annos in mundum venisse, *propagatio* ejus fuit divina, ejus *conservatio* nunquam interrupta, siquidem continua doctorum, ac discipulorum successione, per libros a seculo in seculum editos, per traditiones, per concilia in omnibus provin-

ciis celebrata, per ædificia, & templa religionis usui destinata fides Christiana ad nos pervenit. Nihil magis Christianum in fide roborat, quam si eamdem doctrinam quam hodie tenemus, a principio ecclesiæ tot miraculis, & martyriis confirmatam legat. Num fides rationem humanam tantum superans, num doctrina moralis hominum cupiditati tantopere adversa ætatem ferre potuisset, si hominum commentum foret? (Claudius Fleury Diss. 1. in Hist. Eccles.)

EPOCHA PRIMA

A CHRISTO NATO AD CONSTANTINUM M.

INGRESSUS.

§. 1.

Mox post lapsum protoparentum liberator generis humani promissus fuit quidem, at mox a peccato non venit. Rationem hujus congruam profert S. Aug. Tract. 31. in Joan. *Multi dicunt, quare non ante venit Christus? quibus respondendum est, quia nondum venerat plenitudo temporis — — — Per multam seriem temporum, & annorum prædicendus fuit. — — — Diu fuit prædicendus, semper tenendus,* quæ responsio Augustini innititur testimonio Apostoli ad Galat, Cap. 4 V. 4 docentis Christum in *plenitudine temporis* venisse: quod quidem nullum alium facere potest sensum, nisi quod providentiæ divinæ mundum ad adventum Christi *præparare* placuerit.

§. 2. Fuit Christus diu prædicendus, *semper* tenendus (§. præc.) at si semper tenendus fuit, ad providentiam spectabat divinam promissionem venturi liberatoris protoparentibus datam per omnes generationes usque ad ejus adventum conservare, & propagare. Qui in modum, ac *œconomiam*, qua Deus in conservanda & propaganda revelatione venturi liberatoris usus est, indagarunt, totum tempus ab Adamo usque ad Christum in tres divisere periodos, quarum prima (dicta *ante — Abrahamica*) ab Adamo usque ad Abrahamum, altera (*Abrahamica*) ab Abrahamo usque ad Moysem, tertia (*Mosaica*) a Moyse usque ad Christum, sese exporrigit.

§. 3. Oeconomia, qua Deus per adductas tres periodos usus est, talis fuit, ut doctrina, & revelatio venturi Messiæ semper distinctius fuerit evoluta, quo magis adventus ejus appropinquabat. Et in prima quidem periodo nil aliud revelatum fuit, nisi caput serpentis conterendum fore, nondum constabat, ex cujus stirpe Messias sit nasciturus, & quo tempore sit venturus, nec etiam lex scripta data est, quæ promissionem venturi liberatoris contineret, sed orali traditione hæc revelatio ad Abrahamum usque est propagata. Pervenit notitia venturi Messiæ ad omnes fere gentes; nam primi parentes a Deo instructi sunt de exhibendis ei sacrificiis, uti patet ex sacrificiis Abelis, & Caini (Gen. cap. 4.) qui certe sacrificium Deo offer-

re ausi non fuissent, nisi eos primi parentes edocuissent, illa Deo esse accepta. Jam vero sacrificia antiqua fidem in venturum liberatorem præfigurabant (ad Hebr. cap. 11. v. 4.,) itaque erant sacrificia a Deo tanquam medium ordinata, quo revelatio venturi Messiæ conservari, ac propagari poterat, at teste historia usus sacrificiorum per orbem longe, lateque diffusus est, hinc cum usu sacrificiorum simul revelatio de venturo Messia ad omnes fere gentes propagata est. (Vid., si lubet, meam theol. dogm. Tom. 1 Part. 5. cap. 5.)

§. 4. Hominum incuria, & negligentia plerumque fit, ut externis tantum adhærescant missis internis, seu eo, quod caput causæ est. Id ipsum & in sacrificiis, per quæ revelatio de venturo Messia propaganda fuit, factum; nam sacrificiorum usum diutissime retinuerunt, cum vera de Messia doctrina apud plerasque gentes dudum ita oblitterata fuit, ut teste Josepho L. 1 antiquitat. Judaic. cap. 7., grassante fere ubique idololatria, Abrahamus primus ausus fuerit declarare: unum esse Deum omnium rerum opificem. Placuit itaque Dei benignitati promissionem de semine mulieris *clariorem* reddere, ad quod opus Abrahamum elegit, ut pater fieret populi electi, in quo verus Dei cultus conservaretur, & qui esset divinarum promissionum velut depositarius. Ab hoc tempore secunda periodus *Abrahamica* initium ducit, in qua Deus revelavit, ex cujus *semine* nasciturus sit Messias, quod in prima periodo nondum constabat. Promissiones de Messia ex semine Abrahæ orituro renovatæ sunt in posteris ejus Isaaco, & Jacobo, qui insuper vaticinatus est, non auferendum sceptrum de Juda, donec veniat Messias (Gen. cap. 49.) *Circumcisionem* Deus elegit in medium, promissiones Abrahamo factas ad alias propagandi gentes; nam circumcisio non soli Abrahamo, & Isaaco, sed omnibus sive ex Sara, sive ex Agare, seu Cetura oriundis, omnibus porro domesticis ejus, etiam emptitiis, & alienigenis imperata fuit (Gen. cap. 17.) jam vero Ismaelitæ, & Filii Ceturæ longe lateque per Arabiam dispersi fuere, hinc promissiones Abrahæ factæ una cum circumcisione propagari facile poterant [1].

1. Adde magnam fuisse Abrahami apud Gentiles existimationem, ut ostendit Euseb. præparat. Evang. cap. 7. & seq., quod si vero tantam apud Gentiles ob sapientiam suam, rerumque cœlestium cognitionem nactus fuit authoritatem, dubitandum non est, famam de gestis ejus, ac proin & religionem, cui addictus erat, illis innotuise.

§. 5. Quamvis in periodo Abrahamica revelatio promissi liberatoris clarior fuerit, quam in ante-abrahamica, in eo tamen utraque conveniebat, quod orali solum traditione, promissiones divinæ propagari debuerint; at post annos quadrigentos & triginta a promissione Abrahæ facta (ad Galat. cap. 3. v. 17.) sexta die tertii mensis ab

exitu ex Ægypto in monte Sinai deserto Arabiæ loco media inter fulgura, & tonitrua Moysi lex scripta a Deo data est, cujus præcepta ceremonialia Messiam præfigurabant, & hæc tertia est periodos mosaica.

§. 6. Quæ in tertia periodo apta erant propagandi promissionem liberatoris venturi, præcedentes periodos longe superant; nam lex scripta Messiam præfigurans Moysi data fuit peroportuna ad propagandam in alias gentes promissionem venturi Messiæ, siquidem legibus ceremonialibus veluti divortium judaicam inter & ceteras gentes est statutum, quia continebant ritus ritibus ceterarum gentium contrarios. Hoc ipsum autem divortium, seu separatio judaicæ gentis a ceteris medium fuit aptum promissionem Messiæ in ceteras gentes divulgandi: cum enim natura homines ita sint comparati, ut res singulares, & insolitas majori adtentione dignas censeant, quam quotidianas, & vulgares, ritus Judæorum singulares, & in nulla alia gente reperibiles occasionem illis præbere poterant in originem instituti judaici indagandi, atque ita pedetentim in cognitionem tum veri Dei, quem Israelitæ colebant, tum promissi Messiæ venire poterant [1]. Verum & alia insuper de causa leges Judæorum aptum fuere medium propagandi revelationem Messiæ; nam nulla gens adeo culta unquam extitit, cujus leges simul, ac semel latæ fuissent. Prima siquidem rerumpublicarum florentissimarum, uti Græciæ Romæque, incunabula non erant aliæ leges, quam mores, hinc Græcis idem vocabulum *νομος* & *legem* & mores sonat, inde Pindari dictum *νομος των απαντων βασιλεα ειναι morem omnium rerum Regem esse*, sunt secutæ tum leges ad jus publicum pertinentes, mox ceteræ privatum jus spectantem. Ipsæ Minois, Licurgi, Solonis leges correctione indiguerunt, indiguerunt & leges decemvirales; non enim datum est hominibus ad perfectionem ire, nisi per gradus. At in republica judaica omnia statim extitere, eaque ab initio perfecta, nulla lex lata Patrum, aut plebis secessione, aut ab *eventu*, sed uno quasi ictu mosaicarum legum codex extitit legibus, ac ritibus ab aliis gentibus prorsus distinctis. Quidni hoc externas gentes in admirationem rapere, famamque populi judaici divulgare debuit? Accedit leges mosaicas per tot secula, quibus respublica judaica viguit, atque in tot calamitatibus, quibus sæpe percussa fuit, nunquam fuisse antiquatas, cum contra præclarissimarum rerumpublicarum instituta, & leges perpetuæ mutationi obnoxiæ fuerint. Hæ & similes legis mosaicæ proprietates exteras gentes excitare poterant, ut in originem earum indagent, cognoscantque, eas de cœlo datas fuisse, ut enim legum incrementum successivum, earumque breve post tempus mutatio, & variabilitas *humanum* ingenium sapit, ita vice versa earum momentanea, ut ita dicam, existentia, & perfectio, nec non stabilitas, & invariabilitas per plura secula continuata divinam originem indigitat [2].

1. Singulares Judæorum ritus exterorum adtentionem reipsa excitasse, constat testimonio Taciti L. 5. Hist. scribentis: *Moses, quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus, contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos sacra, rursum concessa apud illos, quæ nobis incessa.*

2. Originem legis mosaicæ quasi momentaneam, ejusque per plura secula constantiam, ac invariabilitatem exteris gentibus ignotam non fuisse, inde constat, quia libri Judæorum sacri eis noti erant; Eupolemius enim Moysem, adpellat *τον πρωτον σοφον*, & Strabo L. 2. non solum Moysem, sed & ejus succesores debitis laudibus effert; inde Josephus in proœmio Antiq. judaic. inter alias causas, quibus ad suæ gentis historiam scribendam permotus fuit, hanc adfert: *Accedit, quod & illud mecum etiam, atque etiam reputaverim, quod majores olim nostri exteris sua benigne communicare voluerint, & Græcorum nonnulli res nostras cognoscendi studio flagrarint.*

§. 7. At non solum institutum ac leges Hebræorum, sed etiam alia in periodo mosaica peroportuna erant, quibus populus judaicus apud vicinas æque ac dissitas gentes inclarescere potuit; quo pertinent prodigia per Moysem ab exitu ex Ægypto usque ad tempora Josue patrata, uti transitus per mare rubrum, ac tenebræ tribus diebus continuis Ægyptum operientes; facta insignia reipublicæ judaicæ a Josue usque ad Samuelem, uti bellum a Josue contra Amalecitas gestum, excidium urbis Jericho, transitus Jordanis, & *εποχη* solis, a Samuele usque ad Salomonem, uti ea bella, ex quibus nonnisi Dei auxilio victores rediere Hebræi, historia Davidis funda, & lapide Goliatum vincentis, Salomonis fama tanta, ut Regina Saba ex regione longinqua venerit, ut quæ fama didicit, experientia condoceatur, templum in toto orbe famossissimum, Judæorum per omnes provincias dispersio. Ad hæc Deus suscitavit prophetas, qui Messiæ proprios characteres expresserant, omnia prædixerant, quæ ad illius *nativitatem*, *vitam*, *mortem*, & *tempus*, quod mortem consequebatur, spectant.

§. 8. Ex his jam concludimus, promissionem venturi Messiæ ita fuisse comparatam, ut nunquam non latissime propagari poterat, & ut semper eo clarior fuerit, quo magis adventus ejus appropinquabat; nam in prima periodo promissus tantum fuit, in secunda insuper origo ejus ex semine Abraham, Isaac, & Jacob, nec non tempus adventus designatum fuerat, quibus in periodo tertia accessit lex scripta eum præfigurans, facta multa insignia, & prodigia, quibus notitia ejus ad exteras gentes propagata fuit, prophetarum oracula, promissioque fœderis novi. Inde adparet, Christum in *plenitudine temporis* venisse, & mundum ad ejus adventus fuisse *præparatum.* Ipsi ethnici prophetias, seu prædictiones rerum futurarum contingentium, quæ ab arbitrio hominum non pendent, pro divinitatis nota habuere, quoniam oraculum delphicum, aliaque consuluere. Fuit itaque Christus, ut ait S. Aug. *diu prædicendus*, quoniam, si mox post lapsum protoparentum venisset, omnibus iis prophetiis caruissemus, id est: caruissemus *nota quadam characte-*

ristica, in qua ratio sufficiens continetur, *verum* Messiam cognoscendi.

§. 9. Finis legationis Christi non solum fuit humanum genus a servitute peccati *liberare*, sed etiam *novam* dare legem gratiæ, per mundum universum *propagandam*; hinc ut in plenitudine temporis venisse dici queat, non suffecerat ad adventum illius tanquam *liberatoris* præparatum fuisse mundum; nam placuit insuper providentiæ divinæ mundum præparare ad adventum Christi tanquam *legislatoris*, & *doctoris* generis humani, siquidem tali natus est tempore, quo genus humanum vel maxime doctore, & medico spirituali *indigebat*, & quo facillime nova ecclesia ab eo instituenda longe lateque *propagari* poterat, quod ut perspiciatur exponendum est, quis tempore Christi nati Romanorum, & Judæorum fuerit status tum politicus, tum ecclesiasticus?

§. 10. Alexander M. in Græcorum scientiis a celebri philosopho Aristotele instructus victricia sua arma, & cum his philosophiam Græcorum ad Indos, & remotissimas Asiæ provincias tulit, qua de causa id laudis Principi huic tribuendum esse quidam existimant, cum hunc in finem universum orbem subjicere intendisse, ut populos a barbarie, & ignorantia liberare, iisque suaviter, ac humaniter imperare queat, verum sive jam hic bellandi fuerit finis, sive famæ, & gloriæ aviditas, attamen certum est, ejus exercitum ab ortu usque ad occasum viam adperuisse, qua scientiæ propagari poterant (*Año cristiano ó Siglo cristiano del abate Ducreux*). Apud Romanos post excidium Carthaginis philosophia cum musis amænioribus excoli cœpit, qui postquam universi fere orbis Domini facti fuerunt, populis devictis artes suas, ac scientias communicarunt, easque propagarunt, summum vero eruditionis fastigium Romani tempore Augusti adepti sunt.

§. 11. Venit Christus tempore Augusti, id est, sagacissimo, ac eruditissimo, si quod unquam fuit, romani imperii seculo, præclarissimis scriptoribus abundanti, quod quidem duabus ex rationibus ad propagandam facilius evangelii doctrinam multum contulerat; nam per culturam scientiarum orbis *præparandus* fuit, quo idololatriæ ineptias, & polytheismi repugnantiam ac unius Dei existentiam perspiciat, quod fundamentum est veræ religionis. Secundo id quoque emolumenti inde enatum est, quod Christus prodigia sua patraverit seculo sagacissimo, quod imposturas a veris prodigiis discernere valebat. Pone enim, illum eo venisse tempore, quo orbis densissimis ignorantiæ tenebris involutus fuisset, ad nostram usque diem infidelibus occasio adesset religionem christianam eo sub prætextu cavillandi quod Christus homines rudes deceperit, præstigia, & imposturas pro miraculis venditando.

1. La mezcla de la filosofia de los Griegos con la de los Orientales y de la India, no solo condujo á los hombres al conocimiento mas puntual y evidente de las causas primeras, y del sistema admirable de la naturaleza, sino que tambien dió otras ideas mas claras, y preparó los ánimos con el conocimiento de diferentes verdades para ver lo absurdo del politeismo, y este primer paso contribuyó mucho á la propagacion del evangelio. (*Año cristiano*)

§. 12. Roma Christo veniente non tantum supremum eruditionis fastigium est adepta, sed etiam totius fere orbis domina erat. Hæc imperii romani amplitudo licet multas pro se traxerit calamitates, eo quod procerum injustitia, & ditescendi libido bonis populum spoliabat, & quod Romanorum cupiditas non tantum parta tuendi, sed etiam amplificandi tum numerosos in provincia exercitus exigebat, tum perpetua fere bella ciebat; attamen multas simul secum ferebat opportunitates; nam primo multæ nationes moribus, & linguis dissonæ inter se arctius conjungebantur; secundo aditus ad remotiores gentes facilior per Romanos adperiebatur; tertio qui feris antea, & agrestibus erant moribus, & mansuetudine paulatim mitescebant; quarto artes humaniores, & philosophia per incultos antea populos fundebantur, quibus ex rebus Apostoli multum utilitatis ad munus suum obeundum ceperunt [1].

1. Origenes L. 2. contra Celsum pag. 79. edit. Cantabr: La providencia ha buscado un punto de vista en esta gran revolucion, que por todas sus circunstancias ofrecia muchas ventajas . . . Las religiones antiguas del paganismo eran desde mucho tiempo objeto de la burla de las personas sensatas, y de la indiferencia y aun menosprecio del pueblo mismo, en especial desde que los Calígulas pretendieron los honores divinos . . . Por razon del comercio y otras relaciones políticas estaban todas las partes del mundo entonces civilizado en comunicacion tan continua y mútua que cualquier conmocion en un punto se comunicaba a los demas; y cuando ahora el misionero tiene que aprender las diferentes lenguas de los pueblos, en aquel tiempo los apostoles solo con su griego eran entendidos desde el Ganges hasta el Ebro. (*L. T. Spiteler en su ensayo de la historia de la iglesia* §. 3.) Tempore Christi nati templum *Jani* clausum, nec usquam in orbe terrarum bellum fuisse gestum post *Orosium* haud pauci existimant. Alii id unum admittunt, eam, qua Christus natus est, ætatem, si cum superiori conferatur, pacis plenam vocari posse.

§. 13. At non obstante scientiarum, & præsertim philosophiæ ab Alexandro M. usque ad Augustum propagatione inter omnes populos (solis Judæis exceptis) idololatria, & polytheismus religio erat dominans; nam quamvis unius supremi Numinis cognitio non prorsus fuerit extincta, consentiebant tamen populi omnes (exceptis Judæis) singulis provinciis, & populis numerum quemdam Deorum præesse, quos homines variis ceremoniis placare, & sibi devincire oporteat, hosque Deos sexu, potentia, natura, & muneribus multum inter se distare putabant [1].

1. Plerique omnium populorum Dii heroes erant antiqui, Reges, Duces, conditores civitatum, fœminæ item præclaræ gestis celebres. His hujus universi entia nobiliora, & præprimis corpora totalia adjungebant, in quibus quoniam sol, luna, & stellæ fixæ eminent, hæc omnes fere gentes adorasse certum est.

Nonnulli montibus etiam, fluviis, arboribus, terræ, mari, ventis, immo morbis, & vitiis, aut potius Numinibus, quæ his præsidere rebus putabant, divinos tribuere honores.

§. 14. Hæc tamen Deorum, religionumque diversitas nec bella, nec inimicitas inter populos (si ab Ægyptiis forte discesseris) concitabat, nec est, cur hanc aliquis tolerantiam magnopere demiretur; nam qui orbem terrarum non secus ac magnam, seu unicam civitatem spectant in diversas divisam provincias, quibus singulis certus Deorum numerus præsit, illi ceterarum gentium Deos aspernari, & alios ad suos Deos colendos cogere nequeunt. Et Romani in specie, etsi publicam religionem vel mutari, vel augeri nollent, liberam tamen civibus facultatem concedebant, peregrina numina, in quorum cultu nihil esset bono reipublicæ adversum, variis ritibus colendi [1].

1 Cornel. a Bynckershoek de cultu peregrinæ religionis apud Romanos, quæ in opusc. ejus Lugd. Batav. 1719 quarto loco posita est.

§. 15. Romanorum religio una cum armis eorum magnam orbis terrarum partem pervasit, quare in provinciis romanæ ditioni subditis novum quoddam religionis genus sensim nascebatur, ex antiqua populorum religione, romanisque sacris conflatum; nam quum hæ gentes, antequam a Romanis vincerentur, propiis Diis, & ritibus uterentur, victores victis paullatim persuadebant, ut ex sua disciplina multum receperint. Cum enim Romanorum religio cum forma regiminis tam arcte connexa fuerit, ut una sine altera vituperari haud poterat, putabant Romani, si gentibus victis religionem suam persuaserint, eas quoque imperium Romanorum æquum habituras.

§. 16. Reliquæ religiones tempore Christi nati existentes, quæ nobilitatem quamdam inter ceteras consecutæ sunt, in duas classes apte possunt distribui; aliæ sunt *civiles*, aliæ *militares*. In priori classe plerarumque gentium orientalium, Persarum imprimis, Ægyptiorum, Indorum religiones poni debent: quas qui attentius expenderit, animadvertet facile, eas ad civitatis salutem, virtutumque civilium incrementum unice adcommodatas fuisse. Ad alteram classem populorum septentrionalium religiones referendæ sunt, quidquid enim de Diis, eorumque cultu inter Germanos, Britanos, Celtas, Gothos, & aliorum traditum fuit, id aperte ad fortitudinem, ferociam, vitæque contemptum gignendum comparatum est [1].

1 Erat gentilium cultus vel *publicus*, cui omnibus integrum erat interesse, vel *occultus*, inter gentes præcipue orientales, ad quem perpauci admittebantur. Qui reconditis sacris initiari volebant, fidem antea, & patientiam ceremoniis molestissimis peractis probare debebant. Initiatis nisi summo periculo vitæ exponere se vellent, eorum, quæ viderant, manifestare nil licuit.

§. 17. Universa vero hæc religio, tantum abest, ut quidquam ad virtutem valuerit, ut plerique potius, quod vel ex *Juvenale*, *Persio*, & *Luciano* constat, flagitiosissime vixerint. Testantur etiam ludi gladiatorii, puerorum amores, & sexcenta alia impune commissa flagitia [1].

1. Dii, Deæque, quibus sacra publice fiebant, insignium potius scelerum quam virtutum exempla suppeditabant; nam fecere Jovem puellarum raptorem, Mercurium latronem, Martem adulterum, Venerem meretricem &c., potentia nimirum, & immortalitate tantum Deos hominibus superiores putabant, reliquis vero rebus pares.

§. 18. Qui sapientiores inter gentes erant, his malis mederi non poterant, quamvis enim nulla gens viris sapientibus prorsus caruisset, & seculum Augusti sagacissimum, ac doctis fertilissimum fuerit; attamen alii malis his occurrendi *voluntate*, alii authoritate, & *facultate* destituti erant [1], aliis alia obstabant, id quod ei, qui veterum philosophorum scita perspecta sunt, non obscurum est. Qui enim cogitat, Academicorum placita pietatem plane sustulisse, *Stoicos* item, & *Platonicos* veritatem multis ineptiis deformasse, is facile perspiciet, genus humanum doctore, & medico *spirituali* vel maxime indiguisse (*Scriptores historiæ philosophiæ apud Cudworthum.*). Itaque ex hoc quoque capite Christus in *plenitudine* temporis venit [2].

1. Quamquam sapientiores deformitatem harum religionum perspexerint, iis tamen duo callidi sacerdotes opponere solebant: primum *miracula*, quæ ad statuas Deorum facta esse, & quotidie fieri prædicabant, dein *oracula*, quibus futura prædici a Diis asseverabant. In utroque puncto versutia sacerdotum populum improbe deludebat, neque hoc viros sagaces fugiebat. His vero si salvi esse vellent, caute, ac inter privatos parietes ridendum erat; Sacerdotes enim violatæ majestatis Deorum apud superstitiosam plebem accusare solebant, qui fraudes eorum aperiebant.

2. "Deus spectare voluit tempus; quo actis radicibus inimici opera peccatum „omne pullularet, ut sic radici securim admoveret, sicut peritus medicus tum „demum artem suam adhibet, quando jam totus patefactus est morbus." (*Greg. Nyss. orat. de nativit. Christi.*) Contemnunt multi religionem christianam, nescientes, se illi omnia, quibus fruuntur, bona debere.

§. 19. Haud multo melior *Judæorum* erat conditio, quam ceterarum gentium; nam primum eos miram in modum vexabat Herodes, post mortem hujus tyrani divisio Palæstinæ inter tres ipsius filios Archelaum, Antippam, & Philippum infinitas Judæis molestias peperit, quas publicanorum avaritia, & procerum flagitia in dies augebant (*Josephus Flavius.*) sed ex altera parte status Judæorum politicus tempore Christi nati in tantum faciliori evangelii propagationi favebat, quod sacerdotes, quorum conatus legis novæ progressus retardare poterant, non am-

plius sui fuerint arbitrii, sed romani consulis authoritatem venerari cogerentur [1].

1. Los sacerdotes de quienes mas se podia temer la oposicion á la nueva doctrina, no eran dichos absolutos de hacerlo, sino que tenian que obedecer á los gobernadores romanos (*L. T. Spittler*).

Status Judæorum ecclesiasticus Christo veniente valde erat corruptus tum in plebe, tum in doctoribus. Errores toti genti judaicæ communes hi erant: α Omnes liberatorem sperabant, non talem, qualem Deus promiserat per prophetas, sed strenuum bellatorem, publicæque libertatis vindicem. Omnes β essentiam religionis ritibus a Moyse præscriptis, externisque quibusdam officiis erga cives contineri putabant. Omnes γ reliquas gentes spe salutis obtinendæ excludebant; ideoque inhumanos se illis, ac infestos quavis data ocasione prebebant.

§. 21. Doctiores Judæorum in varias scissi erant sectas. Nobiliores has inter erant *Pharisæi*, *Sadducæi*, & *Esseni*, qui de maximi momenti quæstionibus inter se dimicabant. Fons errorum præcipuus fuit immoderatum eorum erga orientalem Philosophiam studium, cujus filia est Cabbala [1].

1. De la mezcla de la filosofia de los Griegos con la de los orientales, nació el platonismo moderno, la teocracia y el politeismo mas ilustrado. Los Judíos adoptaron tambien esta nueva doctrina y de la mezcla que hicieron de ella con las verdades de su religion, nacieron las sectas tan conocidas de los Fariseos, Saduceos y Esenos (*Ant. Cristiano t. 1.*). Nomen Pharisæorum est a *Pharas segregavit*; Sadducæorum a vocabulo *tsedech* significante *justitiam*.

§. 22. Disputabant hæ sectæ (quamvis se mutuo tolerarent) primum de ipsa *lege*. Sadducæi præter legem scriptam nihil pro fidei, & actionum regula admittebant, Pharisæi, & Essæni majorum traditionibus eamdem, quam legi scriptæ tribuerunt authoritatem: dein etiam de *sensu* legis disputabant. Sadducæi fas esse negabant a verborum potestate recedere, Pharisæi duplicem in sacra Scriptura sensum quærebant, verborum unum, alterum rerum: dissentiebant denique de statu hominis post hanc vitam. Pharisæi aliam [illegible] vitam, Sadducæi animam cum corpore interire, Essæni denique animæ soli præmia, & pœnas decernebant [1].

1. Essæni [illegible] in Palæstina erant communiter viventes, bonorumque communionem [illegible]. Therapeutæ illi vocabantur, qui vitæ contemplativæ dediti erant: plurimi horum in Ægypto, & Alexandriæ vicinia degebant, unde aliquando ab Essæis dignoscebantur, quibus in sola Palæstina [illegible] vita [illegible] erat ([illegible]). Qui ad Essenorum familiam [illegible] Therapeutas referunt, Essenis in [illegible], & [illegible] [illegible] (Mosheimius) immo sunt, qui velint Philonis Therapeutas christianos fuisse, monachorum nostrorum antesignanos.

§. 23. A Judæis separati erant Samaritani in monte *Garizim* sacrificia offerentes. Horum religio illa Judæorum nihilo melior, immo deterior erat cum veris Judæorum dogmatibus paganismi errores addiderint, in eo tamen sapientiores, quod Messiam non bellatorem, sed doctorem sperabant. (*Carpzovius.*)

§. 24. Tot tamen haud obstabant vitia, quo minus universe ingens studium erga legem mosaicam Judæi profiterentur, neque dubium est, quin Synagogæ, & Scholæ per universam Palæstinam extructæ multum contulerint ad legem inviolatam conservandam. Nulla etiam fere erat alicujus nominis provincia quin magnam Judæorum copiam aleret, id quod singulari numinis providentia contigit, tum ad redarguendam illorum exemplo gentium superstitionem, tum vero ad viam christianæ religioni quodamodo sternendam (*Moshemius*); Judæi enim sacri codicis custodes tenaces testes erant gentilibus, prophetias de Christo haudquaquam ab evangelii prædicatoribus recenter confictas fuisse, sed multis seculis ante ejus adventum extitisse [1].

1. Era opinion generalmente extendida en el Oriente que pronto vendria á la especie humana un Redentor prometido, y esta opinion era comun en todas las naciones que componian el dilatado imperio romano; pero habia echado mas profundas raices entre aquellos que estaban en proporcion de mantener comunicacion con los Judíos, los cuales la han dejado en las regiones de los mares del Asia, y en los paises orientales de Europa. (*Año cristiano*).

§. 25. Tanti humani generis morbi cum divino indigerent medico, & mundus ad adventum ejus satis erat præparatus, tandem extremis Herodis M. temporibus Dei Filius a tot seculis prædictus & expectatus nasci voluit. Diu multumque a chronologis disputatum jam fuit, quo anno Christus in lucem editus sit. Communior est sententia, id contigisse Augusto Romanorum Imperatore, & Herode alienigena Rege Judææ anno a creatione mundi 4000, urbis conditæ 749, Olympiadis 139 anno 4 *Augusto* XII. & *L. Cornelio Sulla Coss* [1]. Antiquissimi quoque christiani diem nativitatis Christi ignorabant; alias namque festum nativitatis Christi non minus, quam festum resurrectionis celebrassent, at constat festum nativitatis serius, quam resurrectionis, & pentecostes institutum fuisse, non enim ante seculum quartum universaliter introductum fuit [2].

1. En los primeros siglos se seguia el cómputo pagano, hasta que Abad Romano Dionisio el exiguo empezó á contar los años desde el nacimiento de J. C., lo que se hizo despues general, aunque con algun error; pues lo mas verosímil es que el Salvador nació el año 749 de la fundacion de Roma, y en tal caso seria menester añadir 4 años al computo comun de Dionisio. (*Moshcim*).

2. Clemens Alexandrinus *L. I. stromat.* nonnullas suæ ætatis opiniones recenset, quorum alii Christum natum ponunt die 20. Aprilis, alii 20. Maji. Epiphanius

hæres. 51 scribit, Christum natum fuisse die 6 Januarii, ideoque in ecclesia orientali hac ipsa die celebratum olim esse ex antiqua traditione Epiphaniam simul, & Nativitatem Christi adfirmat Cassianus *collat.* 10. *cap.* 2. Jos. Scaliger eum natum contendit exeunte Septembri, vel ineunte Octobri. Dissensionis tantæ origo inde repeti potest, quia forsitam primi christiani aut putabant eventum adeo celebrem, memoria alioquin nunquam delendum scriptis consignare supervacaneum esse, aut si etiam consignassent, injuria temporum monumenta hæc perire poterant.

§. 26. Vitam Christi, quam in terris transegit, commode dividere possumus in vitam *publicam*, & *privatam*. Vita privata a nativitate usque ad tempus, quo publicum ministerium, & munus legationis suæ inchoavit, se extendit, tempus reliquum ad ejus mortem usque vitam publicam comprehendit. De vita ejus privata pauca scimus. Dum duodecim esset annorum, cum parentibus suis juxta legem Deuter. cap. 16. Hierosolymam dum ascendisset ad diem solemnem paschæ, inventus est in templo sedens in medio doctorum (Luc. cap. 2). Ab hac ætate usque ad annum 30, quo baptizatus est (Luc. cap. 3. v. 23.) altum in evangeliis de Christo est silentium. Unde quæ in apocryphis de infantia Christi, & aliis de ejusdem adolescentia libris historiæ narrantur, fidem haud merentur. Præcipua vero Christi gesta ad vitam ejus publicam spectantia Evangelistæ consignarunt, qui præscindendo, eos spiritu sancto fuisse inflatos, etiam qua scriptores profani spectati plenam merentur fidem (§. 35. 36. 42. Prolegom.)

§. 27. Gesta vitæ publicæ tanta, ac tam præclara erant, ut doctrinam ejus non tantum magna Judæorum copia ut veram receperit, sed fama ejus, etsi Judæa numquam sit egressus, mature ad alias etiam gentis manaverit [1], quæ cum audirent, viderentque principes sacerdotum, & seniores populi, commodis suis metuentes, consilium de eo occidendo inierunt, eumque qua populi seductorem flagellatum antea [2], & variis contumeliis affectum in crucem agi jubebant.

1. Sunt, qui tradunt, *Abgarum* Edessæ Regem, gravi ex morbo decumbentem auxilium ab eo per litteras petiisse, Christumque homini, missa simul imagine, respondisse; at quamvis hæc epistola ob Eusebii assertionem L. 1. Hist. Eccl. cap. 13 propugnatores habuerit complures, hodie tamen ut supposititia rejicitur (vid. Laurent. Berti, qui de hac epistola in utramque partem disputat L. 29. de discipl. theol. cap. 6 num. 4).

2. Sunt, qui flagellationem illam non adeo diram, & cruentam, ut communiter tradi solet, fuisse dicunt; affirmant enim Jesum ab uno duntaxat lictore flagellis cæsum, quoniam Romanorum jure unicus tantum verberandi ministerium obibat, juxta formulam illam juris: *I, lictor, alliga manus, caput obnubito, virgis cædito.* Addunt Pilatum indixisse, ut Christus flagellaretur ad correctionem: *emendatum ergo illum dimittam* (Luc. cap. 23). Producunt & legem Deuteron. cap. 25, ut servaretur plagarum modus, ne numerum quadragenarium excederet, quam legem ætate quoque Christi servatam testatur Paul. II ad corinth. cap. 11. Contrariæ opinionis patroni respondent, dato: quod aliquando

lictor unus plagas infligeret, cum fustuarium pars erat extremi suplicii; fustigatio tamen ex Polybio L. 6. & Sigonio de antiq. jure Roman. L. 1. cap. 16, ac pariter castigatio servorum peragebatur ad nutum Tribuni, vel Præsidis, interdum ab universis militibus: ita ut complures verberum immanitate interierint teste Ulpiano. Verum tacente scriptura hac de re nil certi erui potest.

§. 28. Tertia die propria virtute a mortuis surrexit. Custodes sepulchri summis sacerdotibus resurrectionem ejus annuntiarunt. Timentes Pharisæi, ac principes sacerdotum, ne hoc miraculo numerus in Christum credentium augeatur, corruptos a se sepulchri custodes, excubiasque militares in vulgus spargere jubebant, corpus a discipulis Christi ipsis dormientibus de nocte clam e sepulchro ablatum fuisse, at vero prætextus iste nihil obfuit, quo minus Christi resurrectio pro miraculosa habita sit [1]. Redivivus Christus per dies 40 adhuc in terris versatus sæpius videndum se præbuit non universæ multitudini, sed suis tantum amicis [2], in mysteriis religionis novæ eos amplius erudiens, quibus elapsis cernentibus discipulis in cœlum elevatus est.

1. Fieri minime poterat, ut discipuli corpus abstulerint, quin custodes excitati fuissent, magnus enim lapis super monumentum positus erat, qui sine strepitu dimoveri non poterat. Sparsum hunc de ablato ex sepulchro Christi corpore per populum rumorem Apostoli egregie refutabant prædicando per universum orbem, Christum resurrectionem suam prænunciasse, & promissis stetisse. Si [illegible] si Christus promissionem suam non implevisset, ipsi vero mortem potius obiissent, quam de resurrectionis miraculo tacuissent. (§. 36. Proleg.)

2. Christus se inimicis suis non ostendit, quia apud illos, qui non crediderant miraculis in vita gestis, etiam miraculo resurrectionis nihil profecisset, præsertim cum tunc temporis communis inter Judæos, & Romanos fuerit opinio, animas defunctorum per artem magicam posse evocari, quod ipsum ab uno Christi discipulo artis magicæ perito factum fuisse, senatui populo persuadere potuissent.

EPOCHÆ PRIMÆ
SECTIO PRIMA
DE
FATIS ECCLESIÆ EXTERNIS.

CAPUT PRIMUM
DE
FATIS ECCLESIÆ PROSPERIS.

§. 1.

Nova religio, quam Christus legi mosaicæ a se abrogatæ substituit, per universum mundum fuit propaganda. Christus ipse Judæam nunquam est egressus, alios itaque in his adhuc dum terris degens numero duodecim elegit, quibus in mandatis dedit, doctrinam ab ipso traditam per universum mundum prædicare. Duodecim hos a Christo vocatos *Apostolos* nominare solemus (ad ἀποστέλλω *mitto*, *ablego*). Præter hos assumpsit alios 72, quos binos ante se in omnem civitatem, quo ipse erat venturus misit, qui Judæorum animos ad ipsum audiendum disponerent [1].

1. Marc. Cap. 3 V. 14. Luc. Cap. 6. V– 13. seq. Cap. 10. V. 1. seq.

§. 2. Post Christi ascensionem Apostoli Hierosolymam reversi sunt gaudio repleti, ascenderuntque in cœnaculum ubi post passionem congregati fuerant. S. Petrus proposuit eligere alium Apostolum, qui Judæ proditori surrogaretur. Duo præsentabantur Josephus *Barsabas* dictus justus, & *Mathias*. Cum orassent ad Deum, ut ostenderet, quem elegisset, sortes missæ sunt, & cecidit sors super Mathiam. (Act. Cap. 1) [1]

1. Quia Christus ipse suo nutu Apostolos ceteros elegit, visum ipsis est, vacuum tunc Apostolatum implendum non esse nisi ab eo, quem Deus solus designavit, quod quidem imitari in episcoporum electione non licet, quia ex speciali Dei inspiratione, quæ regulam non constituit, factum est.

§. 3. Die Pentecostes cum omnes discipuli essent in eodem loco, hora tertia (id est nona matutina), Christus spiritum sanctum ante sui ascensum ipsis promissum super eos effudit (Act. Cap. 2.), qua illi cælesti illuminatione accepta primum omnem in rebus divinis ignorantiam amittebant, secundo omni deposita formidine ad Christum intrepide prædicandum inflamabantur. Accedebat his animi dotibus tertio donum linguarum [1], quarto miraculorum.

1. Disputare quidam solent, num Apostoli reipsa diversis linguis loquebantur? Si enim unus, idemque Apostolus prædicavit multitudini ex hominibus diversarum nationum, & idiomatum collectæ, & tamen ab omnibus auditoribus intelligebatur, non loquebatur diversis linguis in sensu stricto, sed sonus articulatus *idem* ab eo prolatus in audientibus easdem ideas excitavit, quæ cum vocabulis linguæ cuivis audientium vulgari connexæ fuere. Sed istud etiam facile perspicitur, quidquid ex his factum fuerit, neutrum absque miraculo fieri potuisse.

§. 4. Apostoli spiritu sancto repleti in urbe Hierosolymitana Christum prædicare cœperunt. Populi, qui undique ad diem festum Hierosolymam confluxerant, adcurrentes circumstabant. Erant ibi ex omnibus mundi nationibus, sed omnes religione Judæi aut nativitate [1], aut proselyti, veniebant autem peregrini ad festum eo anno copiosiores, quam alias [2]. Hi populi ex tot nationibus mixti in stuporem rapti sunt, cum Apostolos omnes *Galilæos* linguam, quæ cuivis eorum propria erat, loquentes audierint. Aliqui tamen ex præsentibus ob confusum sermonem eos ebrietatis arguebant, quos confudit S. Petrus dicens: *non sunt isti ebrii, ut vos cogitatis, cum non sit nisi hora diei tertia*; [3] sed spiritus sanctus effusus est super eos juxta prophetiam Joelis. Dein cœpit illis prædicare Christum; tria hominum millia hac vice baptizata discipulorum numerum auxere, atque istud primum est initium plantationis ecclesiæ post Christi ascensum ab Apostolis peractæ. (Act. Cap. 2).

1. Nam Judæi a tempore captivitatis Babilonicæ per totum orientem fuerant dispersi. & post eversum ab Alexandro Persarum imperium in omnibus Macedoniæ provinciis hæserunt.

2. Venerant copiosiores, quia persuasum sibi habebant, Messiam adpariturum Quippe secundum prophetias. præsertim Danielis, constabat, ejusdem tempus esse completum: hæc erat totius orientis tunc opinio.

3. Non enim erat in more apud Judæos manducare diebus festis ante preces matutinas peractas, id est, horam sextam, aut meridiem.

§. 5. Non diu post Petrus cum Joanne in templum ascendens

a nativitate claudum quadragenario jam majorem sanavit. Omnis populus ad hoc miraculum concurrit, Petrus inde nactus est occasionen Crhistum predicandi, & tum quinquies mille hominum fidem susceperunt. (Act. Cap. 3)[1].

1. Judæi rei suæ male timentes Apostolos ob patratum miraculum carcer mandant. Convocato altera die Synedrio Apostoli producti interrogantur. in quo nomine illud patrarint? & Petrus confidenter respondit: *in nomine Jesu-Christi Nazareni, quem vos crucifixistis.* Mirantibus omnibus Petri, & Joannis constantiam illos, eo quod miraculum negari non poterat, nulla pœna imposita dimittunt. (Act. Cap. 4)

§. 6. His plura ab Apostolis patrata miracula accessere, quæ tanta, erant, ut veniente Petro portarint infirmos in plateas ut saltem umbra ejus obumbraret quemquam eorum. (Act. Cap. 5) Hæc causa erant, quod brevi tempore auctus sit fidelium numerus, & Hierosolymis numerosissima ecclesia sit fundata[1].

1. Apostoli fundata jam ecclesia Hierosolymitana per aliquot annos ibidem commorabantur. Causæ hujus istæ sunt: primo quia ecclesiam Hierosolymitanam, ubi prima religionis Christianæ fundamenta posita sunt, ante eorum dispersionem ita instruere, ac ordinare volebant, ut *norma* adesset, juxta quam ceteræ ecclesiæ successive condendæ regulari queant, secundo ut controversias in rebus fidei exortas (qualis erat circa observationem legalium) tanquam judices a Christo constituti communibus consiliis decidere queant, ita successoribus suis exemplum præbituri, quomodo se in decidendis fidei controversiis gerere debeant. *Puede añadirse otra tercera causa. Jerusalem era donde se reunian hombres de todos los pueblos, y donde se juntaban para sus fiestas muchos de los Judios que ahora están esparcidos en varias partes de la tierra.—— ¿qué medio mejor podia darse para defender el christianismo en todo el mundo?* (*Moshein*). Vetus etiam est traditio, Christum præcepisse apostolis, ne intra annos duodecim Hierosolymis excederent. (Euseb. L. 5. Hist. Eccles. cap. 18.)

§. 7. Extra Hierosolymam viventibus adhuc Apostolis plures aliæ, eæque florentissimæ ecclesiæ surrexerunt per *Palæstinam*, Philippus diaconorum unus prodigiis animos Samaritanorum (§. 23. Ingress.) in se convertit, multi baptizati, & tota civitas gaudio repleta. Hinc audientes Apostoli, Samariam recepisse verbum Dei, illuc miserunt Petrum, & Joannem, ut iilis per manum impositionem spiritum sanctum conferant. (Act. Cap. 8)[1].

1. Impositio hæc manuum erat ceremonia a baptismo distincta, quoniam alias Philippus diaconus, qui Samaritanos baptizabat, etiam iis manus imponere potuisset.

§. 8. Addebat sapientia divina illiteratis præconibus virum eruditum, quoniam in infantia christianismi talis videbatur necessarius, partim ut doctrinæ Judæorum resistere, eosque propriis armis adgredi, partim ut etiam philosophos Gentiles refutare possit. Is erat *Saulus* de tribu Benjamin natus in Tarsis Ciliciæ Metropoli, ubi Græcorum scientiæ florebant, quæ ibi sicut Alexandriæ,

& Athenis docebantur. Nemo quidem Saulo magis fideles persequebatur; at cum Damascum ad vinciendos, & Hierosolymam adducendos Christi discipulos proficisceretur, mirabili prorsus modo audita cœlesti voce hebraice sibi dicente: *Saule! Saule! cur me persequeris?* totum Christo se devovit, eumque Dei filium esse, assumpto dein *Pauli* nomine, Damasci in Synagogis statim prædicare cœpit. (Act. Cap. 9.) [1]

1. Ingentes a Paulo pro Christo susceptos labores S. Lucas in actis Apost. recenset.

§. 9 Apostoli munus suum in toto ambitu sumptum non antea noverant, nisi postquam eunuchus Reginæ Candacis, & Centurio Cornelius fidem Christi susceperant: (Act. Cap. 10. & 11.) tum enim intellexerant, nullum inter Judæum, & Gentilem discrimen esse, sed pro omnibus Christum mortuum fuisse; nam Christus in terris degens prohibuit Apostolis extra Judæam ad alios populos docendi causa commeare (Math. Cap. 10. V. 5), at postquam Cornelius jussu Angeli Petrum ad se vocavit, ei se visio cælestis sub linteo variis animalibus repleto objecit, quæ Apostolis significabat, ab illis etiam coram gentibus Christum prædicandum esse.

§. 10. Postquam itaque intra Palæstinam *Hierosolymis*, *Samariæ*, *Cæsareæ*, *Lyddiæ*, *Joppæ* &c. (Act. Cap. 8. 9. & 10.) cœtus christianorum collegerant, ambitum muneris sui perspicientes, de eorum dispersione inter gentes consilium inierunt [1].

1. *Sorte* sibi divisisse provincias. tradit Hier. Comm. in Cap. 35. Isaiæ, confirmatque Socrates L. 1. Hist. Eccles. Cap. 19. At Baronius ad annum Christi 44 non sorti commissam, sed instinctu speciali spiritus sancti divisionem illam peractam fuisse existimat. Utramque sententiam componit Laur. Berti in Brev. H. E., ut sorte simul, & divini spiritus assistentia singulas sibi regiones distribuerint, ne alicujus privatæ affectionis oriretur suspicio.

§. 11. Constat partim ex actis Apostolorum, partim ex eorum epistolis, illos post dispersionem inter gentes erexisse ecclesiam *Romanam*, *Antiochenam*, *Alexandrinam*, *Ephesinam*, *Smyrnensem &c*; at ubinam, & quibus in provinciis singuli Apostoli prædicaverint [1], & qualem quisque mortem obierit [2], minime exploratum est: nam quæ de profectionibus eorum ad Gallos, Anglos, Hispanos, Germanos, Ruthenos &c. passim commemorantur, ætate Caroli M. antiquiora non sunt. (*Fabricius*, *Hartmanus*.)

1. Quamvis ea, quæ de Apostolorum gestis, miraculis, prædicatione, ac morte vulgo narrari solent, incerta sunt, & dubia, attamen ea non penitus rejicienda esse judico, quæ Origenes, & ex eo Eusebius narrat: " Thomas quidem, ut a majoribus traditum accepimus, Parthiam sortitus est. Andreas „vero in Scythiam. Joanni Asia obvenit, qui plurimum temporis in ea commoratus, Ephesi tandem diem obiit. At Petrus per Pontum, Galatiam, By-

„thiniam atque Asiam Judæis, qui in dispersione erant, prædicasse existima-„tur, qui ad extremum Romam veniens cruci affixus est capite deorsum „demisso, sic enim ut in cruce collocaretur, oraverat. De Paulo jam quid „adtinet dicere, qui a Jerosolymis usque ad Illyricum munus evangelicæ „prædicationis implevit, ac postremo Romæ sub Nerone martyrio perfunctus „est; hæc Origenes in tertio volumine expositionum in Genesim dissertis „verbis commemorat. (Euseb. L. 3. H. E. cui consentiunt Socrates L. I. Cap. 19. & Nicephorus L. 2. Cap. 39. seq. nec non L. 3. Cap. I.)

2. Communis est opinio affectos fuisse martyrio omnes Apostolos excepto Joanne, qui Ephesi mortem naturalem obiit; at vero scriptores antiqui nonnisi de martyrio Petri, Pauli, & Jacobi mentionem faciunt. Putant recentiores, opinionem omnes Apostolos martyrio adfectos fuisse, primo post tempora Constantini M. invaluisse. Fors aliqui græcæ linguæ imperiti vocem *μαρτυς*, quæ *testem* significat, quo etiam nomine Apostolos Christus ipse cohonestavit (Act. cap. I. v. 8.) in eo sensu acceperunt, quo nos hodie accepimus, nempe designando eos, qui ob fidem violentam mortem perpessi sunt. Ferme ad eumdem modum, sicut hodie illos sanctos adpellare solemus *confessores*, qui non sustentarunt martyrium, etsi nulla contumelia ob Christum affecti sint; dum tamen in primæva ecclesia illi soli pro confessoribus habebantur, qui quidem ob fidem mortem violentam non obiere, attamen mortis cum periculo, aut bonorum jactura in tribunalibus Ethnicorum Christum *confessi* sunt.

§. 12. Increbuit per Apostolorum prædicationem fama de Christo, ejusque doctrina longe lateque, multi tamen, quibus difficile nimis videbatur, integram Christi disciplinam amplecti, eum summis honoribus affecere, imo ipsis Diis adnumerarunt [1]. Multi pictas Christi imagines, ejusque legatorum cum insigni veneratione domi asservarunt.

1 Ex Imperatoribus Tiberium inter populi romani Deos voluisse Christum cooptare, at senatu resistente haud potuisse referunt Tertullianus Apolog. C. 5 &. Eusebius H. E. L. 2. C. 2. Traditionem hanc fide dignam existimabat Daniel Huetius Demonstr. evang. T. I. prop. 3 §. 22. & Natalis Alexander secul. primo cap. 4: eamdem tamen alii inter tabulas rejiciunt, eo quod nemo præter Tertullianum ejusdem mentionem faciat, & quod Tiberius senatu etiam resistente id facere potuisset; verum si ad fidem unius testis authoritas nunquam sufficeret, cognitionem historicam valde coarctatam haberemus. &, quem do præsumi potest, Tertullianum in *apologiam* rem fictam posuisse? plus enim id suæ causæ obfuisset, quam profuisset. Nec Tiberius resistente senatu id facere poterat, non enim licuit Imperatoribus contemnere senatum, ob metum, ne seditionem in populo excitet. Ceterum resistentia senatus, religioni christianæ valde erat expediens; quod si enim Christus a Tiberio Diis populi romani insertus fuisset, cultus more Ethnicorum ei delatus religionem in sua infantia adulterare, & diversas Christianorum sectas progignere potuisset.

§. 13. Ad quas sigillatim provincias vel in imperio romano, vel extra illud seculo II. notitia evangelii perveniret, veterum monumentorum penuria vetat distincte commemorare. *Pantænus* scholæ Alexandrinæ præfectus Indos cognitione Christi primus imbuit, quamvis hi a *Barholomæo* iam, quod Judæi essent, instituti videntur [1]. (*Euseb. L. 5. Hist. Eccl. cap. 10. Hier. de viris illust. cap. 36*). In Galliam transalpinam, seu Franciam Græci ex Asia venientes, & nominatim *Pothinus* Irenæi, in epis-

copatu Lugdunensi succesor, primum divinam veritatem intulerunt. Plures dein ibidem cœtus cristiani seculo sequenti coaluere opera septem virorum sanctorum, qui *Decio* Imperante eo migrarunt (*Euseb L.* 5. *H. E. cap.* 1. *Mosheim comment. de rebus Christ. ante Constant. M. p.* 208. 450.) Denique seculo II. recentior haud est ecclesiarum in Hispania origo. (*Donnenmary inst. H. E. period.* 1.)

1 Judæorum nomine apud veteres multi populi insigniuntur. Hinc dubium est quinam sint Indi illi quibus Pantænus evangelium prædicavit. Verosimilis admodum est eorum opinio, qui volunt, Indorum nomine hic intelligi Judæos Arabim felicem incolentes, apud quos religio Christiana, ad quam a Bartholomæo adducti fuerint, jam rursus defecerit.

§. 14. Seculo III. Arabiæ partem Origenes emendavit. Gothi Christi notitiam aliquam adipiscebantur. (Mosheim) Ad hanc quoque ætatem referri debent ecclesiarum *Germanicarum* Coloniensis, Trevirensis, Metensis, aliarumque origines, quarum parentes Eucherius, Valerius, Maternus, Clemens, & alii fuerunt (*Honthein Diss. de æra episcop. Trevir.*) In Scotiam quoque seculo III. fidem Christi penetrasse, satis est probabile (*Usserius Britanic. eccl. antiq. Cap.* 15.)

§. 15. At quamvis provincias, ad quas religio Christiana in epocha prima pervenit, distincte enumerare non valemus, supersunt nobis tamen certissima antiquitatis monumenta, quibus stupendam illius propagationem invicte demonstramus. Et quidem quantus Christianorum jam seculo II. fuerit numerus, docet imprimis epistola Plinii ad Trajanum. *Plinius* junior Bythiniæ proconsul, cum tantam ibi inveniret Christianorum multitudinem, ut, quid cum hujus professionis hominibus factu optimum esset, ambigeret, ad Trajanum scribens ait: *Rem consultatione dignam duxi ob ingentem reorum numerum; nam plurimi omnis ætatis sexus, & conditionis periclitantur. Non solum urbes, sed & oppida, & agros hæc superstitio infecit* [1]. Bythinia cum toto imperio romano collata exigua est terræ portio; at si Christiani in parva hac provincia tam numerosi erant, quanta eorum in universo imperio fuerit copia, facile colligimus.

1. Epistolam Plinii ad Trajanum per extensum legere est in H. E. Claudii Fleury. *La carta que Plinio escribió á Trajano es para mi una prueba bastante de la pureza de las costumbres que se admiraba entre los cristianos; pero yo miro este monumento conservado por obra particular de la providencia hasta nuestros tiempos, como el testimonio mas fidedigno que puede presentarse de la admirable propagacion de la doctrina de J. C. en el siglo segundo.* (*Ducreux*).

§. 16. Secundum testimonium de enormiter propagata reli-

gione Christiana sub initium seculi III. habemus in apologia Tertulliani cap. 38. " Hesterni sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum forum: sola vobis reliquimus templa " [1] His addenda multitudo martyrum, concilia, & hæreses hac epocha exortæ, quæ numerosos habebant asseclas, quorum nihil absque insigni christianismi propagatione fieri poterat.

1. Licet forte nonnihil exaggerationis his Tertulliani verbis insit, attamen magnam tum jam extitisse Christianorum copiam dubitare minime licet, quia Tertullianus in apologia fidelium copiam prædicans ipsis plus nocuisset, quam profuisset, si reipsa numerosi non fuissent.

CAPUT SECUNDUM

DE

CAUSIS PROPAGATÆ RELIGIONIS.

§. 17. Causæ propagatæ insigniter in epocha prima religionis Christianæ partim *divinæ* partim *humanæ* erant. Et quidem si *modum* propagationis consideramus, facile perspicimus, eum divinum fuisse; nam tres circumstantiæ in modo propagandi christianismum evolvi debent, nimirum, *qualis* sit doctrina evangelica, quam Apostoli prædicabant, *quales* fuerint illi, quibus prædicata est, *& quinam* eam prædicaverint? Doctrina evangelica fuit nova continens mysteria sublimia, omnem humanam rationem superantia, sensibus ingrata, docens affectus refrænandos, bona terrestria contemnenda esse, at ethnici, quibus Apostoli, aliique evangelium prædicabant, a teneris tali addicti erant religioni, quæ sensibus blandiebatur. Primi evangelii prædicatores in conspectu Judæorum, & Gentilium homines erant rudes, & plebeji, ab omnibus præsidiis humanis relicti. Unde ergo repentina mutatio? quomodo permoveri poterant populi, qui per tot secula idololatriæ tenebris, & licentiosæ vitæ sordibus immersi fuerant, ut majorum suorum mores relinquerent, religionem damnarent, quæ sensibus blandiebatur, & vitæ genus rigidum, & molestum amplecterentur? Inde S. Aug. concludebat: si religio Christi absque miraculis propagata fuisset, id ipsum fuisse miraculum [1].

1. Spurias aliqui cum Hobbesio proferunt propagatæ religionis Christianæ causas; ajunt enim ingentem multitudinem, quæ fidem Christi susceperat, haudquaquam interne de ejusdem præstantia convictam fuisse, sed ex motivo mere temporali eidem nomen dedisse, eo quod Christianorum liberalitas, qua pauperibus succurrebant, multis ignavis, otio deditis spem adferebat, fore ut sine laboribus Christianorum eleemosynis nutriti commodam ducere possent

vitam, si eorum cœtui adscripti essent. Verum si liberalitas erga pauperes pluribus fuisset motivum religionem Christianam suscipiendi, redit quæstio: quam ob causam illi eam amplexi sint, qui se adeo liberales erga pauperes exhibuere? hoc ipso enim, quod multi pauperes neo-conversorum liberalitate sustentabantur, præsupponendum est, multos quoque divites Christo nomen dedisse. Quid, quod otio deditos, quibus vires laboribus se sustentandi non deerant, ex communi oblatorum massa alere prohibuerit Apostolus II. ad Thessal. cap. 3. v. 10. *Qui non laborat, non manducet?* Præterea si ex una parte spes vivendi ex Christianorum liberalitate multos ad fidem in Christum allicere poterat, iterum ex altera parte persecutiones Christianorum illos terrere debuissent, nisi ex altiori motivo superstitionem antiquam abjecissent: ita enim natura comparati sumus, ut egestatem periculo mortis præferamus.

§. 18. At doctrinam sensibus inimicam, omnem rationis vim superantem Apostoli Gentilibus argumentis, & ratiotiniis persuadere non poterant, hinc *miracula* pro argumentis adhibebant, quam vim miracula edendi ad discipulos suos transferebant [1], dona item spiritus sancti *linguarum*, *prohetiæ*, *sanationum* inter fideles minime rara erat (*Pfaner diatribe de chrismat. seu donis miracul. antiq. eccles.*) Legitur quoque, seculo III. haud paucos somniis visisque objectis commotos fuisse, ut repente accurrerent, nomenque inter Christiani discipulos etiam cum sanguinis effusione profiterentur. (*Mosheim.*) Novissimum erat illa mundi ætate martyrium lubenter pati. Græci, Romanique pro patria quidem, sed non pro religione, & solius *veritatis amore* mori poterant. (*Fleury Diss. 2. in H. E.*) Heroes Græcorum, ac Romanorun pro patria mortui sunt, ut sibi nomen immortale inter suos compararent, aut Diis inserantur. (§. 13. 2. Ingress.) at martyres sciebant, se a Gentilibus ut vilissimos spectari homines, nullam itaque ob causam tanta constantia præditi esse poterant, nisi quia luce quadam divina illustrati interne de *veritate* religionis christianæ convicti erant.

1. Miraculis per Christianos patratis adnumeratur a quibusdam miraculum *legiones fulminatricis*. Rem ita narrat Claudius Fleury: Imperator M. Aurelius anno regni sui 14, & Jesu Christi 174 bellum intulit Sarmatis, Quadis, Marcomannis, & pluribus aliis Germaniæ populis. Quadorum dolo in regionem sylvis, & montibus impeditam cum exercitu pertractus est, ubi Romanis æstu solis, & siti fatigatis nec progredi, nec regredi licuit. Porro in exercitu romano magnus erat militum Christianorum numerus, quorum plerique Militina Armeniæ, & ejus ex finibus venerant. Hi genibus flexis opem a Deo imploravere. Coruscantes nubes subito maximum imbrem effudere, Romani mox clypeis, galeisque aqua impletis suam prius, dein equorum sitim levarunt, cumque simul barbari impetum facerent, una manu bibentes, altera se tuebantur. Interim ingenti impetu mixta grandinibus fulmina ruebant in barbaros, quo facto exercitus partim prostratus, partim fugatus est. Cohortes Christianæ, quæ imbrem a cœlo impetrarent aut ipse nomen *legionis fulminatricis* tulerunt, aut ei legioni, quæ, ante hoc factum jam, istud gessit nomen, insertæ sunt. Eventum hunc commemorant veteres tum Christiani, Tertull. Apolog. c. 5. Euseb. H. E. L. 5. c. 5., aliique, tum Ethnici, inter quos eminet Dio Cassius L. 71. Horum testimoniis, aliisque argumentis freti multi pluviam illam revera cælitus prodigiosamque fuisse adseverant (*Baron: ad annum 176. Huet ac D[illegible] Evang. prop. [illegible]*) sunt vero alii, qui eventum hunc ad [illegible]. [illegible] plures commemorat Jo. Georg Walchius H. E. N. T. p. 929. seq.; at ve-

ram a veteribus narrari historiam quoad substantiam illud nos non dubitare sinit, quod Gentiles illam pluviam Diis suis referebant acceptam, ut constat ex nummis, & ex sculpta in columna Antonini imagine *Jovis Pluvii* (§. 46 * proleg.), num vero pluvia illa veri nominis miraculum sit, difficilius definitur. Certum est principium cosmologicum, eventum talem miraculis adnumerandum non esse, cujus ratio sufficiens commode ex causis naturalibus, aut ex ordinariis, & statis providentiæ divinæ legibus erui potest. Quid frequentius, quam quod æstivo tempore æstum aliquot diebus perdurantem copiosæ, & repentinæ quasi imbres excipiant? poterat quoque tunc talis jam fuisse atmosphæræ status, ut imbres secutæ fuissent, etsi milites Christiani ea non petiissent flexis genibus. Neque hoc viribus supernaturalibus adscribere cogimur, quod per imbres mixtis fulminibus cadentes exercitus barbarorum profligatus, & dispersus fuerit; nam omnes Germaniæ populi eo tempore putabant, Deos ipsos fulmina vibrare, idque aut pro bono, aut malo habebant omine.

§. 19. Divinas fuisse propagatæ in epocha prima religionis christianæ causas nos etiam impedimenta eidem objecta docent. Si religionem christianam potestates seculares authoritate sua defendissent, ac propagare studuissent, vix, aut ne vix quidem absque divina providentia eorum conatus adjuvante subditis suis eam persuadere potuissent; nam difficillime hominibus *superstitionem* a tenera ætate nutrientibus, & *licentiosæ* vitæ assuetis persuadetur religio sensibus *ingrata*, & mysteria continens omnem rationem humanam *superantia*. Jam vero potestates seculares eam non tantum non defenderant, sed potius extirpare satagebant; at cum nec Imperatores omnibus imperii viribus, nec philosophi argumentis, ac cavillationibus, nec populus calumniis ulteriores ejus progressus sistere poterant, rite concluditur, eam Dei digito sustentatam fuisse.

§. 20. Præter has divinas propagationis causas sunt etiam humanæ, quo pertinent imprimis versiones sacræ scripturæ; nam seculo secundo evangelia, & scripta Apostolorum uno volumine jam comprehenssa, divulgata, & in varias linguas latinam (vulgo italicam) syriacam, ægyptiacam, æthiopicam translata fuerunt, quorum exemplaria inter quamplurimos divulgandi seculo III. omnes conatus adhibebat *Origenes*. Mendacia vero, & calumnias, quibus Christiani lacerabantur [1], diluerunt Apologistæ (de quibus infra) simulque vanitatem, & deliria superstitionis ethnicæ nativis coloribus depinxerunt.

1. Christiani accusabantur *atheismi*, *incestus*, & *cœnæ thyesteæ*, seu comestionis carnis humanæ prout inferius uberius exponetur. Hæ calumniæ contra Christianos sparsæ multos ab amplectenda fide deterrebant. At cum Christiani constantissime bene viverent, & Apologistæ criminationes has diluerent, tandem innocentia tandem malitiam superarunt, quod ad propagandum christianismum non parum contulit.

§. 21. Aliæ propagationis causa erant philosophi, & eruditi homines, qui fidem susceperunt, suisque scriptis, & ingenio religioni præsidio, ac ornamento erant. His jungenda nova Judæorum

calamitas qua primum sub Trajano, dein sub Hadriano affecti pristinis nocendi Christianis viribus privati sunt.

§. 22. Non levem etiam impressionem fecisse videntur copiosa beneficia quæ Christiani suis etiam adversariis, quorum cum religione nil commune habebant, exhibuerunt; durissimi enim cordis Ethnici esse debuissent, si cum eo hominum genere non egissent mitius, quos videbant suis inimicis præstare beneficia, sublevare pauperes, curare ægrotos, captivos redimere, aliaque humanitatis officia obire. Illud vero Ethnicos prorsus in admirationem rapere debebat, quod Christiani tanta fortitudine opes, honores, aliaque terrena despexerint, & tot ærumnas, infortunia, cruciatus, ipsam denique mortem magnanimiter pertulerint; nam illa fortitudo, quæ inter Christianos propemodum erat *vulgaris*, a philosophis Ethnicis virtutum omnium apex, atque adeo *singularis* existimabatur [1].

1. Quid pro apice virtutum habuerint philosophi Ethnici nos docet Plato de Republ. L. 2. „vir *perfecte* justus ille est, qui non bonus videri sed esse cupit, „alias honorabitur, & mercedem referet, eritque dubitandi locus, an justitiam „propter se ipsam amet, vel propter commodum, quod ob justitiam percipit. „Justus itaque ut manifeste probetur bonus, bonis omnibus spolietur excepta „justitia, imo ne quidem bonæ famæ solatio fruatur, sed malus, & impro„bus credatur ab omnibus & tanquam reus flagris cædatur, torqueatur, cruci„figatur, ipse nihilominus usque in mortem justitiam non amittat." Ad hæc omnia etiam *vulgus* Christianorum suo exemplo ostendebat se observare, imo etiam maximos philosophos Ethnicorum superasse.

§. 23. Demum causis propagationis adnumeranda est quorumdam seculi secundi, & tertii Imperatorum lenitas, quæ effecit, ut longe minus mali sentirent Christiani, quam sensuri fuissent, si durioribus Dominis paruissent. Extabant quidem leges in eos latæ, satis quidem iniquæ, modumque in his præscriptum haud raro excedebant magistratus, at his tamen malis medicinæ aliquid fere semper adjunctum erat.

§. 24. Hujus lenitatis exemplum est responsio Trajani ad epistolam Plinii (§. 15.) in qua prohibet in Christianos *inquiri*, aut *libellis in eos sine authore propositos aliquo loco haberi.* Etiam Hadriani Imperatoris epistola Christianis erat favens; nam Serenius Granianus, cum esset Proconsul Asiæ, in animum Imperatoris induxerat, grandi injuria non vacare, ultimæ plebis clamoribus tot innocentum Christianorum sanguinem dari, & homines, quibus nihil criminis, nisi nomen invidiosæ sectæ imponi potest, ad mortem condemnari. Perstrinxit veritas Imperatoris mentem, scripsitque multis provinciarum rectoribus & inter alios Minutio Fundano Asiæ Proconsuli successori Serenii Graniani: *vagas accusationes*, & *solos clamores non audiendos esse. Si quis Christia-*

nos adcusat, eosque contra leges egisse probat, tunc secundum meritum culpæ judica, si quem autem criminari deprehenderis, severe punias, & sollicite cura, ut justitiæ satisfiat. Antoninus quoque Pius aliqua edicta Christianis faventia publicavit, cum plures provinciarum rectores ad eum de Christianis scripsissent; respondit enim, Christianos, si nihil contra bonum reipublicæ molirentur, non esse vexandos. Eadem mandata urbibus nominatim Larissæ, Thessalonicæ, totique Græciæ dedit, imo pœnas etiam in Christianorum adcusatores statuit, alii aliis eos beneficiis adversus hostium injurias muniebant. Quare ad amplissimam multitudinem Christiani seculo II. creverant.

§. 25. Seculo quoque III. non tantum in omnibus ordinibus Christiani tranquile versabantur, verum etiam plerisque sub Imperatoribus nihil religio christiana obstabat, ne quis ad publicos honores perveniret. Habebant Christiani multis in locis domos, ad quas sacrorum causa conveniebant, scientibus, & conniventibus Imperatoribus. Est vero credibile, Christianos hanc sibi conniventiam pecuniis, & largitionibus comparasse.

§. 26. Sub Imp. Alexandro Severo filio Juliæ Mamææ Christiani majori fruebantur libertate, quam sub omnibus Imperatoribus præcedentibus. Hujus autem ratio non tam in mansuetudine Severi, quam in matris ejus erga Christianos propensione est quærenda; nam hæc matrona bonam de Christianis habuit opinionem, & ad se vocavit Origenem, ut ejus doctrinam audiret, unde quidam concludebant, eam fidem in Christum suscepisse, at non habemus sufficientia hoc adserendi motiva [1]. Illud interim extra controversiam est positum, Juliam Mamæam Christianis favisse, ejusque filium consilia matris suæ sequentem Christianis non tantum nil mali intulisse, sed etiam data occasione benevolentiam suam erga Christianos contestatum fuisse, quæ tamen spectatis omnibus non videtur fuisse tanta, ac si religionem christianam ceteris præstantiorem, ac solidiorem existimaverit [2]; ex eorum enim numero, & secta fuisse videtur, qui putabant, unum eumdemque Deum ab omnibus nationibus, etsi diversa *forma*, *modo*, & *ceremoniis* coli; constat enim multos philosophorum ejus temporis, præsertim Platonicos hujus fuisse opinionis. Alexander itaque putabat, religionem christianam absque detrimento præter alias tolerari posse. (*Mosheim.*)

1. Historici antiquiores, uti Eusebius, & Hieronymus non satis clare adfirmant, Juliam Mamæam Christo nomen dedisse. Uterque quidem testatur, eam Origenem vocasse, ab eoque instructam fuisse, verum neuter testatur, eam Origenis dictis, & instructioni morem gessisse, sed potius in vita ejus vestigia luculenta superstitionis ethnicæ inveniuntur. Præterea hæc circumstantia nar-

H :

rata ab Eusebio, quod Origenes brevi tempore ab illa dimissus fuerit, dubium non leve ingerit de ejus in religione ethnica perseverantia; cum enim avaritiæ deditam Origenes terrena contemnere docuerit, hujus doctrinæ pertæsa eum remisit.

2. *Lampridius* quidem conabatur colligere testimonia, quibus evinceret, Severum Christianum fuisse, sed non sufficienter rem confecit. Illud proin solum certum est, eum religionem Christianam dignam, ut toleretur, existimasse, ejusque authorem Christum viris magnis, & a Deo inspiratis adnumerasse; nam imaginem Christi, Abrahami, & Orphei in suo larario erexit. Inter cetera istud quoque ejus benevolentiæ erga Christianos est indicium, quod, dum popinarii conquererentur, a Christianis locum publicum fuisse vindicatum, qui tamen horum cauponum fuerat, hanc sententiam tulerit: „præstare in loco „Deo servire quocunque demum ritu, quam cauponam esse." Illam sæpe elata voce sententiam repetebat, quam aut a Christianis, aut Judæis didicit: *alteri ne feceris, quod tibi non vis fieri*, eamque tanti faciebat, ut in palatio, aliisque locis publicis inscribi jusserit.

§. 27. Sub Imp. Gordiano Christiani utcunque quieti, & securi vivebant. Marcus Julius Philippus successor Gordiani Imperator proclamatus, filium ejus etiam Philippum nomine secum Cæsarem esse jussit. Hic Princeps Christianis adeo favit, ut non desint, qui existimant, eum una cum filio suo Christianis adnumerandum esse [1].

1. Qui eum Christianis adnumerant, producunt locum Euseb. H. E. L. 6. c. 34. "Cum Imperator in vigilia paschæ ecclesiam esset ingressurus, ut de orationibus „populi participaret, ab episcopo ingressu fuit prohibitus, donec confessus „fuisset, & se pœnitentium numero junxisset propter commissa crimina.„ Aliud argumentum petunt ex epistolis Origenis ad eumdem Imperatorem, & ejus conjugem Severam: at oggerunt sententiæ contrariæ patroni, non esse legitimam sequellam, quod is Christianus sit, qui a Christiano litteras accipit, eo quod variæ esse possint causæ, ob quas Christianus non — Christiano scribit, ut nimirum illum ad suscipiendam fidem adhortetur, vel potest rogare, ut se Christianis exhibeat benignum, vel alia quacumque de causa. Ulterius pro suscepta ab Imperatore fide illud pugnare videtur, quod omnes historici a seculo sexto incipiendo eum inter Christianos numerent, cui tamen contrariæ sententiæ patroni reponunt, omnes ex uno Eusebio id hausisse, ejusque verba exscripsisse. Qui Philippum semper a Christo alienum fuissé contendunt, his nituntur momentis; nullus eorum, qui historiam Romanorum Imperatorum scripsere, transitum ejus ad religionem christianam commemorat, multique historici præsertim Eusebius adfirmant, Constantinum M. primum fuisse Christianum Imperatorem, at reponi solet, historicos hos ejus transitum ad fidem Christi ignorasse, quoniam id in secreto retineri voluit, Eusebium vero ideo Constatinum M. primum Imperatorem Christíanum dixisse, quia ille primus fuit, qui fidem *publice* professus est. Secundo addúcunt: Philippum scelaratam egisse vitam, at oggerunt, multi vitam agunt sceleratam, qui in Christum credunt. Tertium motivum est: Philippum ludis interfuisse *secularibus* (dicti sunt isti ludi seculares, quia anno millesimo a fundatione Romæ celebrabantur, erantque ab illis diversi, qui cujusvis seculi initio celebrari solebant.) Hos ludos vero partem præcipuam religionis ethnicæ fuisse, qui proin exercitio religionis ethnicæ interest, Christianus dici nequit; sed contra animadvertunt, Philippum quidem falsitatem religionis ethnicæ agnovisse, attamen cum noluerit palam fidem profiteri, eum studio populo placendi, & ex rationibus politicis ludis his interfuisse. Addunt: etiam Honorium Imperatorem Christianum licentiam dedisse celebrandi ludos seculares (illos nimirum qui initio cujusvis seculi erant soliti), abrogatis solummodo paucis ceremoniis scandalosis. Quod si utriusque partis motiva ponderamus, transitus Philippi ad religionem Christianam dubius remanet.

CAPUT TERTIUM

DE

FATIS ECCLESIÆ ADVERSIS.

§. 28. Propagationi religionis christianæ, ejusque causis jungenda sunt impedimenta, quæ ei obstabant. Obstacula hæc nec pauca fuerant, nec levia; nam persequebantur Christianos Judæi, & Gentiles. Imperatores, & magistratus *legibus*, ac *suppliciis*, philosophi *scriptis*, & *ratiociniis*, sacerdotes, populus *calumniis* eos vexabant. De singulis jam videndum.

§ 29. Judæi non solum in Palæstina gravissimis injuriis, imo & morte Christianos affecerunt, sed etiam illi, qui extra Palæstinam degebant, omnem moverunt lapidem, quo magistratus, & plebem contra Christianos, quos majestati romanæ inimicos esse criminabantur, excitarent. Christus quidem ipse prædixit, quantæ persecutiones fideles maneant (Matth. Cap. 10. v. 17. Joan. Cap. 16. v. 2.), quod mirifice divinitatem nostræ religionis manifestat; impostores enim suis asseclis plerumque omnia prospera, & bona pollicentur [1].

1. Primus, qui pro fide Christi mortem obiit violentam, erat S. Stephanus unus ex septem diaconis, quem Judæi lapidarunt. (Act. cap. 6. &. 7.)

§. 30. Magna persecutione Hierosolymis exorta fideles (exceptis Apostolis) per Judæam, & Samariam dispersi; multi enim Hierosolymæ necati, multi incarcerati [1].

1. Sed hæc ipsa persecutio Hierosolymitana occasio fuit evangelium propagandi: nam fideles non tantum in Palæstina sunt divisi, sed etiam dispersi per Phœniciam, Cyprum usque Antiochiam, & quasi semen latius sparsum facti sunt quoniam ubique prædicabant evangelium.

§. 31. Sed non continebatur furor eorum intra Palæstinam, verum etiam extra Palæstinam legatos miserunt, & Judæos extraneos incitabant, ut Christianos non tantum fugerent, sed etiam omni modo possibili persequerentur. Ut vero extraneos etiam, ac præprimis Romanos Christianis inimicos efficiant, spargebant, Christianos esse homines reipublicæ periculosos, & majestati inimicos. Imo ingens calumnia Judæis potissimum authoribus contra Christianos est fabricata, quæ tunc quidem ubique fidem invenit [1].

1. De Christianis scilicet ferebant, si quis eorum religionem arripit, & ad mysteria initiatur, illi panem præsentari ejus magnitudinis, ut sub crusta infans lateret, cumque neo — conversus panem hunc cultro discindere vellet, vulnerari infantem, statimque omnes præsentes infantis corpusculum discerpere, comedere, & sanguinem lambere, neo — Christianum vero hujus sceleris complicem eo ipso obligari, ut secretum teneat. Aliud etiam referebant; nempe in conventu Christianorum, quando certis diebus ad epulas congregantur, cum vino incaluissent, quemdam eorum cani fune ad candelabrum alligato frustum carnis projicere ea distantia, ut canis escæ inhians eam attingere nequeat aliter, quam everso candelabro, & luminis extinctione, tum vero faventibus tenebris quemlibet nullo pudore prohibitum, prout sors, & fortuna tulisset, libidini satisfacere. (*Claudius Fleury.*)

§. 32. Multo tamen gravius Romani Christianos vexabant, quam Judæi, non quidem ac si Judæis voluntas defuisset, eos æque graviter, aut gravius etiam vexandi, sed defectus virium præsertim post excidium Hierosolymitanum in causa fuit, quod minus ab his, quam Romanis sint perpessi [1].

1. Attamen eversa jam Hierosolyma sub imperio Hadriani in Christianos sævierunt Judæi duce *Barcoqueba*, vel ut alii eum adpellare solent: *Barchochebа* dicto Judæorum Rege. Eversa fuit Hierosolyma a Tito anno secundo Vespasiani, A. C. 70. Hadrianus misit Hierosolymam novos colonos, qui urbem ex cineribus excitarent, dixeratque *Æliam Capitolinam*, templum quoque Jovis in loco ubi templum Dei sanctum stetit, erectum. Judæi atrociter dolebant, quod sanctam civitatem ab Ethnicis occupatam cernere cogerentur, & circumcisio, lege cæsarea vetita esset. Hinc seditionem moverunt contra Romanos. In hac seditione Judæorum caput erat Barcoqueba latro, & hominum flagitiosissimus, nominis tamen claritate, quod sibi adsumpsit, multos decepit; nam syriace idem significat, quod *filius stellæ*, ajebatque se esse illam stellam Jacob a Balaam prænunciatam, quæ Judæos liberatura, & Gentiles sub jugum missura erat, nempe Messiam. Barcoqueba Christianos in armorum societatem cum Judæis contra Romanos trahere omni conatu volebat, quod cum facere respuerent, eosdem crudelissimis tormentis necabat.

§. 33. A longo jam tempore decem ab historicis numerantur persecutiones, quas Christiani a Romanis usque ad tempora Constantini M. sunt perpessi; verum historia antiquissima hunc persecutionum numerum non confirmat, siquidem si nomine persecutionis intelligantur universales, & atroces, *pauciores* sunt, quam *decem*, si vero intelligantur minores, & non universales, sed *provinciales*, sunt *plures*, quam *decem* [1].

1. Hæc opinio, ecclesiam decem persecutiones universales perpessam fuisse, seculo quinto invaluisse videtur, cui occasionem dedere aliqua scripturæ loca in sensu allegorico, & mystico interpretata, in quibus persecutiones futuræ prædici, & præfigurari videbantur, præsertim vero illud, quod in Apocalypsi Joannis cap. 17. v. 12. de *decem* cornubus memoratur, & in libris Moyses de *decem* plagis ægyptiacis. *Domitius* celeber jurisconsultus in suo libro, de *officio proconsulis* omnes leges Imperatorum contra Christianos sancitas collegit. Si liber hic non periisset, multum lucis ad historiam persecutionum nobis affunderet.

§. 34. Nero Imperator primus fuit, qui Christianos persequi cœpit, saltem in monumentis antiquitatis non invenimus, aliam

persecutionem hanc præcessisse. Huic Tyrano non religio, ut Tacitus narrat, sed delictum quoddam Christianis falso imputatum dedit ansam eos persequendi. Anno enim Neronis decimo, Jesu Christi sexagesimo quarto die decima nona Julii incendium Romæ in majoris circitabernis exortum est, septemque, aut sex diebus in urbem grassatum. Erat tunc quidem Nero Antii; constans autem fama ipsum incendii authorem ferebat [1], hac de causa plebi afflictæ nullum solatii genus ferre omisit, tuguria extruxit, necessaria subministravit, frumentum vilissimo pretio vendidit. His vero omnibus populorum animis eximere suspicionem commissi ab eo incendii non valuit, ut proin aliam publico odio victimam objiceret, Christianos incendii adcusat, populo aliunde invisos. Deinde autem ingenti numero ad mortem damnati sunt, non quidem ut incendiarii, sed totius generis humani abominatio [2].

1. Facinus hoc eum in finem perpetrasse dicitur, ut flamarum culmina domorum, & turrium superantium spectaculo oculos oblectaret, dein urbem longe magnificentius extruendi, eidemque deleta Romuli memoria suum nomen imponendi occasionem nancisceretur. Tum vero cum flammæ maxime furerent, ipse in altam turrim conscendit, ut patenter flamarum turbines videret, hilarique cantu delectabatur, cujus materiam selegit hunc versiculum: *Hæc facies Trojæ, dum caperetur, erat.*

2. Inter alia tormenta ipsis illata tunicas induere sunt coacti, pice aut alia materia ignem facile concipiente obductas, ut Romanis de nocte ambulantibus lucem præberent. (*Claudius Fleury.*)

§. 35. Desiit hæc persecutio post mortem Neronis. Cum itaque tyranus hic anno Christi 68. se ipsum morte peremerit, prima persecutio quatuor annis duravit. Neroni successit *Galba*, & huic eodem anno *Otho*, & *Vitellius*, quorum unus post alterum eodem anno interfectus est. Successit anno 69 *Vespasianus* [1], & hoc mortuo filius ejus *Titus* [2], quibus sub Imperatoribus Christiani satis securi vivebant.

1. Cum mortem imminere vidisset Vespasianus, ajebat: *jam Deus mihi fieri videor*, hoc joco ceremoniæ vanitatem traducens, qua se post obitum Deorum numero inserendum prævidebat. (§. 13. * ingress.)

2. Titus Vespasiani filius hominum beneficentissimus erat, adcumbens enim quondam cœnæ & recordatus se ea die nemini gratiam contulisse: dicere auditus est: *Amici! diem hunc perdidi.* A morte Christi 42. a Tito excisa est Jerusalem cujus excidium Christus Math. cap. 24. v. 15 prædixit. Perierunt in urbis obsidione undecies centena millia Hebræorum, & 97 millia in captivitatem ducta.

§. 36. Successorem Titus habuit fratrem *Domitianum*, qui crudelitate vix Neroni concessit. Sub finem regni sui ea de causa Christianos persequi cœpit, quia illi innotuit, superesse quosdam Christianos origine Judæos ex stirpe David, & Christo, quem pro Messia, & Rege agnoverant, sanguine propinquos. Timuit igitur,

ne quid contra imperium moverent, hac de causa referente Eusebio omnes posteros Davidis occidi jussit (H. E. L. 3. C. 19. 20.), quamquam hæc persecutio non diu duraverit, quia aut Domitianus ipse eam brevi sustulit, aut quia ejus morte brevi secuta, senatus Christianis pacem reddiderit.

§. 37. Responsio Trajani ad Plinium (§. 24.) publicis imperii legibus est inserta. Ideo ponebat quidem persecutionibus limites, attamen simul causa erat, quod multi Christiani sub probis etiam, & benignis Imperatoribus sint necati; nam ex una parte vetat Christianos *conquiri*, ex altera vero parte jubet, qui se Christianos fatentur, puniri, nisi christianismum ejurent, & hoc tristissimas habuit sequellas, quotiescumque enim aliquis inveniebatur, qui periculum Christianum adcusandi in se suscepit, adcusatus autem se Christianum fassus est, poterat juxta rescriptum Trajani torqueri, & necari [1].

1 Notat *Fleury*, Trajanum sub regni auspiciis legem tulisse, qua omnes hominum conventus, & societates prohibebantur, eamque legem ob eatui fuisse Christianorum persecutioni, quod conventus suos agere more solito non desisterent. Moshemius vero suspicatur, haruspices Imperatori Trajano persuasisse, terræ motum vehementem, qui Antiochiæ contigit, lenitati erga Christianos deberi.

§. 38. Lex Trajani Christianos conquiri prohibens, eosque tantum necari permittens, qui adcusati, & confessi christianismum ejurare nolebant sacerdotibus Gentilibus molesta, & ingrata fuit, quia periculosum negotium adcusatoris pauci in se suscipere parati erant. Itaque legem Trajani sub ejus successore *Hadriano* dolo enervabant; nam populum eo commovebant, ut tempore spectaculorum, & ludorum publicorum a consulibus, & senatoribus extirpationem Christianorum exigeret [1]. Hoc sacrificulorum dolo multi Christiani necati sunt. Cum vero Imperator tempore ludorum publicorum populari tumultu metu rebellionis ad persecutionem inductus fuerit (quidquid enim tempore publicorum ludorum populus ab Imperatore, & proconsule petiit, absque seditionis periculo denegari non poterat) Serenius Granianius Asiæ proconsul ei proposuit, injustum esse ultimæ plebis clamoribus tot innocentum Christianorum sanguinem fundere, ex quo tempore mitius cum Christianis agi cœptum (§. 24).

1 Sub Hadriano eo facilius sacrificuli popularem tumultum contra Christianos concitare poterant, quia advertente *Eusebio* eo tempore secta hæreticorum, qui *Gnostici* dicuntur (ut interius exponetur) e tenebris rursus suscitata est; nam cum Gnosticorum scelera, & sententiæ paradoxæ notoriæ erant, eadem omnibus Christianis imputabantur, & odium erga illos auctum.

§. 39. Criminis ex Hadriani edicto Christianos arguere debebat,

quisquis in jus vocabat. Igitur sub Antonino Pio Hadriani successore *atheismi* postulabantur. Et cum posthac plures provinciarum rectores ad ipsum Imperatorem scripsissent, eum interrogantes: quomodo in causa Christianorum procedendum esset, respondit: Christianos si nihil contra bonum reipublicæ molirentur, non esse vexandos. Sed non flectebatur his plebis, & sacrificulorum animus; nam cum in Asia terræ motus exortus fuisset, plebs Christianos causam hujus infortunii habebat, quia Deos ad iram concitasse putabantur, omni itaque calamitatum genere inermem Christi familiam obruebant. Christiani injuriis plebis ob imputatum illis terræ motum lacessiti, ab imperatore præsidium petiere, qui mandatum in Asiam misit, ut adcusator Christiani, si illum nullius criminis convincere potest, eadem pœna adficiatur, quæ parata est Christianis de aliquo crimine convictis, Christianus vero delatus & nullius criminis convictus dimittatur.

§. 40. Securitatem per edictum Antonini Pii concessam rursus amiserant Christiani sub imperio *Marci Aurelii Antonini*, qui philosophiæ stoicæ, & virtutis amore *philosophus* dictus est; nam statim in initio regiminis ipsius pristina licentia Christianos adcusandi, & deferendi est revocata, & delati si ejurare christianismum noluerant, necati sunt. Illud quidem constat, nunc Imperatorem legem patris sui non revocasse, vi cujus Christianos, nisi criminis cujusdam convictos, necare non licuit; verum Judices Christianis male faventes adcusatoribus viam adperuerunt, crimina Christianis afficta facili modo in judicio deducendi, arguebant eos enim cœnæ Thyesteæ, in qua carnibus hominum vescerentur, & œdipodei incestus (§. 31 [1]) Ad hæc Imperator ipse indulsit Cristianos a servis, & vilissimis hominibus delatos torqueri, ac necari [1].

1 Quid ad tantum erga Christianos odium Imperatorem impulerit, a nemine quidem litteris est consignatum, attamen suspicari licet, philosophos quibus favebat, ei persuasisse, quod Christiani sint ratione destituti fanatici scelerati, & pertinaces homines, quos juxta placita philosophiæ stoicæ eradicare, quam tolerare melius existimabat.

§. 41. Marco Aurelio succesit Commodus impudicitiæ, & crudelitatis nota infamis permultos ordinis senatorii viros occidit. Cristianos tamen non est persecutus, hinc exempla pauca si demas, sub ejus regimine nulla gravis calamitas Christianis illata. [1].

1 Ejus lenitatis in Christianos rationem hanc adfert Fleury: "Forte quis bene conjiceret, hujus moderationis causam fuisse consortium cum Marcia concubinarum ejus una, quam prope eo cultu habebat, quo uxor legitima haberi debet, omnes illi honores Imperatricibus exhiberi solitos decreverat, si solum ignem exceperis, qui ceteris uxori præferebatur; hæc enim Marcia optimo in Christianos afectu tenebatur.

§. 42. *Severus* initio benigno erat in Christianos animo [1]: sciens nonnullos ex clarissimis, id est, senatorii ordinis utriusque sexus fidem chrstianam suscepisse, non solum non nocuit, sed etiam palam laudavit, populique furori Christianos ad necem poscentis in faciem restitit.

1 Idque eam ob causam, quia Christianus quidam *Proculus* nomine, referente Tertuliano, aut illum ipsum, aut filium ejus ægrotantem oleo sanaverat, nempe unctione miraculosa. Hac de causa illum diligenter perquiri jussit, & inventum in cæsareo palatio, donec vixit, retinuit.

§. 43. At scena brevi mutata; dum enim Judæis in pœnam seditionis proselytos facere, & simul ad Christianorum sacra transire prohibuit, id persecutioni universali ansam dedit, quæ primo in Ægypto orta in alias imperii provincias est dilatata. Tanta crudelitate in fideles desæviri cœptum fuisse *Fleury* scribit, ut multi proxima jam esse Antichristi tempora non dubitarent. Hujus opinionis fuit Judæus temporis illius scriptor, qui commentarium in 70 Danielis hebdomadas composuit, ubi ordinem temporum ad decimum Severianum deducit. [1].

1 Ratio hujus tam atrocis persecutionis est, quod, etsi Severi lex prohibens, ne quis majorum religionem cum christiana, aut judaica commutaret, Christianos non damnaret, sed progressus tantum religionis christianæ cohiberet, attamen peropportunam avaris, & injustis præsidibus, ac magistratibus occasionem suppeditabat Christianos vexandi, & plures pauperes necandi, ut ditiores ad periculum pecunia amovendum invitarent. Solebant enim Christiani jam ab aliquo tempore pecunia, quam magistratui offerebant, vitam redimere, quæ consuetudo causa fuit principalis persecutionum contra tenorem legum imperii & contra Imperatorum voluntatem ingruentium.

§. 44. Post obitum Severi multorum annorum pax, & tranquillitas consequebatur. At cum *Decius* imperium est adeptus, horribile denuo adversus fideles bellum exoriebatur; Imperator enim sive Christianorum metu, sive avitæ superstitionis amore sub prætextu prioris regni errata emendandi terribilia edicta promulgabat, quibus sub pœna mortis mandatum fuit, Christianos aut penitus extirpare, aut pœnis, & cruciatibus ad avitam religionem adducere. Magna hinc per omnes Romanorum provincias multitudo Christianorum per varias pœnarum, & miseriarum species periit intra biennium. Cum vero hæc vexatio superioribus omnibus atrocior, & crudelior esset, etiam multi non tam mortis, quam diuturnorum cruciatuum metu a fide deficiebant. [1].

1 Odium Decii in Philippum persecutionis causam fuisse, tradit Eusebius L. 6. H. E. cap. 39. Ex amore religionis patriæ commotum fuisse Imperatorem scribit Greg. Nyss. in vita Gregor. Thaumaturg. Causam mali pestem fuisse, quam iræ Deorum tribuebant sacrificuli putat Moshemius: S. Cyprianus vero

persecutionis, & defectionis causam in Christianorum longa pace fruentium temporem referebat " Augendis bonis temporalibus insudabant — — non integra ministrorum fides, nulla misericordia in operibus, nulla in moribus disciplina. Fæminæ faciem fucabant, viri pingebant capillos — — in vanum jurabatur — injuriis proximus afficiebatur „ (*L. de lapsis.*)

§. 45. Ex iis, qui defecerunt, aliqui *sacrificiis*, alii *thure* Deorum simulacris admoto, alli *libellis* argento redemptis securitatem sibi parabant, ex quo divisio transfugarum in *sacrificatores*, *thurificatores*, & *libellaticos* nascebatur. [1]

1 De libellaticis variæ sunt eruditorum opinionis. In libello (*carta de securidad*) quem pecunia a magistratu, aut provinciarum præfectis redimebant, testimonium dabatur, eum qui tali libello instructus erat, edicto Imperatoris satisfecisse, id est, quod Diis sacrificaverit, etsi hoc nunquam fecerit. Hujus libelli causa, quem libellaticus in casu necessitatis produxit, a ceteris Christianis habebatur pro apostata, etsi talis in sensu stricto non fuerit. Judex dolo utebatur, quo talem libellum quibusdam Christianis concesserit, & contra libellatici permittebant, ut fraude hac pro veris apostatis, & transfugis a ceteris Christianis habiti sint, & hoc libellaticorum fuit delictum. Discimus id Ep. Cypr. ad Antonianum: " Illi, qui *libellum* accepit, aliqua excusatio est, & dicere potest: „ legi, & ab episcopo ex cathedra audivi, non licere idolis sacrificare, ne ergo „ ad sacrificandum cogerer, invitante occasione magistratum adivi, aut alteri „ negotium commisi, ut diceret: me esse christianum, nec mihi per religionem „ sacrificare, aut Dæmonum aris adpropinquare esse licitum, ne id facere debeam, pecunias daturum. „ Ex his Cypriani verbis adparet *primo*, libellaticos idolis non sacrificasse, atque adeo magis venia dignos esse, quam sacrificatores, & thurificatores, *secundo* eos non motu propio, & data opera, sed *invitante ocasione* libellos petiisse; si enim judices divitem Christianum noverant, avaritia allecti ei per suos familiares secreto indicari curarunt, posse se certa pecuniæ summa vitam redimere. Hinc non est verosimilis eorum opinio, qui nomen *libellaticorum* inde exortum fuisse ajunt: quod, qui securitatem volebant, scriptum libellum pro ea obtinenda judici obtulerint, non enim hoc nomen a porrectis judici libellis pro securitate obtinenda, sed vice versa a libellis, quos judex Christianis tradidit, originem trahit, quoniam dum judex ob pecuniam oblatam legem infringere paratus est, finem hunc oretenus, non oblati supplicibus libellis assequi conatur. Quod autem libellatici securi fuerint, etsi non reipsa sacrificassent, inde fors oriebatur, quia Decius in suo edicto (ut suspicari licet, nam non amplius extat) non tantum mandavit, ut Christiani cogantur idolis sacrificare sed etiam ut iis judices publicum tradant attestatum, seu libellum, quod sacrificaverint, ne ullus mandato cæsaris contraire, & se jam sacrificasse falso adserere queat.

§. 46. Ineunte seculo quarto quatuor respublica habuit Dominos, quorum duo *Diocletianus* & *Maximianus* dignitate superiores *Augusti*, duo his paulo inferiores *Constantius Chlorus*, & *Galerius Cæsares* nominabantur. Erat Diocletianus primus author divisionis imperii, Galerium enim, & Constantium Chlorum adoptavit, eosque succesores denominavit, Maximinianum vero in consortium imperii admissit. Sub his quatuor dominis reipublicæ rerum christianarum facies satis læta erat. Diocletianus superstitiosus licet, nullo tamen Christianorum odio ducebatur. Constantius Chlorus solam rationem in colendo Deo sequens a Deorum cultu alienus Christianos etiam diligebat. Hinc sacrificuli, qui metuebant, ne chritiana religio magno suo malo late

propagaretur, Diocletianum, quem timidum, & credulum esse noverant, fictis oraculis, aliisque fraudibus ad bellum Christianis inferendum comovere studebant. Diocletianus enim in oriente agens, timidus, & futura sciendi avidus animalium immolatorum exta consuli jubebat, nonnulli ex ejus familiaribus Christianis præsentes signum crucis digito in fronte eformarunt, & illico sacrificia turbata sunt. Aruspices in victimarum visceribus nota sibi signa non vident: nec victimas victimis cumulare quid profuit, nihil fibræ præsagiebant. Tum Poparum Princeps, sive suspicionem hanc habuerat, sive reipsa signantes se crucis forma viderat, inquit, homines profanos adstare sacrificiis, quibus præsentibus litari non posse. Imperator per id in furorem actus, omnes, qui in sacrificiis ministrabant, sacrificare jubet, & ut renuentes, quotquot in palatio præsentes essent, flagris punirentur. Copiarum quoque ducibus scripsit, ut milites ad offerenda sacrificia cogerent, detrectantes vero turpiter pellerentur, nulla alia pœna inflicta.

§. 47. Hæc ira Diocleciani brevi rursus evanuit, inconstans enim, & mutabilis fuit. Videntes itaque sacrificuli, se his artibus parum effecisse, alterum Cæsarem Galerium, qui Diocletiani gener erat, ad optata consequenda adhibebant. Qui homo ferox, & nullius rei, quam militaris gnarus partim proprio ingenio, partim a matre fœmina superstitiosissima, partim Sacerdotibus Deorum impulsus socerum suum Diocletianum urgere non desiit, donec anno 303. ab ipso Nicomediæ versante edictum impetrasset, quo templa Christianorum dirui, librique eorum sacri comburi jubebantur, ipsi vero Christiani omnibus juribus, & honoribus civilibus privabantur. Parcebat itaque hæc lex vitæ Christianorum, a cæde enim, & sanguine abhorrebat Diocletianus, at multis tamen Christianis exitum adferebat, illis nimirum, qui libros suos sacros magistratui extradere recusabant. Quod videntes multi Christianorum, etiam Episcoporum, & Presbyterorum libros sacros, quos habebant, ut vitam servarent, tradebant. Hi vero constantioribus Christianis sacrilegi videbantur, & ignominioso *Traditorum* nomine notabantur.

§. 48. Non diu post primum hoc edictum duplex in palatio Nicodemiensi incendium est exortum, cujus authores Christianos fuisse hostes eorum Diocletiano persuadebant, qui propterea multos Nicodemiæ torqueri, & incendiariorum pœnis affici jubebat. Eodem fere tempore seditiones in Armenia & Syria nascebantur, quarum culpam cum inimici denuo in Christianos conferrent. Imperator novo edicto Episcopos omnes, & sacrorum ministros in carcerem conjici, & tertio paulo post edicto cap-

tivos istos omnes pœnis, & cruciatibus ad Diis sacrificandum compelli jubebat. Victis enim episcopis, & doctoribus sperabat fore, ut cœtus ipsi exemplo doctorum moverentur. Hinc magna multitudo egregiorum virorum per universum orbem romanorum (una Gallia excepta, quam, Constantius Chlorus regebat) partim pœna mortis affecta, partim ad metalla mittebatur. Tandem quartum Diocletianus edictum generi sui Galerii, & reliquorum Christianis infensorum instinctu prioribus addebat, quod omnes omnino Christianos tormentis adhibitis ad Deos colendos cogere magistratus jussit.

§. 49. *Leges* ab Imperatoribus in Christianos latæ constituunt fata ecclesiæ adversa *publica*. Erant quoque homines privati, & præsertim philosophi, qui scriptis, præstigiis, aliisque Christianos impugnabant, quorum conatus ad fata ecclesiæ adversa *privata* pertinent (§. 16. proleg.) de quibus jam videndum.

§. 50. *Simon de Gitton*, vulgo dictus *magus* a Philippo diacono Samaritanis Evangelium prædicante (§. 7.) baptizatus est. Cum autem vidisset, Petrum, & Joannem Hierosolyma Samariam missos neo-baptizatis per manuum impositionem dona Spiritus sancti, id est, donum linguarum, curationum, & aliorum miraculorum contulisse: his portentis illectus obtulit Apostolis pecuniam dicens: *date & mihi hanc potestatem, ut quibuscumque manus imposuero, accipiant spiritum* Sanctum Cui Petrus: *pecunia tua tecum sit in perditionem, quia putasti donum Dei pretio comparari posse*, [1] & hortatus est eum ad pœnitentiam (Act. cap. 8.) Simon vero non solum non est conversus, sed apostata a fide Romam veniens præstigiis omnium admirationem in se convertit [2]. Persuadere conabatur hominibus, se inter Judæos adparuisse ut filium, in Samaria ut Patrem, apud alias nationes ut spiritum sanctum. Ut sibi plures conciliaret discipulos, eosque mortis metu, cui Christiani erant expositi, exoneraret, docuit licere indifferentem esse in causa idololatriæ. Ipse a sectariis suis sub jovis specie, & sub figura Minervæ Helena, quam Tyri sibi sociavit, adorabatur (Irenæ. L. 1. c. 20. Aug. de hæres c. 1. Fleury h. e. L. 1.,) ex quo satis intelligitur, eum hostibus religionis christianæ merito adnumerari.

1. Inde factum, ut permutatio rerum spiritualium cum temporalibus *Simonia* adpellari consueverit.

2. Narrat Arnobius: Simonem magnum promisisse, se Romæ in omnium conspectu avolaturum, & in cœlum ascensurum, eumque reipsa in altum elevatum fuisse, tum vero oratione S. Petri in terram dejectum fractis cruribus jacuisse; at ut fabula tota narratio recte a Moshemio, aliisque rejicitur: nam si hoc reipsa contigisset, ejus non solus Arnobius sec. III. scriptor, & post

eum alii mentionem fecissent, sed etiam factum adeo celebre antiquiores scriptores retulissent, & præsertim Eusebius hunc eventum notatu dignum putasset. Scitur præterea, quanta antiqui de magia somniaverint. Verosimile est, ansam huic narrationi dedisse eventum alium, cum nempe quidem (cui fors etiam Simon nomen erat) jubente Nerone, ut avium modo volaret, id tentans cecidit, & Imperatoris suggestui, in quo spectaturus sedebat, allisus, eumdem suo sanguine aspersit. Justinus, & Tertullianus narrantes Simonis Magi honoribus Romæ statuam erectam fuisse, pariter fidem non merentur; nam juxta edictum Claudii nemini sine senatus consensu statuam erigere licuit, non est autem verosimile, quod senatus hunc honorem mago, & Samaritano, qualis fuit Simon, concesserit. Suspicantur itaque eruditi, nominum confusionem hac in re factam fuisse; nam statua olim cuidam Deo ethnicorum nomine *Semoni Sanco* est erecta, sicut constat ex inscriptione Romæ anno 1574. inventa hujus tenoris: *Semoni Sanco Deo Fidio.* Justinus Martyr proin, & Tertullianus, qui romanæ superstitionis, & Deorum antiquorum populi non adeo erant gnari, hanc inscriptionem ad Simonem magum adplicare poterant.

§. 51. Philosophi Gentiles, ii præsertim, qui ex schola Alexandrina prodiere, hostes erant religionis Christianæ; nam varias mundi partes tamquam idololatriæ apostoli peragrarunt, ac ubique magnam hominum copiam eloquentiæ suavitate, & morum severitate post se traxerant. Hos inter maximam adeptus est celebritatem *Apollonius Thyanæus.* Natus erat Thyanæ in Cappadocia tribus, aut quatuor ante Christum annis, magno ingenio, ac excellenti memoria præditus, linguæ græcæ peritissimus, tali corpores specie, ut omnium in se adtraheret oculos. Anno ætatis decimo sexto profiteri cœpit philosophiam Pythagoræ, cujus etiam vitam ac mores imitari studuit; nam carnibus vesci respuit, solis oleribus, ac leguminibus victitans, a vino, & mulierum commercio abstinebat, nudis incedebat pedibus linea tantum veste usus, qua morum severitate magnam sibi sui æstimationem comparabat.

§. 52. Longis itineribus ad Brachmanos Indorum perrexit, ut eorum mores periclitaretur, & in transitu Persarum magos videret. Ninive quidam *Damis* et junctus est, individuus deinceps comes, qui ejus verba, & actiones omnes scripsit, de his autem relationibus ad nos nihil pervenit, præter ea, quæ Philostratus ducentis annis posterior collegit. Anno Neronis duodecimo, Jesu Christi sexagesimo sexto Romam venit, magnamque hominum copiam, sicut in aliis Asiæ, & Græciæ urbibus, ad quas peregrinatus est, vi eloquentiæ, ac præstigiis attrahebat.

§. 53. Varia mirabilia ab Apollonio patrata fuisse Philostratus in ejus vita narrat: ait, eum 1) sermonis animalium peritum fuisse, 2) Ephesis peste liberasse, cum eos jusserit pauperem senecionem penes templum Herculis liberatoris stantem lapidibus obruere, remotisque lapidibus nihil hominis, sed non exiguæ magnitudinis canem inventum fuisse, 3) Athenis juvenem quemdam a dæmonis obsesione liberasse, ac dæmonem illius jussu in

signum egressus statuam non procul stantem evertisse, 4) cum a Tigellino ob læsum cæsaris honorem adcusatus est, libello adcusationis adperto albam papyrum sine ullo scripturæ vestigio adparuisse, 5) eum Romæ puellam a mortuis suscitasse, 6) Romæ ex aula judiciali ante meridiem disparuisse, & eadem die ad vesperum *Puteolis* ferme 50. leucis distantibus visum fuisse [1]. De morte illius hoc tantum scitur, eum vixisse diutissime. Statuæ ei erectæ sunt, & redditi honores divini, attamen nec sectatores, discipulos reliquit, famæ celebritas, qua vivus inclaruit, non diu perstitit, sed brevi cum idololatriæ tenebris evanuit.

1. Fusius gesta Apollonii enarrat Claudius Fleury H. E. T. 1. *Hierocles* in duobus libris contra religionem christianam comparationem inter Christum, & Apollonium instituit, cui respondit Eusebius cæsaræensis. Hierocles veritatem miraculorum Christi non negat, sed his similia esse afferebat, quæ de Apollonio narrantur, ubi hæc verba memorabilia profert: *Non tamen ideo Deum esse credimus, qui tanta fecit, sed hominem, cujus cœptis Dii faverunt; dum interim christiani propter pauca miracula Jesum Deum esse dicant.* Addebat Hierocles, Jesu facta conscripta fuisse ab hominibus rudibus, & deceptricibus, quales fuerant Petrus, Paulus, & ceteri, cum gesta Apolonii scripta fuissent a Maximo, Dami, Philostrato viris philosophia claris. Eusebius Philostratum eruditum fuisse fatetur, sed veritatis amantem negat. Ut hec Philostrati vitium ostendat, singulos ejus octo libros de vita Apolonii, quos habemus ad examen vocat, ostenditque, non anilibus modo, sed etiam pluribus dictis inter se pugnantibus esse refertos. Unam contraditionem in eo esse monstrat, quod jactet Apollonium virum divinum, ex se rerum omnium conscium, & tamen magistros nominet, a quibus in qualibet disciplina eruditus fuerit, dicatque ad Indos, & Ægyptios fuisse profectum, ut scientias sibi ignotas ab iis mendicaret, atque in illis itineribus interpretum ope indiguisse illum ipsum, qui non modo omnium linguas, sed avium quoque caluisset. Eusebius dein singularius Apollonii miracula confutat, ostendens, facta esse maxime dubia. Tum latissimam inter eum, & Christum diversitatem denotat, cum Christus ante adventum a prophetis fuerit prædictus, cujus doctrina sancta, & humano generi saluberrima contra nitentibus omnibus seculi potestatibus per universum mundum brevi temporis spatio propagata.

§. 54. Inter illos philosophos, qui *scriptis* contra religionem christianam pugnarunt, primus est nominandus *Celsus*, quem Origenes confutavit. Tempore Hadriani opus edidit inscriptum: *Discursus de veritate*, quo Judæos simul, & Christianos oppugnabat. Primum Judæos aggreditur, tanquam Christianorum radicem, tunc in dialogo Judæum contra evangelium disputantem inducit, & vehementer urget Judæos, qui Christiani facti essent, quod relictis legibus, & moribus patriis antiquum nomen, & vitæ rationem mutassent. Tandem reasumpta pagani persona Judæorum, & Christianorum disputationibus illudit, easque nihil ad rem facere, se vero partem utramque convincentibus rationibus refutasse existimat. Novam occasionem calumniandi Christianos sumebat a varietate hæreticorum, ajebat enim Christianos eorum religione propagata in multas factiones fuisse scissos, unoquoque pro secta, quam amplexus est, pugnante, cumque ita inter se dimicarent,

nihil amplius eis esse commune præter inane *nomen* [1].

1. Falso se omnes Christianorum libros legisse, eorumque religionem sibi perspectam crepabat Celsus. Opus ejus mera Satyra, & summo adversariorum contemptu constat. *Fronto* Rhetor nonnulla etiam in Christianos molitus est, sed hæc, si memoriam apud Minutium Felicem excipias, perierunt. Addendus his *Crescens*, philosophus Cynicus, qui Justinum Martirem imprimis insectari non desiit, donec eum morti tradidisset.

§. 55. Medio Seculo III. Porphyrius calamum contra Christianos strinxit [1]; nam peste Romæ pertinaciter sæviente ajebat: *Nemo id miretur, cum sicut alii Dii, sic etiam Æsculapius a nobis absit; nam ex quo tempore adoratur Jesus, Dii omnes in publicis calamitatibus subvenire cessarunt.* Ipse Christianus fuit, sed postea apostata longum opus quindecim libris constans in Christianos exaravit, quod posthac Imperatorum Christianorum legibus periit (Fabr. B. G.)

1. Erat natione Tyrius, Syrorum lingua adpellatus *Malcho*, quod est Rex, hinc etiam græce *Basilius* vocabatur.

§. 56. Inter dolos, & fallacias, quibus philosophi Gentiles doctrinam christianam subruere studebant, hoc numerari debet imprimis, quod Christi vitam, miracula, resque gestas cum philosophorum veterum historia comparabant, hosque Christo nihilo fuisse inferiores rudibus persuadere conabantur. Hoc consilio *Archytas*, *Pythagoras*, *Apollonius Thyanæus* celebrabantur in scenam reducti, eodem fere habitu, quo Christus publice expositi sunt. Ut autem nihil tam alienum est a ratione, quin inter rudes, & imbecilles homines, qui verbis potius, quam argumentis res metiri solent, patronos inveniat, ita etiam hi philosophorum conatus haud paucis fraudi erant. Nonnulli ut suspectam fidem desererent, his fallaciis adducebantur, alii cum audierunt, parum interesse inter veterem religionem recte explicatam, & purgatam, & inter doctrinam Christi discriminis, manendum sibi esse constituebant inter Deorum cultores. Aliquos istæ comparationes Christi cum veteribus philosophis commovebant, ut mixtum quoddam, & temperatum religionis genus sibi fingerent. Testis præter alios Alexander Severus, qui Christum, Orpheum, & Apollonium pari honore affecit (§. 26 **.)

CAPUT QUARTUM

DE

CAUSIS PERSECUTIONUM.

§. 57. Cum Romani neminem religionis suæ exercitio prohibuerint, Judæosque sigillatim propter religionem non persequebantur, sed suis legibus vivere paterentur, non incongrue quæritur: cur erga christianos adeo inhumani, & crudeles fuerint? Inimici religionis Christianæ odium Romanorum erga eam arripiunt, conanturque eam reddere suspectam; ita enim rationes subducunt, Romani ceteras inter nationes cultissimi, & mansuetissimi, nemini propter religionem graves fuerant, solam religionem christianam tollebant. Hinc autem manifeste sequi putant, primos Christianos erroribus, ac nævis scatuisse, bono civitatis, & securitati públicæ noxios, & periculosos fuisse, ac proin eos, quos nos martyres colimus, rebelles fuisse cives, pœna mortis in eos lata dignos. Verum qui ex hoc capite puritatem religionis christianæ impetunt, inscitiam suam in antiqua Romanorum historia produnt, facile enim ratio, ob quam Romani soli religioni christianæ infensi fuerint, enodari potest. Nam Romani quidem tolerabant omnes religiones, quæ bono reipublicæ, & internæ securitati non erant periculosæ, at simul nolebant, ut quis suorum propriam religionem detestetur, & contemnat, quoniam religio Romanorum cum forma regiminis, & civitatis arctissime conjuncta erat, qui itaque religionem damnabat, & detestabatur, ipsam majestatem, & rempublicam læsisse videbatur. Jam vero Christiani ex principiis suæ religionis imperterrite Romanorum superstitionem damnabant, & civibus Romanis suadebant, ut eam religionem deserant, quæ cum forma regiminis politici tam arcte connexa fuerat, hinc fieri non potuit, quin hostibus reipublicæ sint adnumerati [1]. Accedebat: quod Christiani non tantum Romanorum, sed omnium nationum in terrarum orbe existentium religionem damnaverint. Exinde enim Romani concludebant, sectam Christianorum non tantum esse enormiter arrogantem, sed etiam omnes ei dissentientes odio habentem; ac proin aptam securitatem lædendi, excitandique in republica discordias. Hunc sibi de secta Christianorum Romanos efformasse conceptum testis est Tacitus *Annal. L.* 15 *C.* 35., qui eos *odio generis humani* convictos fuisse asserit, & Suetonius eos *maleficæ superstitionis* coarguit (in Nerone cap. 16). His causis

permoti Imperatores, senatus, & magistratus pœna dignos fuisse Christianos putabant.

1. Religionis revelatæ inimici difficultatem ita nondum sublatam esse contendunt, eo quod etiam Judæi ex suæ religionis principiis non tantum religionem Romanorum, sed etiam omnium ceterarum gentium detestari debebant, ac proin ii æque ac Christiani Romanis ut hostes reipublicæ pœna digni videri debuissent, cum jam Romani Judæis se haud præbuerint inimicos, inde sequi, Christianos non tantum ut hostes civitatis a Romanis spectatos fuisse, sed *reipsa* tales extitisse. Verum animadvertendum est, quod Judæi inter Romanos viventes sollicite cavebant, ne aut verbis, aut factis religionem, Deosque Romanorum læsisse argui possent. Præterea Judæi habebant templum magnificum, ceremonias solemnes, summum sacerdotem, Pontifices, aliaque ad cultum Dei externum pertinentia, hinc putabant Romani, religionem Judæorum a religione aliarum gentium non adeo differre, eorumque Deum esse Deum determinatæ provinciæ, & populi eam inhabitantis (§. 14 *Ingres.*) Christiani contra nihil ex iis habebant ceremoniis, ob quas religio Judæorum religionibus gentium aliarum communis fuisse videbatur; cultus enim Christianorum externus eo tempore non fuit patens, & reliquis notus, cum vero ethnici putassent, religionem *omnem* absolvi ceremoniis externis. Christianos vero cultum externum habere *nullum*, eos *Atheos* reputabant, athei vero semper ut pestes reipublicæ habebantur: *De la opinion de que no hay Dios, nace nuestra independencia ó nuestra rebelion.* (Sonnenfels tratado de policía. §. 91).

§. 58. Altera, quæ propagationi religionis christianæ obstabat causa, erat, quod publicus cultus Romanorum, & Ethnicorum, qui tot habebant numina, commode magnam turbam Pontificum, sacerdotum, augurum, haruspicum, aliorumque inferiorum religionis ministrorum & alebat, & iis authoritatem conciliabat. Hi jacturam suorum proventuum, suæque authoritatis timebant, si religio christiana in populo *dominans* fieret, hos proin proprium commodum impellebat, Christianos tum magistratibus, tum plebi exosos reddere.

§. 59. His se jungebant omnis generis homines, qui lucrum ex cultu Deorum ethnicorum sperare poterant, nimirum mercatores, qui thus, & animalia pro victimis cædenda, tapetas sternendis templorum parietibus, aliasque ad ceremonias religionis ethnicæ res necessarias vendiderant, architecti, aurifabri, aliique mechanici [1], qui omnes cum metuerent, ne esuriendum sibi esset, si religio Christi principatum obtineret, junctis viribus eam adgrediebantur, & non solum turpissimas calumnias de universa re christiana in vulgus spargebant, sed callide etiam multitudini persuadebant, quidquid malorum genus humanum adfligeret, id Deos iratos ob Christianorum tolerantiam immittere (*Arnobius*).

1. In Act. Apost. cap. 19. v. 24. seq. legimus, aurifabrum *Demetrium*, qui peregrinantibus Ephesum ad templum Dianæ modella ejusdem argentea vendere solebat, ob prædicationem Pauli excitasse magnum tumultum, eo quod lucri sui diminutionem timebat.

§. 60. Eædem fere causæ Judæos contra Christianos concitabant; doctores enim, & sacerdotes religionis judaicæ prævidebant, eorum proventus, ac authoritatem evanescere debere, si populus judaicus ad sacra Christianorum transiret. Hanc invidiam tegebant pallio zeli pro religione, & honore Dei, qui secundum eorum dicta a Christianis læderetur, quia Moysem, ejusque legem contemnerent. Authoritas doctorum etiam populum contra Christianos excitavit [1].

1. Los cabezas de la Religion judaica no podrán mirar sin inquietud una propagacion tan rápida del cristianismo; pues ademas de que los Apóstoles les imputaban el crimen mas atroz de la muerte de Cristo, á quien anunciaban como el hijo del mas alto Dios y como el Mesias, descubrian en el establecimiento del nuevo culto la ruina del suyo, y de consiguiente la caida de su poderio. Estos motivos tan poderosos para unos hombres vanos y ambiciosos los inducian á emprender todo para ahogar en la cuna la Religion y el culto que se levantaban sobre las ruinas de la sinagoga. (*Ducreux, año Cristiano: 1. parte*).

EPOCHÆ PRIMÆ

SECTIO SECUNDA

DE

FATIS ECCLESIÆ INTERNIS.

CAPUT PRIMUM

DE

SCRIPTORIBUS, ET VIRIS
IN ECCLESIA ILUSTRIBUS.

§. 61.

Si Epistolæ Christi ad *Abgarum* Regem Edessenorum, ac virginis Mariæ ad *Messanenses*, & ad *Florentinos* genuinæ essent, principem hic sibi vindicarent locum, verum cum supposititiæ sint, memorandi primo sunt scriptores Hagiographi, quorum libri novum testamentum constituunt, tum recensendi ceteri.

§. 62. Primitus Apostoli doctrinam Christi orali prædicatione, & traditione, propagabant. Exigentibus dein circumstantiis, & necessitate societatis humanæ, quod prædicarunt, maxima ex parte scriptis consignarunt. Quia vero aliqua eorum scripta *genuina*, aliqua *supposititia* sunt & ex his aliqua omnibus Apostolis in *communi*, aliqua singulis *seorsim* sumptis olim tribuebantur, liquet, singulas etiam horum scriptorum species recensendas esse.

§. 63. Primis mox ecclesiæ seculis fuere, qui Hagiographis scripta adulterina pro genuinis supponere attentabant, vel fraudibus, & dolis, vel simplicitate inducti. At hoc ipsum insigne est pro divinitate librorum novi testamenti argumentum [1].

1. Las sectas que nacieron en el seno de la Iglesia, forjaron escritos para enseñar sus errores, los cuales ocultaban bajo el nombre de los Apostoles y de sus primeros discipulos para que fuesen bien recibidos de sus lectores. No se veian mas que evangelios, epistolas y apocalisis. Todas estas obras de las tinieblas han desaparecido; pero de esto ha dimanado la prueba mas patente de la revelacion y de la autenticidad de los libros sagrados del nuevo testamento. Se debe pues inferir de los escritos apocrifos, que en los primeros tiempos de la Iglesia corrieron escritos que se conocian como obra de los Apostoles; que la sociedad cristiana aprendía en ellos su doctrina y su creencia, y que los que ahora poseemos, son los legítimos, pues ellos desde aquel tiempo hasta el nuestro han llegado á nosotros con el sello y aprobacion de la Iglesia (*Ducreux*).

§. 64. S. Petro suppositum est *evangelium*, *actus*, *Apocalipsis*, unum opus de *prædicatione*, alterum de *judicio* (teste Eusebio L. 3. H. E.)[1] Origenes citat etiam librum S. Petri de *doctrina*[2]. Extat etiam *liturgia*, quæ gerit nomen Petri, sed certum est, observante Cardinale *Bona*, eam posteriorum temporum opus esse[3].

1. Videntur omnia hæc opera ortum suum habere seculo II. ab eodem impostore, a quo habemus etiam historiam S. Petri sub nomine *recognitionum* S. Clementi adtributorum. Certum autem est, quemadmodum ex Eusebio constat, omnes hos libros apocryphos esse, quia eos nec unus scriptor ecclesiasticus citavit pro testimonio. Serapion episcopus Antiochenus circa annum 200. permisit quidem ad conservandam pacem, ut legatur evangelium S. Petri, fassus est tamen semper, hunc librum esse apocryphum, quia illum non accepimus continua traditione ecclesiastica. Hæretici Nazareniani utebantur hoc evangelio. *Actus* S. Petri allegat S. Isidorus Pelusiola tanquam vere scriptos a Petro, attamen creditur fuisse compositos a Manichæis, ut testatur Dupinius.

2. Liber iste observante Tillemontio probabilius idem est cum opere Petri de prædicatione, quem Origenes in suo tractatu de principiis rejicit.

3. Orientales tamen adtribuunt Petro non solum unam, sed duas litturgias, prætendunt etiam, se habere unam epistolam ejusdem ad Clementem in idioma æthiopicum versam.

§. 65. S. Paulo falso adtribuuntur Ep. III. ad Corinthios, III. ad Thessalonicenses, & ad Laodicenses. Suspectas etiam habent viri eruditi epistolam illius ad Senecam, & Senecæ ad Paulum, quas refert Sixtus Senensis.

§. 66. Andreæ adtribuitur *evangelium* sub ejus nomine, & *actus*, quos videntur composuisse, aut saltem corrupisse hæretici, quosque ecclesia semper rejecit (*Tillemontius*). Judæ quoque *evangelium* adscribitur, a Damaso Papa ut apocryphum rejectum.

§. 67. Orientales habent hodiedum *litturgiam*, quam adtribuunt Joanni, pari ratione apocrypha censetur litturgia, quæ Mathæo adscribitur. Sub hujus nomine etiam prodiit liber de *infantia Christi*, quem cum Gelasio Papa omnes falsitatis condemnant. Thomæ adscripti fuerunt *actus* compositi a Luca, *evangelium*, & *apocalypsis* quædam, quæ omnia rejiciuntur ut falsa a Gelasio, aliisque. Evan-

gelium, quod nomen ejus gerit, a quodam Manichæo compositum, eique adscriptum fuit.

§. 68. S. Hieronymus ait, Apostolum Jacobum nil aliud scripsisse, quam unam epistolam, quæ inter canonicos libros N. T. est relata, unde infert Tillemontius: omnia alia scripta, quæ ejus nomen gerunt, supposititia esse. Hinc Innocentius I. rejicit omnia generatim, & Gelasius speciatim *evangelium* ei adscriptum, quare etiam *litturgia* ei adtributa rejicienda est, uti scripta alia ab *Ebionitis* ei adficta.

§. 69. Scripta, quæ omnibus Apostolis in communi falso adtribuuntur (62) sunt 1) *Symbolum* vulgo *apostolicum* dictum [1], 2) *canones apostolici*, [2] & 3) *constitutiones apostolicæ* [3].

1. *Cum non omnes scripturas legere possint* (ait Cyrillus cathec. 5. n. ult). *Sed alios quidem imperitia, alios vero occupatio quædam a cognitione impedit, ne anima per ignorantiam intereat, paucis versiculis universum fidei dogma concipimus.* Compendiosa ejusmodi fidei articulorum præcipuorum, & fundamentalium recensio, quam quilibet facile memoriæ mandare potest, *Symbolum*, aut tessera fidei dicitur (est enim Christianis Symbolum, quod in bello militibus tessera). Inter cetera Symbola fidei, quæ habemus, antiquissimum, & celeberrimum est Symbolum vulgo apostolicum: *Credo in Deum Patrem creatorem cœli, & terræ &c.*, de quo elapsis proxime seculis plurimorum fuit opinio, quod ab ipsis Apostolis, antequam dispergerentur ad prædicandum evangelium, fuerit compositum, imo vulgaris opinio diu stetit, a singulis Apostolis singulos articulos fuisse conceptos, non tantum quoad doctrinam in eo contentam, sed etiam quoad formulam, sub qua oratur. Primus, qui hoc Symbolum ab Apostolis profectum negabat, erat Laurentius *Valla* seculi decimiquinti scriptor.

2. Canones hos genuinum Apostolorum esse fœtum probare conatus est *Turrianus*, eos ex parte saltem Apostolos habere authores contendunt *Binius*, *Sixtus Senensis*, *Baronius*, *Bellarminus* &c. at Dallæus primo seculo quinto cusos fuisse asserit. Eos magno olim habuere in pretio Græci, Latinique hoc tamen cum discrimine, quod illos Græci usque ad 85. receperunt cum Latini solum 50. priores reciperent.

3. Hæ constituciones definiente Fleury sunt collectio omnis ecclesiasticæ disciplinæ saltem pro partibus orientis.

§. 70. Qui Symbolum Apostolis attribuunt, producunt Irenæum L. 1. adv. hæres. cap. 2. *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terræ seminata & ab Apostolis, & discipulis eorum accepit fidem illam, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem &c.* Tertullianum L. de præscr. cap. 37. *In ea regula incedimus, quam ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit*, Ruffinum in præfat. expos. Symb. *Omnes igitur in uno positi, & Spiritu santo repleti breve istud futuræ prædicationis indicium in unum conferendo, quod sentiebat unusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse normam statuunt.* Verum ad hæc contrariæ opinionis patroni oggerunt:

1.) Solum Ruffinum hac in re non esse testem satis idoneum, Patres vero, qui hoc Symbolum fidem apostolicam vocant, aliud non intendere, quam quod in eo doctrina apostolica contineatur, ferme eumdem in modum, sicut scriptores sacri Symbolum Nicænum propterea apostolicum vocant, quia doctrinam continet apostolicam. 2) Historicos variare in tempore conditi hujus Symboli. 3) Variare ipsa Symboli exemplaria non quoad verba tantum, sed etiam quoad sententias [1], non autem verosimile esse, Simbolum isthoc, si eo ordine, iis sententiis, iisque verbis, quibus nunc in ecclesia recitatur, ab Apostolis conditum fuisset, adeo mutari potuisse, quum satis constet, quantam in retinenda pura integraque Apostolorum doctrina adhibuerint primi fideles industriam.

1. Diversitas hæc reperitur per collationem variorum Symboli exemplarium cum vulgari, uti Aquilejensis, Hierosolymitani, Romani &c., etsi putet Fleury formulas hujus Symboli in diversis ecclesiis ideo differre, quia pluribus seculis non erat licitum illud scribere. Ceterum animadverti quoque solet, vocem ecclesiam *catholicam*, non esse compositionis apostolicæ, eo quod ante Apostolorum dispersionem ecclesia Judææ limitibus continebatur.

§. 71. Falso canones vulgo apostolicos Apostolis authoribus adscribi sequentibus argumentis conficiunt critici: 1) Illos non solum ecclesia in canonem sacrarum scripturarum nunquam retulit, sed nullus etiam Patrum, concilium nullum ante Ephesinum eos Apostolorum nomine protulit, eoque ipso loco, in quo eorum meminit concilium Ephesinum contendunt non pauci, non *Canones Apostolorum*, sed *Canones Patrum* legi oportere. Veteres, qui iis usi sunt, eosdem simpliciter Canones *Veteres*, Canones *Patrum*, Canones *ecclesiasticos* adpellarunt, & si quando Canones *apostolicos* nominarunt, aut inscripserunt, id non fecerunt, nisi quia nonnulli ab Episcopis editi fuere, qui Apostolis suppares erant, quique hac de causa homines *Apostolici* nuncupabantur 2). In iis de quibusdam ceremoniis sermo fit, quas Apostolorum tempore usitatas fuisse non constat; ejusmodi sunt, quæ in canone 3. & 4. commemorantur, in eo nimirum positæ, ut offerantur super altare spicæ novæ, racemi, oleum ad luminare, & thus adolendum sanctæ oblationis tempore. 3) Canon 36., qui ordinationes in urbibus, aut vicis extra jurisdictionis suæ fines episcopum edere vetat, non congruit Apostolorum temporibus, quibus nondum diœceseon limites statuti erant. 4) Deciditur Canone 8., non licere pascha cum Judæis celebrare, quæ controversia primo Papæ *Victoris* tempore agitari cœpit, nunquamque agitata fuisset, si Apostoli hoc definivissent. 5) Canon 51 & 53. Manichæorum, & 52. Novatianorum, ac Montanistarum hæreses impetunt, quæ quidem hæreses longo post Apostolos tempore ortæ sunt. 6) Canon 46, & 47. mandant, ut episcopus, aut presbyter, qui baptismum hæreticorum ut validum receperunt, deponatur [1]. Hi ergo homina-

bebantur Apostolorum Canones eo tempore, quo super baptisma disputatum est, quoniam secus Cyprianus, Firmilianus iis uti non neglexissent. 7). In iis occurrunt vocabula tempore Apostolorum prorsus ignota, uti, *Clericus*, *Cathalogus Clericorum*, *Lector*, *Cantor*, *Laicus* cum similibus.

1. Inde colligimus, Canones hos ab antiquis hæreticis fuisse interpolatos, & corruptos.

§. 72. Constitutiones vulgo apostolicæ confectæ sunt e scriptis pluribus, quæ Apostolorum nomen præseferebant, a quodam seculi quinti scriptore, qui prout Apostolos loquentes inducit, probationes nobis simul suppeditat evincendi, eas non esse Apostolorum fœtum. Continentur hæ constitutiones libris octo, & in octavo author ait, *eas ab Apostolis duodecim coram Paulo, & coram presbyteris, septemque diaconis confectas fuisse*, quod falsum esse inde colligitur, quia S. Stephanus septem diaconorum unus ante Pauli apostolatum martyr obiit. In libro secundo author episcopum presbyterum, & diaconum cum Patre, & Filio, & Spiritu S. temere comparat. Ceremoniarum in litturgia præscriptarum, quæ L. 8. continentur, ingens numerus, & magnificentia luculenter evincunt, eam tum solum additam fuisse, cum ecclesia sub christianis Principibus pace fruebatur [1].

1. S. Epiphanius in pluribus operum suorum locis constitutiones Apostolorum laudat, at si eædem sunt, quæ nobis suppetunt, magnopere dein corruptæ fuerint necesse est; nam constitutiones nostræ distinguunt diem nativitatis Domini a die Epiphaniæ, ut primus sit die 25. Decembris, alter 6. Januarii, at S. Epiphanius qui in Apostolorum constitutionibus nihil fuisse testatur, quod disciplinæ sui temporis adversaretur, diem natalem a die epiphaniæ minime distinguit, sed ex utroque unum, eumdemque conficit, apostolicæ constitutiones ab Epiphanio laudatæ pascha cum Judæis celebrari volunt, quod nostræ vetant.

§. 73. Genuina Apostolorum scripta in codice novi testamenti continentur. Mathæus difficillime, ut scriberet, induci potuit, sed postquam ex Palæstina ad alias nationes pergere pararet, Judæis, eorum precibus flexus, evangelium a se scriptum reliquit. Idcirco hebraice scripsit, id est, lingua tunc Judæis in Palæstina vulgari, quæ non erat antiqua Hebræorum lingua, sed Syriaca dialectus [1].

1. Hoc Evangelio etiam alii usi sunt Apostoli; nam S. Jacobus id Hierosolymæ explanabat, innuente Athanasio.

§. 74. Marcus Petri discipulus, & interpres Romæ ad fidelium preces suum scripsit evangelium; optabant enim fideles ea, quæ

Petrus viva voce docuit, scripta retinere. S. Marcus nunquam vidit Christum, nec res notavit eo ordine, quo Christus eas dixerat, vel fecerat, sed sicut eas accepit a S. Petro, qui dum prædicabat, insuper habito ordine tantum audientium utilitati studebat. Cum autem omnia, quæ a Petro audierat, Marcus scripserit, factum est, ut nonnulli hoc evangelium ipsi Petro adjudicarent [1].

1. Scripsit Marcus græce, ut putant Hieronymus & Augustinus, nam lingua hæc toto oriente tum erat communis, & Romæ ita vulgaris, ut eam nec mulieres ignorarent. Damasus, & Syri, qui eum latine scripsisse volunt, nullum opinionis suæ fundamentum proferre valent.

§. 75. Lucas Antiochenus professione medicus (pictorem quoque nonnulli faciunt, scriptura, & antiquitate silentibus) comes individuus Apostoli Pauli græce scripsit evangelium, & acta Apostolorum [1].

1. Se extiende mas que los otros historiadores en los hechos del Redentor. Se cree que el Apostol, de quien era el mas fiel compañero, señala su escrito, cuando dice en sus epistolas: *segun mi evangelio, ó segun el evangelio que os he enseñado.* — Se advierte en su estilo grande claridad, y en su narracion mucho mas aliño que en los demas escritores sagrados del nuevo Testamento, porque su educacion fue mejor, y los estudios de que necesitaba para su posesion, lo hacian mas capaz de conocer las reglas de escribir. (*Ducreux*).

§. 76. Joannes (cognomine theologus) Ephesi, cum esset senex, evangelium suum scripsit, erat enim nonagenario major, & hucusque nonnisi viva voce ecclesias instruere voluerat, nec prius id ei venit in mentem, quam precibus plurimorum episcoporum Asiæ, & multarum ecclesiarum legationibus ad idipsum fuisset coactus. Propositum sibi maxime in evangelio habuit Ebionem, & Cerinthum divinitatem Christi negantes confutare. Contra eosdem errores suas etiam scripsit epistolas, eodem fere tempore, id est, paulo ante vitæ suæ finem, quas una cum ejus Apocalypsi Græci olim in dubium vocarunt.

§. 77. Petrus Romæ suam primam epistolam scripsit, directam ad fideles a judaismo conversos, qui per Pontum, Galatiam, Cappadociam, minorem Asiam, & Bythiniam, ubi quarumdam ecclesiarum ipse fundamenta jecerat, dispersi erant. In hac epistola Romam Babylonis nomine denotat, nempe imperii simul, & idololatriæ sedem. Fuit vel descripta, vel translata a Marco charissimo ejus discipulo, quem filium suum nominat, & quo utebatur interprete, sive quod S. Petrus, uti & alii Apostoli non semper donum omnium linguarum haberent, sive quod in varias linguas transferri deberet, quod Apostolus scripserat; quomodocumque autem res se habeat, constans est opinio, Marcum ejus fuisse interpretem, & post eum Glauciam eodem ministerio func-

tum. Secunda Petri epistola directa est ad eosdem, ad quos prima, de cujus authentia ob styli diversitatem olim dubitarunt nonnulli.

§. 78. Epistolæ Judæ eadem est materia, quæ secundæ Petri, utraque enim adversus eosdem hæreticos, scilicet Nicolaitas, & his similes scripta est. De ejus authentia dubitarunt olim nonnulli, quoniam de libro *Henoch*, qui apocryphus est, testimonium assumit. Viventibus adhuc Apostolis verba Pauli aliqui male intellexere, putantes, eum opera bona depressise, errorem hunc impugnavit Jacobus in sua epistola *catholica* [1], ostendens, fidem sine operibus vanam esse.

1. Vocatur catholica, id est, universalis, quia non ad unam ecclesiam particularem, sed ad duodecim tribus dispersas, id est, ad omnes Judæos fideles inter Gentiles habitantes est directa.

§. 79. Paulus quatuordecim reliquit epistolas, quæ non ordine temporis, quo scriptæ sunt, sed secundum ecclesiarum dignitatem in codice novi testamenti dispositæ leguntur. Corintho utramque epistolam ad Thessalonicenses dedit, quæ sunt ordine temporis primæ. Secunda ideo potissimum est scripta, ut eos metu liberaret a falsis rumoribus, qui in vulgus spargebantur imminere diem judicii. Finit his verbis: *hæc salutatio est manus meæ* indicium faciens, quomodo cognoscerentur ejus epistolæ.

§. 80 Non diu post profectionem Pauli in Galatias inde relatum est, quosdam falsos fratres ibidem fidelium turbasse prædicantes, circumcisionem esse necessariam cum omnibus legis mosaicæ ceremoniis [1]. Ideo ad Galatas scripsit epistolam stylo vehementi, docens, homines per observationem legum ceremonialium non justificari, sed per fidem in Christum Jesum.

1. Hoc ideo docebant, ut Judæis placerent, simulque a Gentilium persecutionibus se tutarentur, si non Christiani esse, sed Judæi existimarentur. Scientes autem, Pauli doctrinam sibi adversam, authoritatem ejus imminuere adlaborarunt, eum nonnisi secundi ordinis esse Apostolum, electum a primis Apostolis, quos autem Christus vocavit, hos Apostolos primi ordinis, quia Dominum in terra vidissent, adpellabant, eosque observationi legalium favere ajebant, cum Paulus ea contemneret, ut gentibus adularetur. Has calumnias Apostolus retundebat declarando, se esse apostolum non vocatione hominum, sed ipsius Jesu Christi, etsi eum in terris viventem non viderit, se omnia per revelationem fuisse edoctum, & ab hominibus nil didicisse.

§. 81. Paulo a quibusdam Corinthiis relatum est primo natas esse in eorum ecclesia divisiones, cum quidam dicerent: *ego sum discipulus Pauli*, *alius ego Apollo*, *ego Petri*, *alii Jesu Christi* [1] secundo illic quemdam fidelium commisisse incestum, tertio quosdam, quibus cum fratre causa civilis erat, omisso

Christianorum arbitrio coram Paganorum tribunali comparere, quarto eum ecclesia Corinthiorum per epistolam missam in materia matrimonii, & continentiæ consuluerat, & hæc Paulo erant occasio ad Corinthios scribendi.

1. Corinthii erant philosophorum disputationibus assueti, qui in varias sectas divisi spretis aliis magistri sui nomine nuncupati, apud vulgus sapientiæ, & eloquentiæ opinionem captabant. E contra Pauli sermones nec longo studio quæsiti erant, nec ad regulas sylogismorum exacti: præterea Paulus in extrema paupertate vivens apud Græcos mundi vanitatem nondum bene edoctos viluit. Hinc aliqui discipuli Pauli haberi noluerunt, quoniam magistri hujus nomine apud vulgus sapientiæ, & eloquentiæ opinionem se obtenturos haud sperabant.

§. 82. Ut jam eorum superbiam apud vulgus sapientiæ opinionem captandi retunderet, ostendit, eos necdum a longe esse sapientes, nisi forte inani imaginatione, sed rudes, & carnales idcirco, quod non unice Christo adhæreant, sed ejus ministris, jactantes, se esse discipulos alios Pauli, alios Apollo, quasi ipsorum Apostolorum vellent esse judices. Exprobrat dein Corinthios occasione incestuosi, aitque, quod eum, etsi absens corpore, spiritu tamen in eorum conventu præsens, jam judicaverit, & sathanæ tradiderit in perditionem carnis, ut spiritu salvetur. De judiciis dein disserens iis exprobrat, quod causas civiles ad Paganorum tribunalia deferant [1], scandalo enim, inquit, has lites infidelibus esse, eo quod vinculum charitatis, lex Christianorum fundamentalis dissolvatur, præterea vix christiano licere sine blasphemiæ periculo coram Paganorum tribunali comparere, si enim præstandum ei esset juramentum, per falsos Deos jurandum erat. In causa demum matrimonii omnibus nondum conjugatis cælibatum commendat *ob instantem necessitatem*, ut nimirum tempore persecutionum eo firmiores sint in fide [2].

1. Increpat vero Apostolus solum actorem, in cujus potestate erat, apud Ethnicum judicem agere, vel non agere, minime vero reum, in cujus potestate non erat, forum judicis Ethnici tanquam competentis declinare, multo minus dicit, Principibus infidelibus in rebus civilibus non esse obediendum. Error igitur Corinthiorum in eo fuit, quod cum possent causam apud fideles per modum arbitrii agere, mallent apud infideles judicium experiri, non sine scandalo Ethnicorum, & religionis christianæ detrimento, si viderent illos, quorum lex fundamentalis est charitas, adeo promptos esse ad lites.

2. Animadversione dignum Fleurius censet, quanta evangelicæ prædicationis vis fuerit, ut tantum continentiæ gradum in urbem adeo depravatam potuerit inducere; erat enim Corinthus Veneris templo celeberrima, in qua ultra mille alebantur puellæ Veneri dicatæ. Hæ Veneris Ancillæ ad impetrandam Deæ opem imminente calamitate communi aptissimæ videbantur, erantque non solum publicis monumentis, sed & poetarum clarissimorum carminibus celebratæ. Multisque peregrinis Corinthum venientibus constabant sumptibus, ut inde proverbium profectum: *non cuivis licet ire Corinthum*. Multum ergo profecisset Paulus, si tales homines ad castitatis conjugalis limites reduxisset, sed ulterius progressus iis omnimodam continentiam suadet.

§. 83. Missa hac ad Corinthios epistola non longo post tempore Titus discipulos Corintho ad Paulum in Macedonia tum prædicantem venit, eumque magno solatio affecit, dum narrasset, quantum præcedens ejus epistola Corinthiorum animos permovisset, quantumque iis profuisset: hinc secundam addidit, in qua Corinthium incestuosum in communionem ecclesiasticam recepit, *ne tristitiæ excessu obruatur, nosque diaboli fraudibus pateamus, si miser in desperationem agatur* [1].

1. Hoc exemplum secuti ecclesiarum pastores sæpius peccatores indulgenter habuerunt, simulque inde evincimus, esse in ecclesia potestatem concedendi indulgentias, & quæ genuina indulgentiarum sit notio discimus.

§. 84. Venit Paulus Corinthum, sicut promiserat. Ibi omnibus ad iter Hierosolymam instituendum compositis scripsit ad Romanos, nempe potissimum ad Gentiles conversos, quorum jam non exiguus erat numerus. Erant quoque in ecclesia romana multi Judæi conversi, quos inter, & conversos Græcos, seu Gentiles celeberrimæ fervebant disputationes; nam Judæis non probabatur, quod Gentiles ad gratiam fidei admitterentur ad circumcisionem, & legem Moysis non adstricti, quia omnes Gentiles immundos reputabant, se vero esse populum electum, cui Deus dedisset legem, & Christum promisisset, sibi gratiam evangelii debitam propter divinas promissiones, & sua bona opera credebant. Græci vero, qui ex gentibus erant, philosophia gloriabantur, qua face cum pleraque morum præcepta cognovissent, & observasent, sine revelatione, & legis adjumento, spernebant Judæos, qui post tot acceptas a Deo gratias toties rebelles extitissent, & tandem Christum crucifixissent. Ista dissensio inter Judæos, & Gentiles exorta Paulo fuit occasio scribendi suam epistolam ad Romanos, in qua & Græcos reprehendit, quod sua philosophia glorientur, & Judæos quod contemnant Gentiles.

§. 85. Philemon civis Collossensis S. Pauli discipulus fuerat charitate, & liberalitate magni inter Christianos nominis. Servus ejus Onesimus Phryx genere res familiares furatus Romam aufugerat, ibique Paulum, quem Domini sui inter paucos amicum noverat, accedens, ab eo non solum ad facti pœnitentiam, sed etiam ad suscipiendam Christi fidem perductus est, cumque ejus ingenium, & industriam cognovisset, aliquamdiu, ut ei serviret, retinuit. Postmodum eum cum Tychico, cui duas epistolas ad ecclesiam Collossensium unam, ad Philemonem privatam alteram ferendas concredidit, remisit ad suum Dominum. Itaque hæ duæ epistolæ circa idem tempus Romæ scriptæ sunt. Eidem Tychico etiam ad Ephesios epistolam concredidit, quare circa idem tempus scripta est Romæ, cum Paulus esset in vinculis.

§. 86. Romæ etiam scripsit epistolam ad Philippenses, & ad Hebræos, quarum alteram alii Barnabæ, alii Lucæ, alii Clementi adscripserunt, at ecclesiæ traditione habemus, hanc esse ipsius epistolam. Sensus quidem, & doctrinæ summa cum aliis concordat, stylus vero ab ejus sublimitate, & vigore remittens nobis causam suspicandi præbet, singula verba a S. Paulo non fuisse dictata, sed ejusdem jussu a quodam discipulorum Luca, Clemente, aut Barnaba scriptam, a Paulo lectam, ac consignatam fuisse, vel certe syriace a Paulo conceptam, a quodam discipulorum in græcum transpositam [1].

1. Magna dictionis conformitas in actis Apostolorum a S. Luca conscriptis, & hac epistola observatur. S. Paulus nomem suum non præposuit, ne, quoniam Judæis erat invidiosum, animos a prima lectione averteret.

§. 87. In utraque ad Timotheum epistola insigne nobis Paulus prudentiæ pastoralis reliquit specimen. Eodem modo in Epistola ad Titum episcopum in Creta insula [1] eum instruit, qua ratione omnis ætas, sexus, & conditio imbuenda sit.

1 Erat singularis ratio, quod in Creta uxorati ad Sacerdotium promoverentur & summopere caveretur, ne liberos haberent dissolutis moribus; in Creta enim antiquæ leges vigebant, quibus tenebantur adolescentes mature inire matrimonium, & ibi amores etiam impuri non solum legum authoritate impunes, sed & in honore erant.

§. 88. Viri illi, qui vel cum ipsis Apostolis, vel cum eorum discipulis, & sociis conversabantur, & per sua scripta inclaruerunt, *Patres apostolici* nominari consueverunt [1].

1 Sunt etiam alterius generis viri apostolici, qui quidem fuerant discipuli Apostolorum, iisque familiares, sed nulla scripta reliquerunt, ad quam classem pertinent *Titus*, *Timotheus*, *Philippus* diaconus, *Sosthenes*, *Apollo*, *Dionysius* Areopagita, *Onesimus*, *Crescens*, *Linus*, & *Cletus* episcopi romani, *Silas*, *Epaphroditus*, aliique, de quibus tamen exceptis iis quæ in sacra scriptura leguntur, nil certi scimus, præterquam quod in propagando evangelio strenue laboraverint.

§. 89. Primus Patrum apostolicorum est *Clemens* episcopus Romanus, [1] qui in tanta fuit apud antiquos authoritate, ut scriptis suis assecłas comparare cupientes iis nomen ejus præfixerint. Duas habemus epistolas, quas Clemens ad Corinthios scripsisse dicitur [2], quarum primam genuinum ejus esse fœtum nemo dubitat, etsi postea a Clemente Alexandrino additamentis aucta erat, qui quidem id non ex mala fecit intentione, sed ægre ferens, quod vir tantæ authoritatis non scripserit ornatius, & ingeniosius. Alteram ejus ad Corinthios epistolam Hieronymus, Photius, & plures recentiores ut apocrypham rejiciunt, nam animadvertere solent, alium in hac, quam in prima, esse scripturam citandi modum.

1. S. Paulus in Epistola ad Ephesios cap. 4. v. 3. alicujus Clementis mentionem facit. Hunc esse eumdem cum Clemente Romano adfirmat Figurius, dubitat Moshemius.

2. Occasio scribendi fuit dissidium, & divisiones, quæ ecclesiam Corinthiorum turbabant, inde colligimus, quanta fuerit authoritas episcopi Romani tempore Apostolorum proximo, imo vivente adhuc S. Joanne Evangelista in componendis dissidiis ad conservandam unitatem. *La veneracion en que se tenian estas epistolas era tan grande que mas de 70 años despues de la muerte del Salvador las recibiô Clemente en la Iglesia de Corinto como escritos canonicos* (Ducreux.).

§. 90. Propter doctrinæ ejus famam factum, ut omnes libri, qui antiquissimi post libros canonicos habebantur, & de quorum authore non constabat, ipsi fuerint adscripti, quales sunt canones Apostolorum, & constitutiones apostolicæ. Falso ei etiam tribuuntur ejus *recognitiones*, seu *itinerarium Petri* [1], disputatio *Petri*, & *Apionis*; & epistolæ aliæ quinque.

1. Recognitiones historiam ejus vitæ, & mirabiles parentum suorum agnitiones continere dicuntur, & quia author, quisquis ille fuerit etiam ibi itinera S. Petri, & cùm Simone mago pugnas describit, dictæ quoque sunt S. Petri itinerarium.

§. 91. Alter Patrum Apostolicorum est *Ignatius Martyr*, Evodii, cujus extat epistola τό φῶς dicta, in sede Antiochena successor, præcipue cum S. Joanne conversatus, Θεόφορος (*Deum ferens*) a suis nominatus, nec huic nuncupationi resistebat, sub Trajano Romam missus bestiis in amphiteatro expositus periit. Tribuuntur ilii epistolæ quindecim, ex quibus eruditi non nisi sequentes septem in itinere romano scriptas, & seculo elapso juxta manuscriptum Florenciæ asservatum editas ut genuinas agnoscunt: ad *Ephesios*, quam, dum vinctus Romam tenderet, scripsit; ad *Magnesianos*; qua ad obedientiam Damaso juveni licet episcopo præstandam hortatur; ad *Trallenses* de fugiendo Simone Mago; ad *Philadelphios* de vitando schismate; ad *Romanos*, qua obsecrat, ne destinatum sibi martyrium impedire nitantur; ad *Smyrnenses*, quæ verbi incarnationem, & mortem perhibet, demum ad *Polycarpum*, in qua gloriæ divinæ zelotem salutat. Reliquæ eo ex capite rejiciuntur, quod neque nascentis ecclesiæ moribus, ac institutis congruant, neque a veteribus allegatæ inveniuntur.

§. 92. *Polycarpus* Ignatio coævus, Apostolorum, & præsertim S. Joannis discipulus, episcopus Smyrnensis [1] plures scripsit epistolas sed unica tantum ad *Philippenses* data ad nostram ætatem pervenit in Asiæ ecclesiis publice olim legi solita, summisque laudibus ab Irenæo, Eusebio, Hieronymo, ac Photio celebrata [2].

1. Idem Polycarpus a pluribus eruditis pro illo *angelo ecclesiæ Smyrnensis* habetur, ad quem epistola in Apocalypsi Joannis est directa.

2. Genuitatem hujus epistolæ quidam recentiorum in dubium vocare conati sunt. Verum præterquam quod testimonia antiquitatis Irenæi, Eusebii, ac Hieronymi pro se habeat, etiam characteri apostolico Polycarpi est conveniens, sive materia ipsa, sive stylus spectetur.

§. 93. *Barnabæ* (qui & *Joseph Levites*) una tribuitur epistola, in cujus prima parte ex libris veteris testamenti veritas religionis christianæ evincitur, pars altera vero doctrinam continet moralem. Antiquam esse hanc epistolam omnes fatentur, de ejus tamen authore non conveniunt. Hieronymus, & Eusebius eam vocant *apocrypham*, idque non abs fundamento; nam erat Barnabas comes, & socius S. Pauli, hæc vero epistola continet interpretationes aliquorum textuum veteris testamenti adeo contortas, & veritati tam parum conformes, ut vix possibile videatur, eas a viro apostolico S. Pauli in prædicando comite profecta fuisse [1].

1. Neque etiam est credibile, epistolæ huic ab ejus authore ideo nomen Barnabæ Pauli comitis fuisse præfixum, & ei majorem conciliaret authoritatem, verisimillimum itaque eam a quodam Judæo nomine Barnaba confectam fuisse, qui Barnabæ Pauli comiti coævus fuit, antiquos vero hoc nomine deceptos eam Pauli socio adtribuisse.

§. 94. Ultimus inter Patres apostolicos est *Hermas* (videtur tamen ab eo, cujus Paulus Epistola ad Romanos cap. 16. v. 14. meminit, esse diversus) qui scripsit opus tripartitum græce, quod tamen non extat nisi latinum, sub titulo *Pastor*, eo quod in illo angelus sub forma, & habitu pastoris loquitur, & Hermam instruit. Opus hoc est tripartitum complectens *visiones*, *statua*, & *similitudines*, olim a pluribus magno in pretio habitum, & in quibusdam ecclesiis prælectum, et Gelasius Papa *apocryphum* declaravit; nam juxta regulam tertiam criticis Wilhelmi Cavei, ille liber pro apocrypho est habendus, in quo occurrunt fabulæ, & narrationes, quæ cum charactere ævi apostolici combinari nequeunt, liber autem *Pastoris* hujusmodi continet narrationes [1].

1. Dionysius Areopagita a S. Paulo, cum Athenis in areopago cum philosophis disputaret, ad fidem christianam conversus primus Atheniensium episcopus ordinatus est (Act. cap. 17. v. 34). Hunc eundem Dionysium Atheniensem [illegible] in Galliam a Clemente Papa missum, & primum Parisiorum episcopum [illegible] fuisse, olim communis erat opinio; at vero Dionysium Atheniensem alium esse a Dionysio Parisiensi præter alios demonstratur [illegible]. Scripta, quæ sub ejus nomine circumferuntur, de hierarchia [illegible], de theologia mystica, de divinis nominibus, & decem epistolas [illegible] Maximum monachum, Syncellum, Suidam, Photium, aliosque Græcorum laudant Trithemius, facultas Parisiensis in sua contra Erasmum censura, Sixtus Senensis L. 2. Biblioth., Bellarminus L. de script. Eccles. Baronius ad annum [illegible]. Possevinus in Apparatu sacro, Nat. Alex. Diss. 22. sec. primi. Annatus, & alii, in oppositam partem cum recentioribus abeunte Erasmo, Riveto, Daleo, Launojo, Morino, Blondello, Caveo, Papebrochio &c.

§. 95. *Apologistas* viros illos vocamus, qui tempore persecutionum in religionis christianæ defensionem scripta evulgarunt [1], ipsa vero ejusmodi scripta *Apologiæ* nomen habent (ab ἀπολογιά *defensio*, quod ad ἀπολογέομαι *defendo sermone*).

1. Triplicem scriptis suis Apologistæ præfixerant finem, 1) demonstrabant, polytheismum rectæ rationi repugnare, 2) Christianos ab objectis criminibus atheismi, cœnæ Thyestææ, & incestus purgabant, 3) ostenderunt, leges ab Imperatoribus, & magistratibus in Christianos latas injustas esse, ipsumque modum contra eos in judicio procedendi æquitati naturali repugnare.

§. 96. Primus omnium pro christiana fide in aciem descendit *Quadratus* Atheniensium episcopus sub Imp. Hadriano, qui ei anno J. C. 124. per imperii provincias proficiscenti, & Athenas venienti apologiam tradidit, de qua tamen nonnisi modicum nobis superest fragmentum [1], de illa vero, quam non multo post *Aristides* etiam Atheniensis, & philosophus composuit, omnino nihil.

1. „Opera autem nostri Salvatoris semper erant permanentia, quia vero erant, „a morbis sanati, & a morte resuscitati non solum sanati, & resuscitati *vide-„bantur*, sed etiam tales *permanserunt*, nec solum tanto, quanto tempore Sal-„vator in terris vixit, sed etiam multo post quam assumptus fuit, ita ut qui-„dam eorum ad nostra usque tempora perduraverint." Hoc unicum nobis superest, quo præclare ostendit, quanta inter Christi miracula, & aliorum præstigia intercedat differentia.

§. 97. Ex Hadriani edicto criminis Christianos arguere debebat, quicunque eos in jus vocabat, igitur sub Antonino Pio atheismi postulabantur (§. 39.) Contra hanc calumniam *Justinus Martyr*, primam suam apologiam confecit [1]. Ortus erat in Sichem urbe Samariæ, seu Neapoli Flavia parentibus gentilibus, philosophus Platonicus, Christianorum dein sacris addictus, retento habitu philosophico, varia per Asiam, Græciam, & Italiam itinera suscepit, defendendæ, propagandæque religionis christianæ studiosissimus, cujus veritatem tandem fuso sanguine confirmavit anno 163. sub M. Aurelio gladio percussus.

1. Eidem intrepide hunc præmisit titulum: *Imp. Antonino Pio, sacro senatui, & universo populo romano in defensionem omnis generis hominum, qui contra jus persecutionibus patent, Justinus hunc supplicem libellum offert.* Dein ostendit primo summam esse injustitiam, Christianos propter solum Christianorum *nomen* condemnare, secundo refutat eorum calumniam, qui Christianos atheismi postulabant: „Eo, quod dæmones non adoramus, athei dicimur, enimvero „quod attinet tales Deos, nullum Christianorum esse existimo, qui non liber-„rime atheum se profiteatur, nullatenus autem, quod attinet Deum verum." Tertio demonstrat, Christianos non insanire, licet hominem adorent crucifixum, dicendo, hominem hunc fuisse *supremam rationem*, quia sui sequaces ex toto converterat: „aliquando enim lascivia delectabamur, nunc vero puri-„tatem amamus, aliquando artis magicæ arcana scrutabamur, nunc solius „Dei bonitati confidimus — — — inimicos nostros odio capitali perseque-

„bamur, nunc pro illis preces ad Deum fundimus." Quarto conqueritur solam Christianorum religionem infestari, dum interim omnium sectarum errores, & superstitiones tolerantur: „sunt. qui arbores, qui fluvios, glires, „catos. crocodillos, & multas bestiarum species adorant, sed nec imperii ro„mani subditi omnes etiam eosdem Deos colunt; in alio loco alii sunt Dii, ita, „ut vos ipsi inter vosmetipsos collati impietatis in Deorum quemquam argui „debeatis. Qua igitur fronte Christianis objicitis, quod Deos vestros non ado„remus, cum minime vos lateat, inter illos, qui Christiani non sunt, quid „pro Deo, vel bestia, vel victima habendum sit, nullatenus convenire?" Quarto Christianorum cœtus, & ceremonias a calumniis, & criminationibus liberat (*Claudius Fleury*).

§. 98. Anno circiter 165. post Christum natum *Athenagoras* philosophiæ platonicæ sectator edidit apologiam Imperatoribus *M. Aurelio*, & *Comodo* inscriptam, in qua primo conqueritur: solos Christianos propter nominis umbram persecutione premi, dum omnibus aliis populis secundum suas leges, & religionem vivere conceditur, secundo orationem in tria membra dividens tria diluit crimina Christianis objecta, nimirum ***atheismum, cœnam Thyestæam, & incestum*** [1].

1. Atheismi suspicionem a Christianis amovens multorum philosophorum exempla adfert, qui nullos esse Deos palam profitebantur, nec hoc ipsum illis crimini fuisse datum. Dein declarat, Christianos unum adorare Deum, probat posthac ratione, & prophetiis, nonnisi unum Deum dari posse. Crimen comestionis carnis humanæ Christianis objectum ita diluit: per legem nostram non licet nobis resistere illis, qui nos percutiunt, ergo multo minus eos, qui nos non offendunt, necamus, ut carnibus eorum vesci possimus. Pergit: Christianis esse mancipia aliis plura, aliis pauciora, quorum oculos, & sagacitatem effugere non possent, si homines necarent, eorumque carnibus vescerentur, ait porro: Christianos homicidia adeo horrere, ut Gentilium spectaculis, & gladiatoribus interesse nolint, quia parum differre homicidas, & homicidiorum spectatores existimant.

§. 99. Anno circiter 166. secundam scripsit S. Justinus Martyr apologiam [1], inter alia dicens: *Ne testes desint, quibus mendacia in Christianos prolata probentur, equuleo imponuntur mancipia, infantes, fæminæ in hunc finem, ut per exquisita tormenta confessio incestuum, & conviviorum, quibus infantes devorantur, extorqueatur, hæc enim nobis Christianis affinguntur crimina, qui vero affingunt, illi ipsi talia committunt, Deosque sibi iisdem pollutos criminibus comminiscuntur.* In epilogo dicit: *Nostra religio, si sana mente perpendatur, non est erubescenda, sed omni philosophia humana superior, saltem in libris nostris illas sordes non invenietis, quibus scripta Epicuræorum Sotadis, Philænidis, aut aliorum ejusdem haræ scatent, quæ tamen apud vos omnibus legere permissum* [2].

1. Utramque adductam apologiam genuinum Justini M. esse fœtum præter Harduinum, qui paradoxa ut plurimum sectatur, nemo adhuc negavit. Sed in editionibus inversa ordine positas eas fuisse, dudum animadverterunt eruditi.

2. Libellus scriptus a *Philenide* circumferebatur de omnis generis libidine, quam sequior sexus explere potest, & *Sotades* erat poeta Jonicus, nempe calumniandi impudentia infamis.

§. 100. Anno *M. Aurelii* primo, I. C. 170. *Melito* Sardensis in Asia episcopus apologiam pro Christianis confecit, id qua inter alia memorat: *quod in hanc usque lucem nunquam contigit, recentium decretorum vi in servos per totam Asiam desævitur.* Inferius ait: *calumniatorum impudentia, & prædandi aviditas mandatorum prætextu secura, diu, noctuque innoxios aperte spoliat.* Demum concludit: „Si tuo hæc jussu fiunt, juste „fieri concedam, a Principe enim justo iniqua imperia procedere „nequeunt, & lubenti animo mortem oppetimus, unum est, quod „æquitatem tuam obtestamur, ut causam eorum, qui contumaciæ „adcusantur, per te ipsum cognoscas, & sic an digni sint, ut „suppliciis, & morte tollantur, an vero ut quiete, & secure vi„vere sinantur. ex æquo judices &c."

§. 101. Cum *Severo* regnante in Africa, Ægypto &c. frequentissima erant Christianorum supplicia, adductus est *Tertullianus*, ut apologiam exararet. Est hæc inter omnes apologias amplissima, & celeberrima. Nomen suum non adposuit, sicut fecit Justinus, ad eos vero orationem dirigit, qui primis in imperio dignitatibus fulgebant, id est, ad provinciarum rectores, ut ipse suam mentem explicat [1].

1. Magnos questus ingeminat, quod Christiani sine causæ cognitione, an boni sint, an mali, condemnentur: *Si certum est, quod simus mali, quare nobiscum aliter, quam cum aliis reis agitur? qui causam suam & per seipsos, & advocatorum facundiam defendunt; neminem inauditum condemnare licet. Solis Christianis defensionis libertas adimitur. Sola nominis sui confessio sufficit, ut odio publico immolentur. Si quis nocens fassus est homicidium, vel sacrilegium, non ideo confestim sententiam capitis pronunciatis, sed prius facti circumstantias, locum, modum, tempus, complices investigatis; eadem ratione ut in crimina nobis imposita inquiratis, æquitas postulat, quoties quisque humanas dapes devoraverit, quoties incestu se polluerit, at enimvero contrarium omnino fit; nam in Christianorum secta inquirere vobis lege vetitum est.* Tum rescriptum Trajani ad Plinium refert, & quantum a sana ratione obhorreat ostendit, dum Christianos inquiri prohibet tanquam innocentes, & nihilominus puniri jubet, dum inveniuntur, quasi vero deferri, vel invenire crimen esset.

§. 102. Justinus M. præter duas apologias scripsit *Dialogum cum Tryphone Judæo*, ubi ipse narrat, qua ratione omnes philosophorum sectas, & scholas scrutatus fuerit, & potissimum sese addixerit philosophiæ platonicæ ac tandem philosophiæ Gentilium vanitate cognita se contulerit ad lectionem prophetarum incogniti cujusdam senis congressu, & colloquio excitatus, unde christianam fidem hauserat [1].

1. Cetera Justini opera sunt primo: *Cohortatio* duplex ad Græcos, quam nomine

voluminum, seu librorum contra Gentiles Eusebius, & Hieronymus significarunt. Secundo: Liber *de monarchia Dei*, qui non amplius extat. Tertio: Liber inscriptus *Psaltes*, qui itidem non extat. Quarto: *Commentarius de anima*, qui pariter desideratur. Quinto: *Libri contra Marcionem*, quorum meminit Irenæus. Sexto: Liber contra *omnes hæreses*, cujus ipse meminit Justinus in apologia Antonino Pio oblata. Opera ei falso adscripta inveniri possunt apud Nat. Alexandrum.

§. 103. Melito Sardensis etiam præter suam apologiam multa scripsit opera ab Eusebio in H. E. & Hieronymo in cathal. script. recensita, quæ tamen periere. Liber inscriptus de *transitu virginis*, utut antiquus, Melitoni tamen suppositus est [1].

1. Evincit hoc primo Eusebii, & Hieronymi silentium, qui cum opera ipsius universa recensent, hujus nullam mentionem faciunt, secundo censura Gelasii in synodo Romana ita pronunciantis: *Liber, qui adpellatur transitus, id est, assumptio B. Mariæ, apocryphus.* Tertio SS. Patrum, & authorum ecclesiasticorum dubium de corporea B. Virginis in cœlum assumptione, imo & ecclesiæ veteris hac in re sobrietas, quæ illam redivivo corpore assumptam fuisse non adserit, quod argumento est, librum de transitu virginis habitum fuisse, ut pseudepigraphum.

§. 104. Apologistis etiam Tertullianus adnumeratus est, de cujus ceteris operibus quædam monenda veniunt. Erat *Quintus Septimius Florens Tertullianus* Carthaginensis centurionis proconsularis filius, Ethnicus olim, ut ex ejus libris constat, Carthagine causarum patronus christianam religionem, quo tempore, & occasione incertum, amplexus dimissa toga gentili, recepto tunc Christianis more, pallium induit, de quo & librum scripsit. Juvenis, ut animum exhilararet, scripsit tractatum de molestiis matrimonii, attamen uxorem duxit, ut ex duobus libris uxori suæ nuncupatis adparet. S. Cyprianus eum ut magistrum veneratus est, tantique, teste Hier. in cathal. script. eccles. cap. 6., fecit, ut nunquam unam diem absque ejus lectione præterire passus sit, ac crebro notario suo dixerit: *Da magistrum.* Postquam diu pro veritate pugnaverat, tandem seculo III incunte ad *Montani* errores deflexit, obiitque anno 220 [1].

1. A *Praxide* Montanistarum facile facundissimo perversus fuisse creditur. Genii ejus durus, & severus facile rigori hujusce sectæ annuebat, quæ diligentiam supra modum exigebat, in persecutione fugam damnabat, quæ jejuniis, vigiliis, orationibus, ab ecclesia præceptis alia superaddebat, cumque & et vehementi imaginatione, [illegible] facile Montani, & discipulorum ejus [illegible] revelationes in ipsius mente fidem invenerant, tantumque tremendum deliriis decipi se sua credulitate passus est, ut animam corpus esse figura humana diceret, et quod anima humana uni fœminæ, a Montanistis prophetissa habitæ, ita in visione fuerit objecta. *Exemplo terrible de la flaqueza humana y de los errores en que puede hacernos caer el espiritu de orgullo.* (Ducreux).

§. 105. Scripsit ante lapsum præter apologiam librum *de testimonio animæ*, in quo Christianorum causam prosequens, animæ testimonio Deum esse demonstrat; *Scapulam* etiam Asiæ præfec-

tum, extrema fidelibus minitantem lenire conatus. Post ludos seculares octavos Imp. Severo habitos librum de *spectaculis vitandis* edidit, librum de *idololatriæ* crimine, de *corona militis* Christiani, occasione ejus, qui unus oblatam a tribuno lauream in capite gestare ritu Gentilium noluit. Librum de *pœnitentia* duplici ante, & post baptismum lapsis necessaria, de *oratione dominica*, cujus petitiones singillatim explicat. Librum *ad martyres* in carcere designatos consolatorium. Librum de *patientia*, in quo Christi exemplum ob oculos ponit, fugamque in persecutione patientiæ bono imputat, quod Montanista factus retractat. Librum de *habitu muliebri*, & de *culto fæminarum* alterum, unum de *velandis virginibus*, duos *ad uxorem suam*, ne a sui morte alteri, aut certe Gentili viro non nubat, ubi probat matrimonia fidelium cum infidelibus universim esse illicita, quamvis in matrimonio permanere liceat, si ante conversionem partis fidelis fuerint conjugati, unum *adversus Judæos*, unum de *præscriptione* hæreticorum, quorum nova dogmata Apostolorum doctrina posteriora præscriptione elidit, unum de *baptismo* in lege nova necessario contra Quintillam, in quo docet, iterari non posse baptismum excepto hæreticorum baptismo. Reliquos libros adornavit contra hæreticos Marcionem, Praxeam, Valentinianos, & Cainianos.

§. 106. Pauciora sunt, quæ post lapsum scripsit, liber de *exhortatione castitatis*, & alter de *monogamia*, in quibus secundas nuptias adulterii arguit. Libro de *fuga in persecutione* illicitam talem esse fugam ostendere conatur. In libro de *jejuniis* Catholicos *Psychicos* (animales) vocat, quod Montani jejunia carperent. In libro de *pudititia* bigamos pro mœchis habet, eosque ad pœnitentiam admitti vetat. Liber *de trinitate*, & de *cibis judaicis*, hic stylo dissidens, ille posteriorem Sabelii hæresim impugnans Tertulliano tribui non possunt [1].

1. Est scriptor sententiis creber, locutione difficilis. *Despide rayos tan brillantes como abrasadores: su expresion tiene la dureza de su tiempo. y es poco exacta; por su misma fuerza y á veces por su dureza ofusca la valentia y profundidad de sus pensamientos* (Ducreux).

§. 107. Exposita sunt scripta Apostolorum, Patrum apostolicorum, & Apologistarum, prosequamur reliquos epochæ primæ celebriores scriptores. *Papias*, episcopus Hieropolytanus, Apostolos non viderat, ideo Patribus apostolicis non est adnumeratus. Irenæus quidem, & Justinus opinati sunt, ejus magistrum fuisse S. Joannem Apostolum, at vero teste Eusebio L. 3. H. E. C. 93. ipse Papias fatetur, se alterius cujusdam Joannis, qui presbyter fuerat, auditorem fuisse. Scripsit libros quinque *de expositione sermonum Domini*, in quibus inter alia docebat, post resurrec-

tionem mortuorum Christum corporaliter in terra mille annis regnaturum [1].

1. *Mille annorum spatium post resurrectionem fore dicit — — — quæ quidem ita opinatus esse videtur Papias ex male intellectis Apostolorum narrationibus, cum ea, quæ arcano quodam sensu, & exempli causa ab illis dicebantur, non satis pervidisset, fuit enim mediocri admodum ingenio præditus, ut ex scriptis illius conjicere licet, plerisque tamen post ipsum ecclesiasticis scriptoribus ejusdem erroris occasionem præbuit, hominis vetustate suam sententiam tuentibus, puta Irenæo, & quis alius ejusdem opinionis fautor fuit.* (Eusebius H. E. C. 39.)

§. 108. *Irenæus* (latine *pacificus*) Polycarpi viri apostolici discipulus, episcopus Lugdunensis ex itinere romano redux adversus *Florinum*, & *Blastum*, quos ibi viderat, scripsit. Erant isti duo ecclesiæ romanæ presbyteri propter errores depositi. Blastus judaismum reducere conabatur, & cum pertinacia pascha luna decimaquarta celebrabat, huic Irenæus epistolam de *schismate* scripsit. Florinus alterum Deum authorem mali faciebat, ex quo sequebatur, duo dari principia, ad hunc scripsit epistolam de *monarchia*, id est, de unitate principii. Unam scripsit epistolam ad Victorem Papam in controversia paschatis celebrandi, librum *variorum tractatuum*, librum de *Ogdoade*, seu octonario numero. Hæc scripta Irenæi græce primum edita, exigua ad nos parte pervenerunt, & solis pæne titulis nota, sola versio latina librorum quinque adversus hæreses, sed barbara, superest [1].

1. Hoc in opere de traditionibus, & ecclesia egregie discurrit. Vanis hæreticorum præstigiis vera miracula tunc temporis in ecclesia adhuc frequentia opponit. Traditionis veritatem per episcoporum successionem probat. In pluribus locis libertatem hominum docet, causam mali moralis non se tenere ex parte Dei ostendit, sed in libertatis abusu. Franciscus *Feuardentius* Parisiensis professor ultima capita libri quinti in aliis editionibus non extantia ex legitimo, sinceroque codice restituit, in quibus fabula regni millenarii adstruitur. Authoritate, & traditione quorumdam veterum, præcipue Papiæ deceptus est.

§. 109. *Clemens Alexandrinus* presbyter, Pantæni auditor, in schola Alexandriæ catechetica ejusdem successor, ac Origenis magister plura reliquit ingenii sui, ac eruditionis monumenta, quorum alia interierunt, alia ad nostram ætatem pervenerunt. Scripta deperdita commemorant Eusebius L. 6. H. E. C. 13. Hier. de viris illustr. C. 37. & Photius biblioth. cod. 109, in quibus principem locum tenent ὑποτυπώσεων libri octo. Superest autem 1) *exhortatio ad gentes*, cujus Eusebius, Hieronymus, & Photius meminerunt [1]. 2) *Pædagogus*, id est, totius philosophiæ christianæ compendium, in usum potissimum catechumenorum, horum enim ei instructio incumbebat [2]. 3) *Stromata*, seu tapetum structurarum, ideo, ipso Clemente interprete, sic dictum, quod esset philosophiæ christianæ contextus, in quo author sine ordine ab una materia ad aliam digreditur [3].

1. Ostendit hoc in opere ridiculam esse Ethnicorum religionem, quod homines colant flagitiis celebres, quod mysteria pudenda habeant, quod imagines, & statuas inanimatas adorent, eosque ex ipsa mythologia, & philosophia illorum ad errores suos cognoscendos hortatur. Hic Clementis liber est eloquentissimus.

2. Dividitur in tres libros. In primo aperit, quid sub nomine sui Pædagogi intelligat; alia enim ipsius, quam Græcorum, hujus nominis fuit idea, quum Græci virum eum dicebant Pædagogum, qui cujusdam juventuti præpositus ejus esset individuus comes, vitæ rationem moresque formans: Pædagogus vero, quem Clemens in mente habuit, nemo alius est, quam Jesus Christus. Liber secundus vitæ christianæ recte instituendæ regulas tradit, quomodo se gerere debeat Christianus homo in cibo, in potu, in conviviis, in sermone, in usu unguentorum, odorum, in somno capessendo, in procreatione liberorum, in vestibus, in calceamentis. In libro tertio idem argumentum prosequitur, honestatem in balneis suadens, solum Christianum vere divitem ostendens, & frugalitatem præclarum esse viri Christiani viaticum.

3. In octo libros opus est divisum. In primo ostendit, Hebræorum philosophiam quavis philosophia antiquiorem esse, Moysemque omnium vetustissimum scriptorem fuisse probat, nec non philosophum absolutissimum, a quo Græci suam scientiam acceperunt. Libro secundo ostendit, fidem demonstrationibus philosophorum non niti, sed verbi divini doctrina. Libro tertio Valentinianos, & Carpocratianos impugnat uxorum communionem admittentium, atque: ipsos Platonem male intellexisse in sua republica dicentem: oportere esse communes omnium uxores, ut qui diceret: eas quidem, quæ nondum nupserant, esse communes eorum, qui essent petituri, esse autem unamquamque ejus, qui præoccupasset, & non amplius communem esse eam, quæ nupsisset. In libro sexto *Gnostici* (id est, Christiani, quem sic per oppositionem ad Gnosticos hæreticos compellat) officia, & virtutes describit. Octavus, quem nunc habemus, stromatum liber totus logicus, & physicus est agens de definitione, divisione, demonstratione, & de causis, quapropter suspicantur eruditi, ipsum non esse verum octavum stromatum Clementis librum, sed fragmentum ex aliis ejus operibus avulsum.

§. 110. *Origenes* patria Alexandrinus Leonide patre anno 203. natus tanto martyrii desiderio flagrabat, ut se ultro persecutoribus obtulisset, nisi matris preces, & lachrymæ retinuissent. Dum patrem carceri mancipatum scivit, crevit ardor, nec aliud desolatæ matri remedium superfuit, quam ut occultatis omnibus vestibus paternæ domus egressu prohiberet. Post patris sui martyrium cum matre, & sex fratribus natu minoribus ad extremam paupertatem redactus a nobili, & divite fœmina christiana in domum quidem receptus, at eam rursus deserens, ut sibi, unde viveret, pararet, cœpit docere gramaticam, ex quo statu ad docendos cathecumenos non plures octodecim annos natus promotus fuit. Hoc munus, quia eum continuo cum mulieribus conversari cogeret, sese a tentationibus & famam suam a maledicentia liberare impulit, hinc majori zelo, quam prudentia, nec rerum experientia doctus illud evangelii: *sunt eunuchi, qui se ipsos castrarunt propter regnum cœlorum*, ad litteram est interpretatus, & se ipsum evitavit.

§. 111. Alexandria Cæsaream venientem, ibique aliquamdiu morantem *Theoctistus* loci episcopus, & *Alexander* episcopus Hierosolymitanus in presbyterum ordinarunt annos natum 45. Hac de re *Demetrius* Alexandrinus maxime doluit, sive eum invidia ussit, sive disciplinæ ecclesiasticæ zelus [1], tunc certe Origenes imprudentiam, qua se exsecuit, divulgavit, & quæ hucusque omnes latuerat. Hæc mutilatio legibus ecclesiæ vetabatur, & qui eam passus est, *irregularis* habebatur, ideo hæc Origenis in presbyterum ordinatio diuturnæ in ecclesia divisionis causa fuit.

1. Ab itinere reducem synodali decreto Alexandriæ permanere primo prohibuit dein gradu sacerdotali dejecit, & datis quaqua versum litteris omnes fere episcopos permovit, ut eumdem communione ecclesiastica indignum judicarent. Origenes ita condemnatus diversis in locis commoratus est, & varia suscepit itinera. Sub *Decio* Imp. confessoris gloria illustris est factus. Narrant quidem haud pauci testimonio Epiphanii *hæres.* 64. freti, eum durante persecutione declinandæ thus idolis adolevisse, verum cum scriptores coævi de hoc facto sileant, & ei hic lapsus ne quidem ab adversariis exprobatus umquam fuerit, dicendum, Epiphanium ista referentem lapsum fuisse. Sicut vero Origenem ab idololatriæ crimine immunem dicimus, ita certum est, eum ab Decio martyrem minime obiisse, cum constet, eumdem ad *Galli*, & *Volusiani* tempora pervenisse.

§. 112. Erat Origenes ingenii, ac eruditionis prodigium [1] ab indefesso studio *Amantius* dictus, quod sena librorum millia Epiphanio teste conscripserit, ex quibus tamen plurima ætatem non tulerunt. Quæ ex iis ad nos pervenerunt, hæc sunt: *Hexaplorum* [2], & *Commentariorum* in sacram scripturam reliquiæ, libri octo adversus *Celsum* [3], libri quatuor περὶ ἀρχῶν [4], tractatus de *oratione*, epistola ad *Julium Africanum* [5], & exhortatio ad martyrium.

1. Quippe ex Cassiodori sententia: *ubi bene Origenes, ibi nemo melius. Al leer sus escritos no se sabe que es lo que se debe admirar mas, si la mucha extension de su ciencia, o la portentosa facilidad de su ingenio, ó la belleza de su estilo, ó la fuerza de sus raciocinios.* (Ducreux).

2. Grande edidit opus, cui conficiendo 28. annos impendit, nimirum sacræ scripturæ editiones in pluribus columnis, ut diversæ editiones invicem conferri possent. Tales editiones confecit tres dictas græce: *Hexapla*, *Octapla*, *Tetrapla* juxta columnarum numerum. Hexapla sex columnis constat, in prima positus est textus hebraicus caracteribus hebraicis, in secunda columna idem textus hebraicus caracteribus græcis in eorum gratiam, qui linguam hebraicam intelligebant, at litteras non didicerant, in tertia columna erat posita versio Aquilæ, in quarta versio *Symachi*, in quinta versio τῶν LXX., in sexta versio *Theodotionis*.

3. Est hoc inter ultima, quæ nobis supersunt, Origenis opera (§. 54.), in quo juxta ejus doctrinam fides omnino a ratiocinatione est necessaria, quia paucissimis hominum & tempus est, & capacitas de rebus fidei ratiocinandi. Celsus Christum miracula patrasse non negat, sed quia in evangelio falsorum prophetarum, & falsorum miraculorum fit mentio, utrumque miraculorum genus confundebat, atque arti magicæ adscribebant. Origenes vero Celso ad hoc res-

pondebat, supposita semel aliqua potestate supra naturam; si datur aliqua, quæ sit sua natura mala, necessario aliqua alia dari debet, quæ sit sua natura bona, ex quo sequitur, si dantur falsa miracula authore dæmone profecta, necessario etiam dari vera miracula authore Deo profecta, esse porro certissima vera a falsis discernendi media.

4. In hoc tractatu, quæ prolegomena theologiæ videri poterant, varios errores docuisse fertur, cujus quidem sola versio Ruffini nobis superest. Imprimis e fundamento evertere conatur Valentiniani, Marcionis, aliorumque duo principia statuentium errores, asserendo in contrarium, causam mali moralis esse creaturæ rationalis defectum, quæ libertate abutitur; at dein ex conclusione vera conclusiones erroneas deducit; ait enim creaturarum inæqualitatem in meritorum inæqualitate fundari. Juxta ejus opinionem Deus ante corpora certum numerum Spirituum inter se æqualium creavit, quorum plerique peccarunt, & secundum gradum culpæ diversis corporibus alligati sunt, ideo creatis, ut per ea punirentur. Itaque qui puri antea erant Spiritus, facti sunt animæ angelorum, hominum, vel astrorum (angelos enim putabat compositos ex anima, & corpore subtilissimo). Ille Spiritus, qui inter omnes alios Deum perfectiori charitate amavit, ei modo excellentiori uniri meruit. Hic Spiritus est Jesu Christi anima, omnes alii Spiritus mutationi de bono in malum, & vice versa subjecti sunt. Beatorum felicitas non reddit impeccabiles, ceterum ipse dæmon destructa ejus mala voluntate Dei inimicus esse cessabit aliquando. Post hunc mundum existet alius, & adhuc plures, sicut ante hunc plures extiterunt, immo nunquam aliquod tempus fuit, quo non fuisset aliquis mundus, nec aliquod unquam erit, ne Deus otiosus esse videatur. Origenes has opiniones ex philosophia platonica hausit, quam optime callebat. Inter alia illud principium speciosum arriserat, omnes pœnas esse medicinales, nec alium habere finem, quam rei emendationem, id enim ad conciliandam Dei justitiam cum ejus bonitate aptius medium videbatur, quam pœnæ æternæ damnatorum.

5. Julius Africanus vir inter Christianos doctissimus ad Origenem epistolam dedit, in qua argumenta proponit sibi persuadentia Susannæ historiam in fine libri Danielis positam esse apocrypham, eo quod nec ista historia, nec illa Beli, & draconis in exemplaribus Judæorum inveniretur, ad quod ei in epistola respondit.

§. 113. *Cyprianus* episcopus Carthaginensis vir summi ingenii, quod artibus liberalibus, & philosophia excoluit, parentibus natus Gentilibus post maturam demum deliberationem fidem amplexus est [1]. Ejus conversionem Pagani ægre tulerunt; fuere, qui eum contemptim *Coprianum* dicerent, allusione frigida ad nomen ejus non multum abludens a vocabulo græco, quod *fimetum* significat, etiam exprobrabant, quod tanto ingenio præditus ad vetularum fabulas converteretur.

1. Presbyter quidam, cui nomen erat *Cæcilius*, eum ad fidem perduxit, quem exinde ut patrem est veneratus, etiam nomen ejus nomini Thascii, quod ante gerebat, junxit ita, ut deinceps vocaretur Thascius Cæcilius Cyprianus. „Valde arduum mihi videbatur (ait de se ipso Cyprianus) renasci denuo in novam vitam, & novum hominem fieri in antiquo corpore; quomodo fieri possit, ajebam ad me ipsum, ut quis habitus pravos, & inveteratos repente deponat?"

§. 114. Mox post suam conversionem venditis fundis, & hortis, quos prope urbem Carthaginem possedit, divitias longo tem-

pore conquisitas inter pauperes distribuit [1]. Sub initia persecutionis Decianæ populus infidelis sæpius in circo, & amphitheatro exclamavit: *Cyprianum ad leonem*, hinc fugam arripuit, atque id ipsum non tam propriæ salutis causa, quam ut quietem totius ecclesiæ suæ conservaret, ne, si temere prodiret, seditionem jam gliscentem magis excitaret. Obiit mortem pro Christo anno 258. (*Pontius diaconus in vita Cypriani*).

1. Quamvis esset *Neophytus*, sacerdotio initiatus est, nam propter singularem virtutem merebatur, ut in præcepto S. Pauli dispensetur. Haud multo post defuncto Donato carthaginensi episcopo populus Cyprianum instantissime episcopum postulavit, ipse vero humiliter se occultabat, senioribus cedens honorem quo se indignum putabat. Unanimi tamen episcoporum judicio, & populi consensu episcopus est electus.

§. 115. Inter Cypriani opera eminent *epistolæ*, quas magno numero exaravit, dein tractatus alii de *idolorum vanitate*, de *lapsis*, de *unitate ecclesiæ*, de *mortalitate*, *testimoniorum libri tres* contra Judæos, de *bono patientiæ &c.*: [1] (*Vid. Fleury.*)

1. *Sin menos energia y profundidad que Tertuliano, posee mas suavidad y dulzura. Su epistola á Donato sobre el apartamiento del mundo, y las ventajas de la soledad, es una obra maestra de eloquencia, que los maestros del arte no se cansan de admirar, asi por lo que hace á la eleccion de los pensamientos, como por lo rico y gracioso de las imágenes. Generalmente en todo lo que ha salido de su pluma se encuentran ideas grandes y sublimes, un raciocinio sólido, una alma naturalmente inclinada á la indulgencia y á la concordia.* (*Ducreux*).

§. 116. Reliqui hujus epochæ scriptores sunt *Hipolitus* episcopus, & martyr [1], *Dionysius Alexandrinus* [2], *Gregorius Neocæsariensis* [3], *Firmilianus* episcopus Cæsarææ in Capadocia [4], & *Minutius Felix* [5].

1. Erat Clementis Alexandrini discipulus, Origenis coævus, & sub Alexandro Severo Imp. martyrium obiit. Scripsit inter cetera *canonem paschalem*, annorumque sedecim periodum incipientem ab anno primo Alexandri Severi, & Christi 222., de quo canone Egydius Bucherius, Franciscus Bianchinius, & Jo. Dominicus Cassinus. (*Berti.*)

2. Fuit episcopus Alexandrinus, auditor Origenis, obiitque anno 264 (*Berti.*) *Es particularmente conocido por su carta al cismático Novaciano.* (*Ducreux*).

3. Episcopus Neocæsariensis in Ponto, inter Origenis discipulos celebratissimus, ob virtutem patrandi miracula *Thaumaturgus* dictus obiit: circa annum 170. Ex ejus scriptis ad nos pervenerunt *panegiricus* Origeni dictus, *confessio fidei*, & *epistola canonica*.

4. Nota est nobis ejus epistola ad Cyprianum in controversia rebaptizationis.

5. Erat orator Romanus, & scripsit *Octavium*, seu dialogum inter Christianum Octavium & Cæcilium ethnicum, qui liber diu pro octavo Arnobii contra gentes adversus libro habitus est.

CAPUT SECUNDUM

DE

CONTROVERSIIS THEOLOGICIS.

§. 117. Viventibus adhuc Apostolis exorta est controversia de necessitate circumcisionis, & ceremoniarum legis mosaicæ. Cum enim S. Paulus, & Barnabas Antiochiæ versarentur, fratrum nonnulli, qui ex Judæa venerant, ibidem turbas conflarunt, ajentes, neminem sine circumcisione, & non servata Moysis lege æternam salutem consequi posse, quibus Paulus, & Barnabas restiterant. Cum Hierosolymam se contulerunt, ubi easdem turbas, quæ Antiochenam ecclesiam exagitabant, comprererunt. Ad eas finiendas Apostoli convenerunt, scilicet Petrus, Joannes, Jacobus, Paulus, Barnabas. Cum super proposita difficultate diligenter contulissent, surrexit Petrus, primusque sententiam tulit, secutus est eum Jacobus, & hos universus cætus. Synodica in id edita epistola, & decisio facta: *Visum est spiritui sancto, & nobis, aliud jugum vobis non imponere, quam quod necessarium, ut abstineatis a carnibus immolatis, a sanguine suffocatorum, & fornicatione* (Act. c. 15.) [1].

1. Necessitas tunc exigebat monere Gentiles, fornicationem esse illicitam, quia apud eos inter crimina non reputabatur. Lege civili adulterium tantummodo prohibebatur, sed impune erat concubinas alere, & mulieres ex quæstuosa prostitutione viventes publice tolerabantur. Quod attinet prohibitionem vescendi sanguine, & consequenter carne suffocatorum, ex altiori origine, quam ex Moysis lege ortum trahebat; facta enim jam fuerat Noemo ex arca egredienti, hinc omnes nationes tangere videbatur, atque est sane, quod credantur Apostoli hanc unam satis facilem e legalibus ceremoniis initio quidem relinquere voluisse, ut Gentes, & Judæos quodam vinculo inter se unirent, iisque arcam Noe, figuram ecclesiæ, quæ omnes nationes recipit, in memoriam revocarent. Sed & alia potuit subesse ratio, quod nempe falsi Dii, id est dæmones, victimarum sanguine pasci crederentur.

§. 118. Ex multitudine Christianorum sub Deciana persecutione fidem negantium (§. 44) ob *libellos pacis* a Martyribus impetratos passim in ecclesia motus, & contentiones nascebantur; lapsi enim quorum animos pœnitentia subierat, ut per breviorem, ac mitiorem disciplinam, ac quidem ecclesiæ leges postulabant, in communionem, qua exciderant, restituerentur, Martyres, ac confessores in carceribus detentos adibant, libellos pacis ab illis efflagitaturi, quibus muniti ad communionem recipi postulabant. Neque deerant sacerdotes justo leniores, qui lapsos, etsi nullam

peregissent pœnitentiam, in communionem admitterent. Abusui, & corruptelæ adstipulante clero romano fortiter se opposuit S. Cyprianus, unde grave ilii bellum natum est cum martyribus, confessoribus, presbyteris, & lapsis, ex quo tamen victor discessit [1].

1. Cum martyres in magno semper apud fideles fuerint honore, peccatores, quibus pœnitentia peragenda fuit, si citius veniam, & remissionem pœnitentiæ impositæ impetrare volebant, martyres adhibebant deprecatores, id est, acceperunt a martyribus proxime morituris schedas, quibus significabant, se hos pœnitentes dignos communione judicasse, & idcirco in fratrum numero habere velle. Schedæ ejusmodi lapsis, & peccatoribus a martyribus concessæ *libellus pacis* dicebantur. Notandum autem, ante persecutionem Decii martyres nonnisi paucissimis, iisque tantum, qui signa veræ pœnitentiæ dabant, libellos pacis concessisse, verum sub hac persecutione omnibus sine discrimine dicti libelli concedebantur, & quidem in tanta copia, ut milleni una die concessi sint. Hic abusus disciplinæ rigori valde nocuit; spe enim obtinendi libelli pacis multi a fide defecerant. Contra hanc nimiam lenitatem recipiendi lapsos pugnabat Cyprianus, proponens, consuetum fuisse in persecutionibus prioribus, ut episcopi in carceres peritos diaconos ablegaverint, qui martyres rudiores, canonum pœnitentialium, & disciplinæ ecclesiasticæ ignaros, consiliis regerent, & impedirent, ne omnibus sine discrimine libellos pacis concederent, hanc jam laudabilem consuetudinem sub persecutione Deciana non observari, eam ob causam vestigiis majorum insistendum esse hortatur. Ex quo adparet, non negasse Cyprianum, martyres morituros jus habere concedendi libellos pacis, sed de nimia eos concedendi liberalitate disputasse.

§. 119. Festum paschatis a Judæis post egressum ex Ægypto mandato Dei celebrandum (*Exod. cap.* 12.) etiam Christus adcurate observavit (*Math. cap.* 26). Post prædicatum evangelium aliqui fidelium in memoriam Christi morientis, & sacræ cœnæ ab eo institutæ antiquæ Judæorum consuetudini insistentes pascha luna decimaquarta, in quamcunque diem caderet, alii vero in memoriam dominicæ resurrectionis dominica lunam decimamquartam sequente celebrarunt. Sciendum vero orientales, & præcipue Asiaticos Judæorum consuetudini inhæsisse contendentes, se hanc traditionem a Joanne Apostolo habere, Romani contra, & omnes occidentales illud celebrabant dominica lunam decimamquartam sequente, eo quod hæc fuisset Apostolorum traditio [1]. Cum jam integræ ecclesiæ diversum in hoc puncto servarent morem, non levis hac de causa seculo II. exarsit controversia, quæ sub Papa *Aniceto* incepit, majori vero contentione agitata est sub Papa *Victore*.

1. Hic sibi ipsa traditio apostolica contraria videtur; verum animadvertere oportet, omnem illam disputationem meram spectare *disciplinam*, traditiones autem, quæ solam disciplinam concernunt, diversis in locis diversas esse posse. Neque etiam est arduum, rationem hujus diversitatis eruere; nam quamdiu Apostoli congregati erant, judaicum morem in celebrando paschate retinuerunt, postquam autem dispersi sunt, Petrus veniens in occidentem Romam tenuit, ubi ecclesiam ex Gentilibus magis, quam ex Judæis collegit. Cum autem Gentiles a ritibus hebraicis quam maxime abhorrerent, S. Pe-

trus illis morem, quantum lex christiana patiebatur, gesturus pascha non ritu Judæorum, sed die dominica celebravit, unde ecclesia romana traditionem apostolicam de tempore celebrandi pascha habuit. Asiæ vero ecclesiæ, quas S. Joannes regebat, potissimum ex Judæis constabant.

§. 120. Polycarpus Smirnensis episcopus S. Joannis Evangelistæ discipulus (§. 9.) primus hac de controversia cum Aniceto Papa congressum habuit Romæ, cumque diu colloquerentur, & quivis pro suo more argumenta adduceret, nulla tamen inter illos super hac re est compositio facta, nam quilibet suum morem celebrandi pascha retinuit [1].

1. Non tamen ob hanc dissensionem vinculum pacis, & communionis est disruptum. „Cum pace (verba sunt Irenæi apud Eusebium) a se invicem discesserunt, „tam iis, qui observabant, quam iis, qui non observarunt pacem, & commu„nionem totius ecclesiæ retinentibus.

§. 121. Venit Polycarpus Romam in causa celebrandi paschatis sub Imp. *Antonino* anno 158. Dein vero sub Imp. *Severo* anno 196. hæc controversia majori contentione agitari cœpit. Hinc plura hac de causa habita concilia; unum Cæsareæ in Palæstina, in quo *Theophilus* illius ecclesiæ episcopus, & *Narcyssus* episcopus Hierosolymitanus præsidebant [1]. Unum hac de causa convocabat Romam *Victor* Papa, aliud concilium episcoporum *Ponti* habitum est, cui Palmas episcopus Amastriacus senio, & authoritate præcipuus præfuit, aliud ecclesiarum Galliæ, cui S. Irenæus præsedit, aliud Bachilei episcopi Corinthi, aliaque plura, in quibus concorditer fuit decretum, pascha die dominico celebrandum esse.

1. Decreverunt Palæstini episcopi, pascha celebrandum esse die dominica proxime sequente lunam decimam quartam primi mensis Judæorum post æquinoctium vernum. Constituerunt porro limites paschalis festivitatis 11. Kal. April. & 11. kal. Majar. ita, ut aliqua ex Dominicis illo temporis intervallo intercurrentibus pascha celebrandum esset; at cum astronomicas illorum rationes non omnino adcuratas fuisse constaret, a generali concilio Nicæno limites hi sunt immutati etsi & postea limites Patrum Nicænorum immutati sint calculis astronomicis adcuratius confectis.

§. 122. Ratio cur dicta concilia concorditer contra Asiaticos pronunciaverint, in eo est: tum Asiatici, tum Romani, etsi diversis diebus pascha celebraverint; uterque tamen hebdomada magna jejunavit, hinc Asiaticorum consuetudo pascha celebrandi duo magna habebat incomoda, quæ reliquis Christianis, præprimis Romanis, intolerabilia videbantur. Primum cum eo ipso die, quo Christum cum discipulis agnum paschalem comedisse putabant, sacrum convivium suum agerent, jejunium magnæ hebdomadis interrumpebant, quod quidem reliquis Christianis non licere visum, deinde cum tertio semper die post cœ-

nam suam paschalem memoriam Christi resurgentis celebrassent necesse erat, ut alio plerumque die, quam dominico, resurrectionis memoriam celebrassent, maxima vero Christianorum pars nefas reputabat, aliam diem, quam dominicam resurrectioni Christi consecrare.

§. 123. Nan obstantibus tamen Victoris Papæ, aliorumque episcoporum in variis conciliis congregatorum conatibus *Polycrates* episcopus Ephesinus in Epistola ad Victorem, & ecclesiam romanam data morem Asiaticorum defendit[1].

1, Juvat ad majorem hujus controversiæ notitiam ipsa Polycratis verba adscribere: *Diem paschatis inviolate nihil addendo, nihil diminuendo celebramus. In Asia enim obdormierunt in Domino magna illa ecclesiæ lumina, quæ in Dei gloriosi adventu resurgent; videlicet Philippus ex duodecim Apostolis, qui mortuus est Hierapoli, & duæ filiæ ejus, quæ in [illegible] usque senectutem virginitatem servarunt, & alia filia ejus, quæ dono S. Spiritus clara post vitam [illegible] Ephesi e vivis decessit. His adnumerandus est Joannes, qui supra pectus Domini recubuit ---. Item Polycarpus episcopus, & martyr Smirnæ. Thraseas episcopus, & martyr Eumeniæ [illegible] Ephesi. Possunt etiam adduci Sagaris episcopus, & martyr defunctus Laodiceæ, & beatus Papirius, & episcopus Melito, qui in omnibus Spiritu Sancto [illegible] --. Omnes isti paschalia celebrarunt decima quarta lunæ juxta evangelium [illegible], sed regulam fidei sequentes, & ego Polycrates minimus omnium vestrum [illegible] propinquorum traditionem, quorum aliqui magistri mei fuere. Septem episcopos ex propinquis meis habuit, & ego sum octavus, omnes semper diem paschatis celebrarunt in illo tempore, quo Judæi fermentum projiciebant. Ego itaque, qui 65. annis in Domino vixi, cum omnibus totius mundi fratribus communicavi, totam sacram scripturam legi, propter ea, quæ nobis ad terrorem opponuntur, non turbor, nam viri majores me dixerunt: oportet Deo magis obedire, quam hominibus.*

§. 124. Hæc verba Polycratis: *Propter ea, quæ nobis ad terrorem opponuntur, non turbor*, indicium sunt Victorem Asiaticos veteris consuetudinis tenaces aut reipsa excommunicasse, aut saltem privationem communionis minatum fuisse; non enim in hoc conveniunt eruditi[1]. Multi episcoporum hunc fervorem Victoris improbabant, & vehementer hortabantur, ut pacem conservaret, multi ad eum dederunt epistolas, quos inter S. Irenæus nomine fratrum, quibus in Galiis præerat, scripsit, & defendit, festum quidem resurrectionis non alia die, quam dominica esse celebrandum, ideo autem tantum ecclesiarum numerum, quod mori suo antiquo inhærerent, ab universalis ecclesiæ corpore non esse rescindendum.

1. Qui Victorem intra minas hæsisse contendunt, his nituntur momentis: 1) Irenæus Victorem monet, & hortatur ardentius, ne tam multas ecclesias separet, non igitur separaverat adhuc. Quis enim rogat aliquem, ne malum faciat, si illud jam fecit? tum enim potius rogandum ut illud iterum tollat. 2) Firmilianus in epistola ad Ciprianum Romanos his verbis perstringit: Eos autem, qui Romæ sunt, non ea in omnibus observare, quæ sunt ab origine tradita, [illegible] quis etiam inde potest, quod circa celebrandos dies pasche vi-

„deat esse apud illos antiquas diversitates, nec observari illinc omnia æqualiter, quæ Hierosolymis observantur --- *nec tamen propter hoc ab ecclesiæ catholicæ pace, atque unitate aliquando discessum est.*" 3) Eusebius L. 5. H. E. cap. 24. ita habet: *His rebus adductus Victor — totius Asiæ ecclesias — simul omnes a communi unitate ecclesiæ amputare conatur, & in eos per litteras graviter invehitur: atque adeo omnes fratres eam incolentes regionem prorsus a communione excludendos edixit.* Post autem Irenæum qua mediatorem intervenisse, hortatumque fuisse Victorem, ut unitatem retineat; nam Eusebius ita concludit: *Irenæus cum nominis sui adpelationi pulchre respondens* (εἰρηναῖος enim pacis studiosum significat) *tum moribus, quibus se pacis authorem declarabat, ejusmodi pro pace, & concordia ecclesiarum & hortatus est, & magnopere flagitavit.* In opinione contraria, Victorem Asiaticos reipsa excommunicasse, sunt Schelestratus, Pagius, Tillemontius, & Massuetus his ex motivis: 1) Eusebius, postquam dixit, Victorem conatum fuisse episcopos Asiæ a communione abscindere, hæc subjungit: *Datisque litteris universos, qui illic erant fratres, proscribit, & ad unitate ecclesiæ prorsus alienos esse pronunciat.* Et ne Eusebius sibi contradixisse dici debeat, animadvertunt, verum quidem esse, quod Eusebius deinde narret: S. Irenæum potissimum deprecatum fuisse Victorem, ne ecclesias Asiaticas a communione arceret, sed inde non satis constare, quod Asiaticos reipsa anathemate non percusserit, quod reipsa fecisse citata Eusebii verba evincunt cum igitur plures scripserit Irenæus ad Victorem epistolas, ut ex Hieronymo constat, illarum tantum Eusebium meminisse ajunt, quæ scriptæ sunt, antequam Victor Asiaticos excommunicavit. 2) Adducunt Epiphanium hæres. 70. dicentem: *Nec illud eruditis hominibus ignotum est, quam sæpe diversis temporibus de illius festi celebritate varii ecclesiasticæ disciplinæ tumultus concitati sint præsertim Polycratis, ac Victoris ætate, cum orientales ab occidentalibus aliquandi pacificas a se invicem litteras nullas acciperent.* Non est contemnenda sententia Tillemontii in hac causa, qui distinguit inter segregationem a communione cum *ecclesia romana*, & inter segregationem a communione cum *ecclesia universa*. Illud Victorem perfecisse, hoc ut obtineret, conatum tantum esse contendit.

§. 125. Sub *Stephano* Papa magna quæstio inter episcopos de valore baptismi ab hæreticis collati agitari cœpit. Mota est quæstio primo in Africa, & *S. Cyprianus* primus fuit, qui rationibus ad speciem fortissimis valorem baptismi ab hæreticis collati, impugnabat [1], docendo, ad ecclesiam redeuntes rebaptizandos esse. *Rebaptizationis* tamen nomen Africanis invisum semper fuit [2], nam omnes in eo consentiebant, baptismum, si semel valide collatus est, reiterandum non esse.

1. Accepit hanc opinionem Cyprianus a prædecessore suo *Agrippino* Carthaginensi episcopo uti constat ex epistola Cypriani ad Quintum data, ubi ait: *Agrippinus bonæ memoriæ vir cum cæteris coepiscopis suis, qui illo tempore in provincia Africa & Numidia ecclesiam Dei gubernabant, ita statuit &c.* Iterum in Ep. ad Jubajanum: *Apud nos autem non nova, aut repentina res est ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sunt, & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerunt.* Quamvis vero hæc opinio ab Agrippino invecta, & in orientem propagata magni nominis viros propugnatores habuit, nulli tamen ecclesiarum dissidio usque ad tempora Cypriani causam præbuit.

2. Constat id ex epistola Cypriani ad Quintum: „Nos enim dicimus eos, qui inde „veniunt, non *rebaptizari* apud nos, sed *baptizari*. Neque enim accipiunt illic „aliquid, ubi nihil est, sed veniunt ad nos, ut hic accipiant.

§. 126. S. Cyprianus multas ad episcopos hac de re eum con-

sulentes scripsit epistolas, & primam quidem ad *Magnum* [1] dein *Quintum* Mauritaniæ episcopum per presbyterum Lucianum eum consulentem [2], & ad *Jubajanum* [3]. Cum autem multi episcopi Numidiæ *Januarius*, *Saturnius*, *Maximus*, & quindecim alii Cyprianum in eodem causa consuluerint [4], congregavit in Africa concilium triginta duorum episcoporum, & quorumdam presbyterorum, cui ipse præsedit. Lecta est in hoc concilio epistola episcoporum Numidiæ Cyprianum consulentium, & responderunt episcopi Africani, juxta doctrinam a prædecessoribus suis multo tempore receptam *neminem extra ecclesiam baptizari posse.*

1. Petit à Cypriano consilium, an Novatiani eodem loco cum ceteris hæreticis habendi? eo quod formam baptismi non corrumpant, sicut reliqui: & respondit Cyprianus, baptismum generaliter omnibus, qui ad ecclesiam veniunt, esse conferendum.

2. In hac epistola responsoria ad duo argumenta episcoporum non rebaptizantium respondere conatur Cyprianus; primum erat, unum esse baptisma, nec locum iterationi esse, & alterum, antiqua consuetudine esse standum. Ad primum concedit, unum esse baptisma, at simul contendit, hoc unum baptizatum in vera tantum ecclesia inveniri, ab hæreticis autem nihil dari, quia nihil habent, nec quidquam prodesse juxta scripturam (*Eccli.* 34.) baptizatum esse a mortuo. Ad alterum, nempe consuetudinem, etiam hanc existere concedit, at omnem consuetudinem rationi cedere debere.

3. In hac epistola Cyprianus ait, sibi ab adversariis opponi Apostolorum traditionem, & respondet, nullibi adparere, quemquam Apostolorum aliquem cum hæreticorum baptismo recepisse; & baptismum non esse majoris virtutis, quam martyrium, quod illis, qui extra ecclesiam occiduntur ad salutem nihil prodest.

4. Hi quidem omnes sententiam de rebaptizando tenebant, attamen episcoporum Africæ mentem exquirebant.

§. 127. Videns autem Cyprianus, nec concilium antiquum ab Agrippino celebratum (§. 125 *), nec illud, quod ipse nuper cum episcopis Africanis celebravit, sopiendæ liti sufficere, alterum coegit, ad quod etiam episcopi Numidiæ vocati. Tunc sexaginta et unus episcopi, pensatis, & confectis prius aliis negotiis de convenere baptismo iterato decisum, alium baptismum non dari, quam qui in vera ecclesia confertur.

§ 128. Cyprianus de hujus concilii actis *Stephanum* Papam certiorem reddidit mittens simul epistolæ synodalis præcedentis sui concilii exemplar. *Visum mihi* (inquit) *tibi de hac re scribendum, quæ ad unitatem, & dignitatem ecclesiæ spectat.* Ad has epistolas perferendas duos episcopos Romam misit; at advenientes Stephanus nec videre, nec audire voluit, præcepitque fidelibus, ne eos reciperent, aut hospitii officium exhiberent.

Sic legati, quamquam episcopi, nec diversorium apud fratres Romæ acceperant, imo Stephanus epistolam dictavit stylo fervente, in qua Cyprianum adpellat *pseudo-christum*, pseudo-apostolum, & *dolosum operarium*, atque prorsus excommunicationis decreto minatus est, quæstionem autem decidit Stephanus in hunc modum: *Si quis ex quacunque hæresi ad vos veniat, nihil innovetur, sed servetur traditio, qua accepimus: ei pro pœnitentia manus esse imponendas.*

§. 129. Cum aliis episcopis innotuit, Cyprianum a Stephano responsum accepisse, eorum aliquis nomine *Pompejus* illum rogavit, ut quale fuerit Stephani responsum, rescriberet. Cyprianus descriptam Papæ epistolam cum epistola alia, qua se responsum Papæ refutare putabat [1], transmisit.

1. Epistola Stephani ad nos usque ætatem non tulit, hæc autem ex Cypriani responsoria intelliguntur: Stephani doctrinam fuisse traditioni innixam. Cyprianus vero probare conabatur, hanc esse traditionem pure humanam, cui scriptura, & præcepta divina anteponenda, quæ docent, unitate ecclesiæ esse adhærendum. Stephanus exemplum adducebat hæreticorum non rebaptizantium eos, qui ab una secta ad aliam transeunt, quod veresimiliter eum facit sepsum, traditionem non rebaptizandi tam altas egisse radices, ut ne quidem hæretici eam impugnare audeant. Cyprianus contra comparationem de confirmatione, & baptismo urget: *Cum hæretici resipiscentes a nobis confirmentur, multo magis baptizari debent. non est enim ratio, cur in uno sacramento ab hæreticis administrato spiritum sanctum accipere potuerint, & non in altero.* Dicit etiam, cum baptismi effectus sit regeneratio, hæresim non posse Deo per Jesum Christum, cujus sponsa non est, filios gignere. Unam debere esse ecclesiam probat in scriptura per hortum conclusum, fontem signatum, & puteum aquarum viventium denotatam (*Cantic. cap.* 4 *v.* 12) *Quomodo* (inquit) *qui extra ecclesiam est, in hunc hortum ingredi, & ex hoc fonte bibere poterit?* Illud vero bilem movisse Cypriano videtur, quod Papa Stephanus excommunicationem fuerit minatus, eumque pseudo-christum, & pseudo-apostolum compellaverit, propterea eum *cæcitatis*, & *duræ cervicis* nec non *obstinationis* incusat, atque episcopum oportere esse docilem, & non tantum alios instruere, sed etiam quotidie instrui, & discere.

§. 130. Cyprianum post acceptam a Stephano sententiam denuo concilium trium provinciarum Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ convocavit [1], quod Carthagine prima Septembris anno 256 celebratum. Convenerunt episcopi numero octoginta quinque cum presbyteris, diaconis, & magna populi parte. Episcopi præsentes in ferenda sententia eadem repetebant argumenta, quibus Ciprianus in suis epistolis usus est.

1. Liquet, nec Cyprianum, nec ceteros trium provinciarum congregatos episcopos, existimasse, Papam in suis definitionibus esse infallibilem, aut supremum in ecclesia tribunal.

§. 131. Cyprianus sciens, Stephanum hac de re ad episcopos

orientis scripsisse, & declarasse sua communione privandos qui hæreticos rebaptizarent, ad *Firmilianum* episcopum Cæsareæ, inter episcopos orientis fama celeberrimum, & hujus sententiæ defensorem acerrimum litteras dedit, ferente eas Rogatiano diacono, cui simul descripta exemplaria suarum epistolarum ad Stephanum, & Jubajanum tradidit, qui eumdem adpropinquante hyeme cum ampla ad Cyprianum epistola remisit [1].

1. Ad traditionis apostolicæ argumentum respondet Firmilianus, non omnes traditiones primævas a Romanis observari, cum apud eos diversitas in celebratione paschatis, & aliorum mysteriorum deprehendatur. Ait etiam: *Hæreticus non potest ordinare, nec manus imponere, nec baptizare, nec quamcumque aliam functionem spiritualem peragere, utpote a spiritu, & sanctitate Dei alienus. Diu est, quod hæc omnia Iconii in Phrygia ex Galatia, Cilicia, & vicinis provinciis congregati in conventu decrevimus. — — — Vobis Africanis dicere licet, quod consuetudinis errorem cognita veritate dimiseritis, apud nos autem usus veritati conjunctus fuit a principio id servantes, quod Jesus Christus, & Apostoli docuerunt, atque talis usus apud nos omnium hominum memoria est antiquior.* Nullatenus autem mirum videri debet, quod usus rebaptizandi in Asia minori adeo antiquus fuerit, hoc enim ideo factum, quia regionis illius hæretici plerumque formam baptismi pervertebant, utpote Trinitatem negantes.

§. 132. Varia occurrunt in controversia rebaptizantium, de quibus eruditi disputant, ac primo quidem quæri solet: qualem exitum lis hæc tunc sortita sit: [1] secundo: quid pars utraque contendentium vere senserit? [2], & tertio: num Stephanus Cyprianum, & Firmilianum reipsa excommunicaverit, vel intra minas hæserit? [3]

1. Qualem exitum lis hæc tunc quidem sortita sit, nescitur, attamen sub Sixto Stephani successore necdum sopitam fuisse ex epistolis Dionysii Alexandrini ad eum datis constat, nec unquam Cyprianum, & Firmilianum mentem mutasse legimus, & S. Aug. Ep. 48 ad Vincentium Donatistam de Cypriano ait: *correxisse istam sententiam non invenitur: non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* Nec ex parte tamen ecclesiæ unitatem læserant; nulla enim tunc temporis in hac controversia ecclesiæ definitio aderat, quæ unanimi consensu esset accepta. Unde hac de re S. Augustinus loquitur, Stephani decretum, utut, veritati consentaneum pro decisione ultima non habens (*de Bapt. contra Donat.*).

2. Cyprianus, & Firmilianus mentem suam claris verbis explicarunt, omnes extra ecclesiam baptizatos ad eam venientes rebaptizandos esse. Tam perspicue autem tradita nobis non est Stephani sententia. Protestantium plerique existimant, Papam damnando errorem Cypriani in oppositum errorem lapsum esse docendo, etiam illorum hæreticorum baptisma, qui formam ejus corrumperent, validum esse. Eamdem sententiam ex Catholicis amplexi sunt *Launojus*, & *Lupus*, oppositum vero sententiam Catholicis communem fuisse defendit (*Schelstratius antiq. illustr. p. 2 Diss. 2.*)

3. Papam non in solis hæsisse minis, fundamentum imprimis præbet Epist. Firmiliani ad Cyprianum: *In cæteris quoque multis provinciis multa pro locorum, & nominum diversitate variantur, nec tamen propter hoc ab ecclesiæ catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est, quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversus vos pacem, quam semper antecessores ejus vobiscum amore, & honore mutuo custodierunt*, quod confirmatur testimonio Dionysii Alexandrini, nam ad Sixtum Stephani successorem scribendo apud Eusebium hæc habet: *Stephanus scripse-*

rat de Heleno, de Firmiliano, de episcopis omnibus, qui erant ex Cilicia, Capadocia, & Galatia, & ex omnibus gentibus, quæ erant finitimæ, quod neque cum illis quidquam eam ob causam communicare vellet; nam illi, inquit, hæreticos rebaptizant. Augustinus quidem & alii quidam Patres modicam ingerunt difficultatem, dum dicunt, Stephanum pacem non rupisse. Si hæc conciliare volumus cum iis, quæ Firmilianus testatur, oportet dicere, excommunicationem a Stephano latam ab eodem, vel ejus successore Sixto iterum sublatam esse.

§ 133. Sunt etiam, qui contendunt, litem inter Cyprianum, & Stephanum in causa rebaptizationis commentitiam, & epistolas Cypriani, & Firmiliani a Donatistis confictas esse.

1. Hos inter principem tenet locum Raymundus *Missorius*, qui in duobus tractatibus Venetiis anno 1733. editis pro sua sententia hisce pugnat fundamentis: 1) Quicunque hanc controversiam exortam fuisse narrant, uti Basilius, Hieronymus, Augustinus, id hauserunt ex Eusebio; iste enim primus, quantum scitur, hujus controversiæ meminit. Jam vero non levis oritur suspicio, Eusebium in gratiam Donatistarum dictam controversiam ex suo cerebro confinxisse, quia addictus erat Arianis, quos inter, & Donatistas necessitudo intercessit. 2) *Pontius* Cypriano summe familiaris, & ipsius in exilio socius res gestas Cypriani litteris mandavit, & tamen de hac controversia altum tacet. 3) Epistolæ Cypriani ad Pompejum, Jubajanum, Quintum, ad Firmilianum, & istius ad Cyprianum non sunt genuinæ, sed postmodum a Donatistis confictæ; siquidem epistolæ Firmiliani ad Cyprianum nec Basilius, & Augustinus, nec Dionysius mentionem faciunt, neque in concilio Carthaginensi III. in causa rebaptismi, neque alias unquam producta legitur ab Africanis, cum tamen magnæ fuisset efficaciæ. 4) Augustinus est dubius de hac controversia, & si quando meminit hujus facti, semper sub conditione illud allegat: *Quamquam non desint, qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant* (ad Vincent. Donatist. Ep. 93.) *Illud consilium, vel illa scripta, si revera ipsius sunt, & non sicut aliqui putant, sub ejus nomine conscripta* (Ep. 108. ad Macrobium.) *Resp.* ad 1.) Scriptores ecclesiasticos ex aliis fontibus, ac Eusebii historia controversiæ hujus notitiam & haurire potuisse, & reipsa hausisse. Basilius, ut gesta prædecessoris sui Firmiliani noscere posset, satis ipsi erat, acta, & historiam suæ ecclesiæ consulere. Hieronymus facit mentionem epistolæ Cypriani ad Pompejum, dum scribit, *cum lacerare Stephanum romanæ urbis episcopum*, jam autem apud totum Eusebium nulla hujus epistolæ Cyprianicæ fit mentio. Augustinus vero Cypriani epistolas, totiusque rei gestæ seriem melius ab Afris coterraneis suis, quam ex historia Eusebii discere poterat. Sed demus etiam omnes ex Eusebio notitiam hujus causæ hausisse non tamen ejus testimonium continuo rejiciendum est, etsi enim admittatur, eum Arianis favisse, non tamen inde sequitur, eum Donatistarum fuisse patronum, quin potius se inimicum Donatistarum ostendit, quum L. 6. cap. 43. a schismate Novatiano, quocum affinis erat secta Donatistarum, aversum suum animum prodit. Sed porro jam demus, Eusebium fautorem Donatistarum fuisse, redit quæstio, quomodo tam atrocem calumniam Cypriano, Firmiliano, aliisque episcopis affingere potuerit, absque eo, quod doli convictus fuisset? Nonne summa fuisset Eusebii imprudentia, *in tanta temporum vicinia* fabulam evulgare, cujus falsitas facillime detegi potuisset? Eusebii historia in omnium versabatur manibus. Afri ergo, & Asiatici legentes majores suos in ea nigro colore depictos a calumnia vindicare omnem conatum adhibuissent, & Eusebii historiam hac in re qua falsam rejecissent. Ad 2): Cum Pontius compendiosam tantum, & *brevem* Cypriani vitæ narrationem scribendam susceperit, in qua (ut ait ipse Missorius) *multa alia, & magna prætermisit*, ex ejus silentio falsitas hujus controversiæ non evincitur: si enim istud valeret, etiam multas alias epistolas, uti 52. ad Antoninum, qua multa disseruntur de libellaticis, 55. & 56., utramque ad Cornelium, aliasque Cypriano abjudicare deberemus, quia eas Pontius non recenset. Ad 3): Si a Donatistis hæ epistolæ fuissent confictæ, fraudem abs dubio S. Augustinus vir acutissimi ingenii animadvertisset. Similitudo pariter styli adæquata in istis, & aliis Cypriani epistolis, eadem numerosa, & robusta ora-

tio eumdem potius illarum supponunt authorem. Quod autem epistola Firmiliani in concilio Carthaginensi non fuerit producta, non est mirandum, nec enim produci potuit, quia nondum extitit; siquidem Cyprianus vix obtentis a Stephano litteris mox concilium celebrandum indixit, dein scribit per Rogatianum diaconum ad Firmilianum, qui certe tempore concilii necdum reverti, neque responsoriam Firmiliani referre poterat. Ad 4): Ex Augustini verbis id solum deducitur, aliquos fuisse, qui dubitaverant, inter hos autem ipsum Augustinum non fuisse ex iis patet, quæ scripsit libro ad Vincentium: *Nos tamen duas ob res non negamus, illud sensisse Cyprianum, quod & stylus habet ejus quamdam propriam faciem, quâ possit agnosci, & quod ibi magis contra vos nostra causa demonstretur.* Missorio alii præluserunt, quibus adhæsit in sua historia ecclesiastica Franciscus *Morenas*. In Missorium acuit stylum Joannes *Sbaralea*, in Morenam Eusebius *Philalethes* (vid. *Laur. Berti L. 23. de Theol. discipl. cap. 5. & L. 31. cap. 13.*)

CAPUT TERTIUM

DE

HÆRESIBUS ET SCHISMATIBUS.

§. 134. Duplex universim Christo comparente inter gentes cultiores erat philosophia, altera *græca*, quam & Romani sequebantur, altera *orientalis*, quæ multos sectatores in Persia, Syria, Chaldæa, Ægypto, quin inter ipsos etiam Judæos habebat. Philosophia græca proprie *philosophia* dicebatur, philosophiam vero orientalem illi, qui græce loquebantur, adpellabant γνῶσιν τοῦ Θεοῦ, sive *Dei cognitionem*, quia qui hanc philosophiam profitebantur, amissam Dei cognitionem a se instaurari prædicabant. Pleræque hæreses hujus epochæ ex mixtura philosophiæ cum religione christiana sunt exortæ [1].

1. Ceteræ hujus epochæ hæreses, quæ non sunt exortæ accomodando philosophiam ac Christi doctrinam, *sectæ illiteratæ* nominari solent.

§. 135. Philosophiæ orientalis sectatores ita argumentabantur: Multa sunt in hoc mundo mala, & homines instinctu naturali feruntur ad illicita, ens autem æternum, unde manarunt animi, est mali expers, & beneficum, ergo origo malorum hujus mundi extra Deum est quærenda, jam vero nihil præter Deum est, nisi materia, hæc itaque origo est malorum. His sumptis statuendum erat, materiam præter Deum ab æterno extitisse, atque non voluntate, aut imperio Dei, sed ope, & labore alterius cujusdam entis Deo inferioris formam, quam nunc habet, accepisse, id est, mundum, & genus humanum non a Deo, sed ab alio quodam imperfectiore,

& imbecilliore fuisse conditum, quoniam Deus optimus, malique expers materiæ per se malæ formam præsentem dedisse dici nequit. (*Mosheim.*)

§. 136. Cum vero altius ascendere, & explicare conarentur quo authore materia mala tam scienter dirigeretur, & quo authore animæ nostræ a Deo creatæ corpori ex materia mala conflato jungerentur, cum nullo modo inter se consentire potuissent, in varias sectas sunt divisi. Alii enim duo æterna rerum principia statuebant alterum *luci*, alterum *materiæ* præsidens, ex quorum duorum principiorum certamine mixturam boni, & mali in hoc mundo explicabant. Alii triumviratum quemdam constituebant, atque supremum numen tum a principe materiæ, tum a mundi hujus conditore differre docebant.

§. 137. Omnes hæretici, qui tribus primis seculis placita suæ philosophiæ orientalis cum doctrina Christi sociare adnisi sunt [1], communi vocabulo *Gnostici* adpellantur.

1. Notandum pro eruditione, valde inter se dissentire eruditos, ex quonam fonte suos errores hauserint Gnostici. Alii enim omnem eorum disciplinam ex philosophia *Cabbalistica* manasse volunt (*Buddeus diss. de hæres. valentiniana*) alii ex conjunctione philosophiæ platonicæ cum religione christiana (*Massuetus diss. I. in Irenæum*) plurimi vero ex philosophia Gnostica, seu orientali (*Moshemius, & Bruckerus*). At rursus contradixit Moshemio *Tittmanus tract. de vestigiis Gnosticorum in N. T. frustra quæsitis*, qui contendit, Gnosticos ex triplici fonte errores suos hausisse, nempe primo ex philosophia græca, platonica, & pythagorica atque imprimis ex fictionibus poëtarum de Diis, eorumque generatione; deinde ex theologia judaica, quæ tum pene formam philosophiæ induit, & imprimis ex nugis Cabbalisticis; denique ex quibusdam dogmatibus religionis christianæ (*Dannenmayr*). Neque de tempore, quo Gnostici exorti sunt, inter doctos est consensio aliis ad Apostolorum, aliis ad *Hadriani* ætatem eorum initia referentibus. Primo jam seculo variis in locis homines gnostica scabie infectos fuisse nullus dubito, at numerum tamen, famam, celebritatem ante tempora Hadriani non sunt adepti.

§. 138. Dogma Gnosticorum de mundo non a supremo Deo sed ab alio, aut pluribus inferioribus, iisque aut malis, aut infirmis condito sequentes progenuit errores: 1) divinitatem veteris testamenti negabant, laudabant serpentem peccati authorem, hominesque quosdam V. T. sceleratissimos, contra de Mose, ejusque religione pessime sentiebant [1], 2) quum malum in materia residere putabant, damnabant conjugia, utpote per quæ materia propagatur, ob eamdem causam negabant 3) corporum resurrectionem 4) cum false putassent, huic mundo malos genios imperare, & ab iis omnia mala proficisci, conabantur addiscere artem vim geniorum malorum debilitandi & suspendendi, quam artem *magicam* dixerunt, 5) demum de Christi persona, & de causis adventus ejus in hunc mundum pessime sentiebant [2].

1. Moysem a conditore hujus mundi, qui non utilitati hominum, sed suæ gloriæ consultum voluit, actum fuisse ajebant, ut tam duras, & inconcinnas Judæis leges daret.

2. Ex suis principiis Christum nec Deum, nec verum hominem dicere poterant. Non verum Deum, quia ipsum ex Deo quidem genitum, at longe tamen patre minorem existimabant, non hominem, quia omne corporeum, seu materiale per se malum dicebant. Quare Christum plerique corpore spoliabant ex materia constante, eumque vere passum fuisse negabant, adventus autem illius in mundum nullam aliam fuisse caussam dicebant, quam ut tyranno hujus mundi, impotentes illos Genios imperio in animas bonas exueret, hominesque doceret, quomodo mentem ab impuro corpore sevocare, & conjunctione cum Deo dignam reddere queant.

§. 139. Doctrina Gnosticorum moralis duplex fuit; plerique enim parce, ac duriter vivendum, corporique injurias quavis inferendas esse statuebant, ut mens malo fato cum corpore sociata tanta majori libertate, ac facultate meditandi res cœlestes frueretur. Alii contra putabant, licere libidinibus omnibus impune obsequi, nulloque discrimine actiones hominum distare [1].

1. Duplicem illorum fuisse disciplinam moralem testis est Clemens Alexandrinus Lib. 3. stromat. cap. 5., & teste Epiphanio hæres. 26. atrocissima ab illis crimina perpetrabantur, quorum a Gentilibus Christiani omnes promiscue incusabantur. (§. 38. *) Nec est, quod hanc dissensionem miremur; idem enim dogma utramque sententiam naturaliter peperit. Siquidem cum corpora esse mala statuerent, aut actiones corporum simul ad animam pertinere negabant, aut corpus ut animæ hostem acriter impugnandum esse putabant.

§. 140. Tot inauditæ & paradoxæ sententiæ, quum præsidia requirerent, nec in Apostolorum scriptis, quod illis faveret, reperiri facile possit, ad fabulas, & dolos confugiendum erat. Si itaque ex Gnosticis quæsitum fuit, unde id, quod tradunt, acceperint? alii fictos aut *Abrahami*, aut *Zoroastris*, aut Christi, & Apostolorum libros proferebant, alii animis suis innata virtute tantum sapientiæ se consecutos fuisse dicebant, alii *Theudadem* quemdam S. Pauli discipulum, & *Mathiam* ex amicis servatoris unum magistros sibi fuisse confirmabant. Qui novi testamenti libros non prorsus repudiabant, illi aut potestate verborum neglecta absurdissime eos interpretabantur, aut vero resecando, quæ displicebant, aut addendo, quæ placebant, depravarunt [1].

1. Causæ dissensionum in hac familia nulli obscuræ erunt, qui, alios ex iis ortu Judæos, alios e contra a religione Judaica plane aversos, universam autem disciplinam ingenio subjectam fuisse, cogitaverit.

§. 141. Primus inter hæreticos communiter numerari solet *Simon Magus* ex *Gitton* Samariæ oppido oriundus (§. 50.) at hic una cum *Menandro* [1] ab illis, qui *jure* hæretici dicuntur est eximendus, & ad homines fatuos, vel ad christiani nominis hostes, & apostatas est amandandus [2].

1. Erat *Menander* natione Samaritanus, Simonis Magi discipulus. Mundum certis geniis esse conditum, seque Dei esse virtutem ex pleromate demissam ad homines potestate illorum expediendos, missum, docuit, idque effici per magiam, & baptismum suo nomine collatum, cui tantam virtutem inesse delirabat, ut eo ablutis immortalitatem promitteret (*Tertull. de anima cap.* 50. *Euseb. L.* 3. *H. E. cap.* 26). Veteribus persuasum fuit, illum baptismate suo in initiatis immunitatem a morte *naturali* promisisse. Id vero incredibile visum est, recentioribus quibusdam, qui propterea *immortalitatem* discipulis suis promissam de vita æterna interpretari maluerunt. Ceterum quin Menander *sectam* sibi collegerit, dubitandum non est, cum ætate Epiphanii, ut ipse innuit hæres. 22., *Menandriani* superfuerint.

2. Quidam post *Philastrium* memorarunt *Judaistas*, qui proditionem laudarunt. Alii *Thebutis*, qui apostavit a fide, *Hymenæi*, *Phileti*, & *Alexandri*, de quibus Paulus Apostolus, *Diotrephis*, de quo Ep. 3. Joannes, mentionem fecere. At non omnes impii, & communione privati nomen sectæ alicui dedere. Fanaticis etiam adnumerandus est *Dositheus*, qui ipse *Messias* videri voluit. (*Basnagius*).

§. 142. Rectius cum Gnosticis seculi primi componitur *Cerinthus* Judæus genere, quod ex studio, quo in legem mosaicam ferebatur, satis probabile redditur. Alexandriæ litteras, atque philosophiam edoctus ex Christianorum, Gnosticorum, & Judæorum dogmatibus vivente adhuc Joanne Apostolo [1] singulare disciplinæ genus conflavit, novamque condidit sectam (Theodoretus hæret. fab. L. 2. C. 3., Eusebius L. 1. Cap. 26 Epiphan. hæres. 28) Præter errores Gnosticis communes legem Moysis etiamnum ad salutem necessariam esse, & futurum regnum Christi in terra millenarium docuit [2].

1. Ad hanc ætatem Cerinthus merito refertur, cum veterum plures indubitanter adserant, ejus erroribus S. Joannem suum opposuisse evangelium (§. 76). De utriusque congressu memorabile quoddam narrat Eusebius ex Irenæo; Joannem videlicet cum ad balnea venisset, animadverso, qui tum eodem accesserat, Cerintho statim se inde proripuisse dicentem. *Fugiamus ex templo, ne balneum, in quo Cerinthus veritatis hostis moratur, subito coincidens nos opprimat.*

2. Falsas revelationes quasi ab angelo sibi factas ostentabat, ejus sectatores evangelium Matthei propter Christi genealogiam secundum carnem mutilabant, explodebant epistolas Pauli, quod scripserit, Christum iis nihil profuturum, qui circumcisionem necessariam putant.

§. 143. Celebre inter hæreticos Gnosticos secundi seculi nomen consecutus est *Saturninus* Antiochenus genere. Fingebat is, mundum hunc, primosque homines a septem angelis, planetarum imperatoribus, inscio materiæ principe fuisse conditos, dein Deum opus perfectum adprobasse, hominesque animali tantum anima præditos donasse anima rationali, nec non totum mundum septem ejus architectis, quorum unus Judæorum Deus erat, subjecisse, supremo tamen imperio sibi servato. Bonis his hominibus materiæ principem aliud hominum genus opposuisse, quos anima maligna præditos, adeoque natura sua malos creaverit. Deficientibus postea a supremo Deo mundi conditoribus missum fuisse de cœlesti

regia Christum, corporis umbra vestitum, ut viam bonis Deum reversuris demonstraret. Parce, ac duriter suos asseclas vivere jussit.

§. 144. In eadem classe Gnosticorum Asiaticorum poni debent *Cerdo* Syrus, & *Marcion* Pontici episcopi filius. Duo hic ponebat rerum omnium principia alterum perfecte bonum, alterum perfecte malum. Inter hæc duo principia medius est interjectus mundi hujus inferioris architectus, qui simul esset Judæorum legislator. Principium malum, & mundi conditor bellum perpetuum gerunt, & in castris principii mali gentes, in alterius vero Judæos versari, quod dissidium ut terminaret supremus Deus, misit filium suum Jesum specie corporis tantum ad Judæos. Agrediebantur Jesum tum Judæorum legislator, tum malorum Princeps, at ei noscere non poterant. Quicumque igitur leges Christi custodientes animum a sensibus revocatum ad Deum adtollunt, & corpus omni possibili modo enervant, salutem consequentur [1].

1. Habuit austeræ hujus legis author Marcion multos sectatores, inter quos *Lucanus*, *Severus*, *Blastes*, & alii, maxime *Appelles* novas condidisse sectas leguntur. In odium carnis quam detestebantur Marcionitæ, ceu a malo Deo conditam, in martyrium præcipites ruebant.

§. 145. *Bardesanes*, Edessa-Syrus, vir multis libris patrio sermone erudite scriptis clarus [1], supremo Deo malum principem opponebat. Supremus Deus mundum condidit omni prorsus malo vacuum, hominesque formabat ex anima cœlesti, & subtili, seu corpore æthereo compositos. Quum vero Princeps tenebrarum primos homines ad peccandum induxisset, patiebatur Deos, homines crasso corpore a malorum Principe circumdari, mundumque ab eo depravari, quo peccati commisi pœnas luerent homines. Hinc rationis, & concupiscentiæ in homine pugna. Jesus igitur æthereo corpore vestitus, & ex superis regionibus descendens homines docuit, corpus pravum domare, a vinculis materiæ malæ continentia, & contemplatione se liberare: quod qui faciunt, exanimato corpore, æthereis vehiculis suis, seu cœlestibus corporibus amicti ad beatorum sedes rursus evolabunt.

1. Inter opera ejus eminebat *dialogus de fato* inscriptus, cujus fragmentum satis amplum extat apud Euseb. *præparat. Evangel. Cap.* 10. Scripsit quoque librum de *Gymnosophistis Indorum*.

§. 146. *Tatianus* gente Syrus, vir eruditus, Justini M. discipulus notior est apud veteres ex vitæ, morumque disciplina, quam valde duram, & austeram servabat, quam ex erroribus, & dogmatibus, quæ credenda proposuit. Ex fide tamen dignis testibus accepimus, eum materiam pro principio omnis mali habuisse, eamque ob causam corporis odium, & enervationem suasisse, mundi

conditorem a supremo numine distinxisse, Christo verum corpus detraxisse, aliisque *Gnosticorum* opinionibus religionem christianam corrupisse. Sectatores ejus *Tatiani*, seu *Tatianistæ* dicebantur, at frequentius tamen a reliquis sectis per nomina severos eorum mores indicantia secernebantur; nam quoniam omnia hujus vitæ bona, & commoda spernebant, a vino tantopere abhorrebant, ut etiam in eucharistia meram aquam adhiberent, cælibem vitam agebant, & jejuniis se fatigabant, dicti sunt *Encratitæ*, seu *continentes* (ἀπό ἐγκρατεῖν), *Hydroparastatæ*, seu aquarii, *Apotactitæ*, seu renunciantes [1].

1. Composuit Tatianus evangelium, quod *Diatessaron* dicitur, id est, unum ex aliis quatuor compactum, in quo desiderabantur genealogiæ, & omnes textus, qui Christum ex semine David secundum carnem natum ostendunt. Narrat porro Theodoretus, non modo ejus sectarios, sed etiam eos, qui Apostolorum dogmata profitebantur, compositionis fraudem non animadvertentes eo evangelio, velut compendiario libro usos fuisse. Ait autem, se nactum hujuscemodi libros supra ducentos, qui in ecclesiis in honore habebantur, eos se posuisse, & pro his vera quatuor evangelia introduxisse.

§. 147. A Gnosticis his Asiaticis Ægyptiaci sequentibus in punctis dissenserant: primo, tametsi Deo æternam materiam adjunxerint, malum tamen Persarum principium ignorabant: secundo: Christum ex binis plerumque personis componebant, ex homine *Jesu*, & ex Dei filio, Christo: tertio: verum Christo corpus tribuebant: & quarto, multo leniorem disciplinam suis asseclis præscribebant.

§. 148. In his princeps habetur *Basilides* Alexandrinus, qui Deum supremum septem ex se progenuisse genios, seu *æones* fingebat. Bini de his *Dynamis* (δύναμις potentia), & *Sophia* (σοφία sapientia) primi ordinis angelos procreabant. Angeli hi cœlum sibi construebant, & alios producebant angelos natura paulo inferiores. Sequebantur aliæ angelorum generationes, & cœlorum fabricationes, donec triginta et sex cœli, totidemque angelorum ordines existerent, quibus omnibus præest Dominus quidam potentissimus *Abraxas* (ἀβραξάς) dictus [1]. Angeli ultimum cœlum incolentes mundum hunc ex materia ab æterno existente condebant, hominesque procreabant anima sensitiva præditos, cui dein Deus supremus animam rationalem addidit. Angeli mundi conditores ejus imperium in se divi erant, eorumque princeps Judæos regendos sibi sumpsit, quo facto non modo divinæ majestatis honoribus inhiabant, verum etiam bellis mutuis suam quisque potestatem amplificare studebant. Omnium turbulentissimus erat Judæorum gubernator. Hinc Deus animarum misertus, filium suum primogenitum, æonum omnium principem, qui centum octoginta quinque dicebatur, in terram demisit, qui everso Angelorum imperio homines veram Dei cognitionem doceret. Mirum

est commendatam esse ab hoc portentoso ingenio pietatem. At hoc reliquos Christianos maxime offendebat, quod statuerit, nulli nisi peccatoribus mali aliquid in hac vita evenire, ex quo illud est quod martyrum gloriam valde minuit. Quo & alia accedebant, scilicet fuga, & simulatio, quoties de religione Christianus in discrimen adducitur, & flagitiosa dênique discipulorum vita, cui ex opinione Tillemontii vel maxime eam ob causam se dabant, quia præter animarum transmigrationem aliam peccatis pœnam non statuit [2].

1. Ita a Basilide Deum omnipotentem fuisse adpellatum testantur Tertullianus de Præscript. Cap. 46.. & Hieronymus in Amos. Irenæus in voce illa *Abraxas*. contineri docet numerum illum cœlorum 365. Perspicua est computatio, nam græce α valet 1. β 2 ρ 100 α 1. ξ 60. α 1. ς 200., quorum numerorum summa est 365. Vossius in 1. de Idol. eo nomine designari putat Deum Persarum *Mithram*, id est solem. qui annuo cursu implet numerum illorum dierum. Basnage, & Beausobre nomen illud repetunt ab Ægyptiorum superstitione. Non sunt audiendi illi, qui in ipso vocabulo *Abraxas* Trinitatis, & Incarnationis mysteria vestigant, quis enim credat. vel Ægyptios. vel hæreticos Gnosticos Trinitatem. & Incarnationem propugnasse? Idem dicendum de *Abracadabra*. voce a prædicto vocabulo *Abraxas* derivata.

2. Ausus fuit Basilides componere evangelium. illudque suo inscribere nomine. Scripsit etiam viginti quatuor libros commentarios in evangelium. quorum fragmenta quædam extant apud *Ernest. Grabium spicileg. patr. sæc. II.* Magicis incantationibus, & amuletis utebantur Basilidiani, harumque imaginum exemplar ex antiquis gemis exhibet Baronius. Novos itidem prophetas ad suum errorem stabiliendum excogitavit Basilides, eosque nominibus barbaris *Barcabam*, & *Barcop* nominavit.

§. 149. Gnosticorum omnium pessimus erat *Carpocrates*. patria Alexandrinus. Docuit 1) creaturas corporeas ab angelis ex mala materia fuisse conditas, 2) Jesum ex Joseph, & Maria ceterorum hominum more natum fuisse, 3) actiones hominum opinione tantum, & legibus humanis differre, cum nihil natura malum sit, inde omne libidinis genus licitum esse intulit. Ætatem nec tulit secta hæc, nec ferre potuit.

§. 150. Hos omnes ingenii quadam, & fortunæ felicitate superavit *Valentinus* Ægyptius; imaginationis enim suæ fœcunditate nixus scenam multo feliciorem instruxit, atque ceteri Gnostici. Fingebat sibi fanaticus philosophus spatium quoddam immensum, quod *Pleroma* vocabat, in quo Deus triginta Æones produxit, quindecim mares, & totidem fœminas. His accedunt quatuor Cœlibes *Horus* custos finium pleromatis, *Christus*, *Spiritus sanctus*, & *Jesus*. Ultima æonum *Sophia* magno æstu naturam supremi numinis comprehendendi accensa, filiam in illa commotione pariebat dictam *Achamot*, quæ pleromate, seu spatio illo immenso exclusa in materiam extra spatium hoc positam, informem tamen, & rudem delabebatur, & auxilio Jesu fulta *Demiurgum* Regem, & conditorem hujus universi pariebat, qui materiam subtiliorem, seu *animalem* a crassiori, seu *materiali* secernebat, ex illa mundum supe-

riorem, seu cœlum spectabile, ex hac inferiorem, seu globum terraqueum construebat, homines vero ex utraque materia componebat, quibus tamen mater Demiurgi Achamot tertiam quamdam addebat cœlestem, & *spiritualem* substantiam. (*Mosheim.*)

§. 151. Fabricator mundi eousque animo efferebatur, ut se solum esse Deum aut credi saltem ab hominibus vellet, atque per prophetas ad Judæos missos supremi numinis honorem sibi arrogabat. Ad hanc Demiurgi superbiam reprimendam, & animos veri Dei notitia imbuendos Christus ex animali, & spirituali substantia constans, & æthereo præterea corpore vestitus descendebat, atque per Mariæ corpus non secus, at aqua per canalem transibat. Jungebat se ei Jesus ex supremis æonibus unus, qui a Joanne aquis in Jordane lustraretur. Mundi fabricator, seu Demiurgus, qui per divinum hunc hominem regnum suum labefactari sentiebat, comprehendi eum, & in crucem agi faciebat. Sed antequam supplicium hoc Christus subiret, non modo Jesus ex æonibus unus, sed etiam anima Christi *rationis* particeps avolabat, quare sola ejus anima sensitiva cum corpore æthereo in crucem tollebatur. Qui ex præscripto Christi abjecto Deorum non minus, quam numinis judaici cultu animam sensitivam rationali castigandam tradunt, eorum uterque animus rationalis, & sentiens in sedem beatam pleromati vicinam migravit [1].

1. Multi Valentino fuere discipuli, de quibus alii præceptoris disciplinam immutare quodammodo, sectasque novas condere adgressi sunt. In his sunt veterum monumentis celebratæ *Ptolomaitica*, *Secundiana*, *Marcosiana* a suis quæque authoribus nuncupatæ.

§. 152. Inter minoris nominis sectas, quæ nonnihil etiam ex Gnosticorum fonte hauserant, recensentur *Archontici*, *Cainiani*, *Helcesitæ*, *& Ophitæ*, seu Ophiani [1].

1. Antiquior Ophitarum, seu *Serpentinorum* (græci enim serpentem *Ophin* vocant) secta est Christo, & ex Judæis nata; pars enim ejus Christo nomen dabat, pars veterem superstitionem retinebat, unde duplex Ophitarum secta nascebatur, *christiana*, & *antichristiana*. Christiani Ophitæ eadem fere, quæ reliqui Gnostici figmenta de æonibus, de materia æterna, de mundo inscio, & invito Deo condito, de tyrannide Demiurgi, de Christo homini Jesu juncto, & ad destruendum Demiurgi imperium ad homines delapso, & reliqua somniabant. Hoc vero proprium eis erat, quod serpentem, a quo primi homines decepti sunt, aut ipsum Christum, aut Sophiam sub forma serpentis latentem fuisse tradebant, quam propter omnino cultu religioso serpentes coluisse feruntur. Sunt tamen, qui hæresim hanc inter fabulas referendam esse existimant, uti & Beausobre histoire de *Manichée* nixus authoritate Origenis adversus Celsum L. 4. §. 28.

§. 153. Inter Gnosticos seculi tertii maximam nacta est celebritatem Manichæorum secta. *Manes* Persarum lingua, nam vero no-

mine dictus erat *Cubricus*, magus, medicus, astrologus, pictor idem tamen delirans, & emotæ mentis homo ab ipso Christo ad emendandam religionem, quam imperfecte tradidit humano generi sese missum, & *paracletum* esse impudentissime prædicabat, sed postremo a Persarum Rege *Urane* extremo supplicio affectus, eo quod filii ejus gravi morbo laborantis, dum eum curaturum promiserat, mortem acceleravit.

§. 154. *Zoroaster* vetustissimus Persarum doctor docuit, a supremo Deo *Mithra* duos inferiores Deos *Oromasden*, atque *Arimanium* genitos fuisse, quorum ille bonus cum hoc malo perpetuum bellum gerat. Ex veteri hac Persarum religione, & disciplina christiana systema suum compilavit Manes, & quæ de Mithra Persæ narrant, ea ipse ad Christum adcommodabat. Duo nimirum ponit principia materiam subtilem, & purissimam, seu *lucem*, & materiam crassam, pravamque, seu *tenebras*. Lucis rector dicitur Deus, qui vero tenebrarum terram regit, *Hyle*, sive *Dæmon*. Uterque magnam copiam naturarum sui similium genuit, & per provinciam suam distribuit.

§. 155. Ignorabat per immensum tempus tenebrarum Rex lucem existere, at bello quodam in regno exorto lucis notitiam adipiscebatur, qua visa eam in potestatem suam redigere cupiebat. Lucis Dominus exercitum ei opponebat, at dux illius, cui nomen erat *primus homo* rem non satis feliciter gerebat; duces enim *tenebrarum* insignem lucis portionem rapiebant, & tenebris, seu pravæ materiæ miscebant. Alter materiæ subtilis, seu lucis Imperator *Spiritus vivens* felicius bellabat, at lucis portionem raptam, & tenebris alligatam liberare non poterat. Victus tenebrarum Princeps humani generis parentes producebat, ceterique homines, qui ex his nati sunt, corpore constabant ex materia prava conflato, & ex duabus animis, altera sentiente, ac concupiscente, quam a malorum principe accepere, altera rationali, & immortali, quæ lucis divinæ a tenebrarum exercitu raptæ, ac in materiam immersæ particula est. (*Moshéim.*)

§. 156. Condito a tenebrarum principe homine, & animabus rationalibus lucis particulis in corpus ejus intrusis Deus per Spiritum viventem, qui regem tenebrarum debellavit, ex materia prava terrarum orbem construebat, qui humani generis domicilium esset, & Deo occasionem præberet paulatim ex corporibus animas rationales, & ex prava materia bonam extrahendi. Duas dein Deus *majestates* ex se gignebat, quæ animis lucis particulis corporibus inclusis opem ferrent, *Christum*, & *Spiritum sanctum*. Christus ille est, quem Persæ Mithram vocant, ex purissima Dei luce cons-

tans, cujus sedes sol est, Spiritus sanctus massa pariter illuminata, & lucida per universum ætherem, qui terram ambit, fusa non modo mentes hominum calefacit, & illuminat, verum etiam fœcundat, & latentes in ea lucis particulas gradatim elicit, in altum extollit, quo ad patriam redeant.

§. 157. Ut Deus animarum in corporibus captivarum reditum ad patriam acceleraret, filium suum Christum de sole in hanc terram misit. Is forma, & umbra humani corporis vestitus inter Judæos adparebat, viam animabus ex corporibus eluctandi monstrabat, & miraculis suam divinitatem confirmabat. Tenebrarum contra Princeps Judæos instigavit, ut ipsum in crucem agerent, quod ille supplicium non vere, quia corpore carebat, sed opinione tantum hominum sustinebat. Finita legatione Christus ad solem domicilium suum redibat, & per Apostolos religionem, quam tradidit, per orbem terrarum propagari voluit. Discedens vero Christus pollicebatur, se certo tempore majorem, & perfectiorem Apostolum, quem *paracletum* nominabat, missurum esse, qui præceptis ejus multa adderet, & errores omnes de rebus divinis dispelleret. Is paracletus a Christo promissus *Manes* est Persa, qui jubente Deo universam salutis disciplinam perfecte doceret.

§. 158. Quæcumqne animæ Christum filium Dei esse credunt, & cultum Dei Judæorum, qui princeps tenebrarum est, deserunt, legi a Christo latæ, & a paracleto *Manete* amplificatæ, & explicatæ obediunt, & libidines animæ pravæ, seu concupiscentis oppugnant, illæ paullatim a materia mala purgantur. Neque tamen tota purgatio animarum in hac vita potest absolvi, igitur solutæ corporibus animæ duplicem adhuc purgationem post mortem subire debent, antequam in terram lucis recipiantur, alteram *bonæ aquæ*, alteram *boni ignis*. Migrant primo in lunam, quæ ex bona constat aqua, in qua per quindecim dies purgatæ ad solem proficiscuntur, cujus ignis bonus reliquos sordes omnino aufert. Corpus, quod hic reliquerunt ex mala concretum materia redit ad originem suam. Quæcunque autem animæ purgationem suam neglexerunt, post obitum corporis in alia sive animalium, seu plantarum, sive aliarum naturarum corpora, donec expientur, & denique si neque hoc modo fuissent correctæ, in magnum ignem dejici [1]. Itaque totum redemptionis mysterium in hoc juxta Manichæos consistebat, ut particulæ lucis a mala materia, cui sunt commixtæ, avellerentur, & suo principio denuo conjungerentur [2].

1. His omnibus portentis ut fidem faceret Manes, fere omnes libros scripturæ sacræ respuebat, & vetus imprimis testamentum non Dei, sed tenebrarum

principis, quem veri Dei loco a Judeis coli perhibebat, opus esse adfirmabat. Quatuor Christi historias, quas *evangelium* dicimus, aut ab Apostolis conscriptas esse negabat, aut saltem corruptas, & interpolatas, fabulisque judaicis amplificatas esse contendebat. In eorum vero locum aliud evangelium, quod vocabulo *Erteng* insigniebat, sibique a Deo dictatum esse dicebat, substituit. Acta Apostolorum prorsus repudiabat, epistolas, quæ Paulo tribuuntur, conscriptas quidem ab eo esse fatebatur, at pariter adulteratas fuisse contendebat. De reliquis novi testamenti libris quid senserit, nescitur.

2. Nihilo tamen minus, quod ex hac doctrina videbatur sequi, licebat animas a corporibus liberare, & si quis occidisset, mortis reus erat; qui animal occiderat, ei in ejusdem speciei animal migrandum erat, qui plantam evulserat, in eamdem plantam mutari debebat. Plantas tamen ab aliis decerptas Manichæi comedebant. Si quis ergo Manichæo panem dedisset, dantem intense rogabat: *Recede tantisper, ut benedicam*, tunc panem manu tenens ajebat: *ego te non feci*, & in altum projiciens maledicebat illi, qui panem fecisset, deinde addebat: *ego te non seminavi. qui te seminavit, ipse seminetur. Ego te non messui, qui te messuit ipse metatur, ego te non coxi, qui te coxit, ipse coquatur.* His dictis demum secure de pane comedebat.

§. 159. Morum disciplinam imprimis rigidam, & severam Manes discipulis suis præscribebat; corpus enim, quod per se malum, & tenebrarum principis opus putabat, enervare, & omnibus, quæ vel commodo, vel delectationi esse possunt, privare, omnesque rerum extra nos positarum appetitus extirpare jubebat. Quum vero perspiceret, fore, ut paucis tantum uteretur sectatoribus, si omnibus sine discrimine austeram illam vivendi legem imponeret, gregem suum in duo genera in *Electos*, & *Auditores*, id est, in *perfectos*, & *imperfectos* Christianos dividebat, quorum quidem illi, *electi* nimirum, carne, ovis, lacte, piscibus, vino, potuque omni inebriante, conjugio se abstinere, in summa paupertate vivere, pane, herbis, leguminibus, peponibus corpus siccum nutrire, labores omnes fugere, omni amore, odioque carere debebant. *Auditoribus* vero mitior lex data erat; poterant enim domos, agros, & opes possidere, carnibus moderate tamen vesci, uxores ducere, quamquam & hæc vivendi, & agendi licentia suos habebat limites. Uxoribus auditores miscebantur solum libidinis causa, & cavebant, ne proles conciperent, idque in odium, quoniam ex malo principio carnem provenire adfirmabant. Eucharistiam humano semine conspersam sumere electi cogebantur.

§. 160. Tot dissidia ex mixtura philosophiæ orientalis, & religionis christianæ nata medio sæculo secundo elapso augere incipiebant illi, qui Græcorum philosophiam secum in ecclesiam christianam adtulerunt (§. 134.) Cujus philosophiæ præceptis cum non convenirent ea, quæ Christus de Trinitate, & duplici ejus natura docuit, hæc dogmata primum sic interpretari studebant, ut a ratione comprehendi possent. Id *Praxeas* quidam vir præclarus, & confessor Romæ tentabat, qui omni vera distinctione inter

patrem, filium, & spiritum sanctum sublata totum rerum omnium patrem humanam Christi naturam sibi junxisse tradebat. Quare sectatores ejus *Monarchiani*, & *Patripassiani* dicebantur [1].

1. Simile quid, at non idem tamen confinxisse dicuntur, at obscure satis, *Theodotus* coriarius, & *Artemon*.

§. 161. Quæ seculo secundo de philosophiæ græcæ in religionem christianam ingressu cœperunt controversiæ de Trinitate, seculo tertio progrediebantur latius, & plures dogma hoc explicandi modos pariebant. *Noetus* ignotus homo, patria Smyrnensis, ipsum Deum, quem *Patrem* nominabat, & divisionis omnis nescium contendebat, homini Christo, quem *filium* vocabat, sese junxisse, in eoque natum, & passum fuisse disputabat. A quo dogmate ipse, ejusque sectatores *Patripassiani* nominabantur, eo quod Deum patrem, non secundam Trinitatis personam genus humanum redemisse statuebant.

§. 162. Sequebatur medio seculo elapso *Sabellius*, qui paulo aliter, quam Noetus de Trinitate discurrebat. Noetus ipsam patris personam humanam Christi naturam adscivisse putabat, hic vero vim quamdam a Deo patre emissam, seu portionem quamdam divinæ naturæ ab eo separatam filio, seu homini Christo sociatam esse statuebat. Talem etiam Dei patris partem spiritum sanctum esse arbitrabatur.

§. 163. *Paulus* patria *Samosatenus* favore Zenobiæ Reginæ Palmyrenorum evectus ad episcopatum Antiochenum simul ducenarii, seu judicis civilis munere fungebatur, homo vitiosus, dives, & arrogans novam protulit dogmatis de divina natura, & Christo explicationem, & sectam *Paulianorum*, seu *Paulianistarum*. Docuit, unum esse Deum, patris nomine in sacris litteris adpellatum; verbum, & sapientiam patris non esse substantiam, seu personam, sed inesse illi, sicut inest homini ratio, & vis ratiocinandi; Christum purum esse, nudumque hominem, qui tum primo existere cœpit, cum ex Maria nasceretur, in eo tamen verbum, & sapientiam patris habitasse, quamobrem Deus, & filius Dei, sensu licet improprio, vocatus fuerit. De spiritu sancto, quid senserit, nescitur [1].

1. Habita contra eum sunt concilia Antiochiæ, in quorum ultimo anno 269. a *Malchione* errorum convictus, synodali decreto damnatus, & munere sacerdotali privatus est. Cum vero cedere nollet, *Aureliani* Imperatoris edicto anno 272. domo ecclesiæ Antiochenæ ejectus est.

§. 164. Sectis, quæ philosohiæ aut gnosticæ, aut græcæ filiæ

dici possunt, accedebant aliæ, quæ cum ex nullo systemate philosophico prognatæ sint, *illitteratæ* dici possunt (§. 134. *) *Nicolaitæ* a S. Joanne Apoc. Cap. 2, & plerisque veterum commemorati num extiterint, recentiori ætate a nonnullis in dubium vocatum est., nec, unde ita dicti sint, certo constat [1]. Admisit hæc secta promiscuum uxorum usum, esumque carnium idolothyti contra legem ab Apostolis Act. Cap. 15. v. 29. latam

1. *Claudius Fleury* nomen hujus sectæ a Nicolao septem diaconorum uno derivat, narrando, quod illi uxor erat formosa, cumque Apostoli post Domini ascensionem ei zelothypiam exprobrassent, uxorem coram fratribus producit, facta facultate, cui vellet, nubendi, sciebat vero, nullum fidelium eam accepturum. Hinc dum voluit uxorem dimittere, non fecit, ac si leges matrimonii contemneret, sed ut imputati zeli suspicionem a se averteret. In sermone etiam vocem unam ambiguam protulerat, *carne esse abutendum*, volens dicere, carnem esse mortificandam, Simile verbum de Apostolo Mathia referebant: *carne abuti oportere*, id est, esse castigandam, & nihil voluptatis indulgendum. Quibus non obstantibus hæc Nicolai verba, & actio, quod uxorem produxerit, nonnullis fuit occasio, leges matrimonii contemnere, unde *Nicolaitarum* secta, quæ tamen, ut scribit Eusebius, *brevissimo tempore permansit.*

§. 165. Cum sub Imperatore Hadriano per Titum urbs Hierosolyma funditus eversa fuisset, maxima Christianorum in Palæstina degentium pars, ne cum Judæis, in quos severissimæ leges latæ erant, confunderetur, ceremonias mosaicas dimittebat, quo facto secedebant a fratribus ii, qui legis mosaicæ nimis studiosi erant. Hoc vero genus hominum Christo Moysem jungentium in duas iterum abibat sectas, easque valde discrepantes *Nazaræorum*, & *Ebionitarum* [1]. Et Nazaræi quidem rejectis novi testamenti libris proprio utebantur evangelio hebraicis litteris scripto, quod a Mathæo in gratiam Judæorum scriptum fuisse adserebant, legem mosaicam etiamnum obligare adfirmabant, imo Christi divinitatem negasse nonnullis videntur, quorum omnium errorum etiam Ebionitas accusant scriptores antiqui [2].

1. Nomen *Ebionitarum* utrum ab homine quodam, an a familia inope natum sit, incertum est. Vulgaris est opinio, eos nomen traxisse ab *Ebione* sectæ authore, quæ vox hebraica lingua *mendicum* sonat.

2. Erant etiam in Paulum Apostolum maxime injuriosi, nam in suppositiciis actis Apostolorum, quæ genuinis substituerant, legebant, Paulum Gentilem fuisse, & utroque parente Gentili procreatum, cumque cum Hierosolymam accessisset, ibique aliquamdiu moratus fuisset, Pontificis filiam petiisse uxorem, illiusque spe conjugii circumcisi legem suscepisse, postea vero ita [illegible], quod ab expetitis nuptiis excidisset, adversus circumcisionem, & sabbatum, legemque totam scripsisse.

§. 166. Obscurus quidam homo, debilisque judicii *Montanus* nomine, qui Pepuzæ ignobili vico Phrygiæ vivebat, *Paracletum* se vocabat, & dono prophetiæ plenus videri voluit, cui se jun-

gentes duæ opulentæ fœminæ *Priscilla*, & *Maximilla* magistri sui exemplo etiam vaticinabantur, libros etiam scribentes, quas propheticis adæquabat Montanus [1].

1. Falsam ipsarum prophetiam *Apollonius* istorum temporum scriptor ecclesiasticus impugnabat: *Eja edicite, sunt ne prophetæ, qui capillos, & supercilia pingunt? qui mundanorum more ornantur? aleas tractant? ex pecuniis mutuo datis usuram accipiunt? edicant: an hæc facere prophetis liceat? & ego sole clarius demonstrabo, quod hæc faciant.* Exprobrat vero hæc Apollonius Montano propterea, quia solebat constituere exactores pecuniæ oblationum prætextu, quas non solum a divitibus, sed a pauperibus quoque quæstuose colligebat, & si quis prophetissas ejus vellet demereri, id donis aureis, & argenteis, aut vestibus pretiosis fieri oportebat.

§. 167. Fuere præcipui Montani, & *Cataphrygum* (sic a regione, in qua secta exorta est, nuncupabantur) errores: primo nuptias secundas illicitas dicebant: secundo nova jejunia servanda statuebant, velut ad salutem neccessaria: tertio Idololatris, homicidis, & mœchis veniam ab ecclesia concedi posse negabant: quarto fugam persecutionum tempore illicitam esse ajebant [1].

1. Episcopis tertium tantum locum in suis conventibus assignabant teste Hieronymo: *Apud nos Apostolorum locum episcopi tenent, apud eos episcopus tertius est; habent enim primos de Pepuza, secundos quos adpellant Cenones: atque ita in tertium, id est, pene ultimum locum episcopi devolvantur.* Apud Pepuzianos Montanistarum genus etiam mulieres ad epicopatum, & presbyteratum evehebantur, quem in sensum detorquebant illud Apostoli: *In Jesu Christo non masculus, neque femina.* Sacramenta perhibentur habuisse funesta, & conficere eucharistiam de sanguine infantis unius anni cum farina mixta, quem minutis punctionum vulneribus de toto ejus corpore extorquebant, qui puer si moreretur, apud eos habebatur pro martyre, si superstes viveret, pro magno sacerdote, quamquam S. Epiphanius id potius tribuat Pepuzianis ex Montano prognatis, quam sinceris, purisque Montanistis. Montanum, & Maximillam sibi laqueo mortem conscivisse, testatur *Apollonius Hieropolitanus* apud Euseb. L. 5. Cap. 15.

§. 168. Novatianorum sectam condidere *Novatus* & *Novatianus*, quos quidem confundunt, & in unum miscent Epiphanius, & Theodoretus, rectius tamen distinguunt Cornelius, Cyprianus, & Pacianus. Novatus presbyter Carthaginensis variorum criminum postulatus (inter quæ & illud fuit, quod uxorem suam gravidam pedibus protrudens abortum procuraverit) deponendus, & excommunicandus fuerat. Cum autem propter exortam persecutionem decianam concilium cogi non posset, ille, ut damnationis sententiam evitaret, ab ecclesia, & episcopo suo Cypriano se segregavit, aliosque, ut idem facerent, excitavit. In diaconum sibi inscio, & invito Cypriano ordinari procuravit quemdam *Felicissimum* illum ipsum, qui ab initio electioni S. Cypriani fuit adversatus. Dein Felicissimus, plurium criminum accusatus, confessorum amicitiam quæsierat, & lapsis in persecutione importune reconciliationem petentibus adulabatur. Coacta itaque factio-

ne ducem se præbet cum quinque presbyteris *illis*, qui jam ab initio electioni S. Cypriani adversati fuerant, altare separatum ab ecclesia erigit, atque conventus in monte quodam agere cœpit: hinc *Montanorum* hoc schisma dictum.

§. 169. Novatianus [1] electioni Cornelii in episcopum Romanum a septemdecim episcopis tunc Romæ præsentibus factæ adversarium se gessit. Eum in finem tum ipse, tum Novatus, qui Carthagine furtim discedens Romam fuit profectus, plures calumnias contra Cornelium Papam spargebant, nimirum illum esse libellaticum (erat enim Cornelius in Papam electus sub persecutione Decii,) & cum episcopis in apostasiam lapsis communicasse. His figmentis Novatianus nonnullos confessores atque alios fideles a communione Cornelii avertit, eousque progressus, ut se ipsum episcopum Romanum ordinari curaverit [2].

1. Fuit Novatianus baptizatus morbo gravi decumbens, ex quo cum convaluisset, baptismi ceremonias in se suppleri non curavit. Post baptismum aliquanto tempore elapso presbyter factus est, episcopo de regulis ecclesiasticis cum ipso dispensante, quæ prohibebant ad clerum assumi *clinicos*, in quam ordinationem clerus, & populus ægre consensit.

2. Hunc in finem duos sectariorum suorum elegit, eosque in Italiæ angulum misit, ut ad tres episcopos viros simplices, & rurali vitæ assuetos diverterent. His falaciter ad suum consilium adductis Romam citissime venire persuadent, ubi eorum præsentia esset oppido necessaria ad aliorum episcoporum schisma componendum. Hos episcopos, simplicitate sua captos, ubi Romam pervenere, domi inclusos tenuit Novatianus, cibo, potuque largiter ingurgitavit, & circa horam pomeridianam ebrios, ut imponerent sibi manus, & in episcopum Romanum ordinarent, coegit. Hic primus fuit *Anti — papa*.

§. 170. Novatiano, & ejus sectatoribus accidit, quod plerumque contingere solet schismaticis, ut secessionem suam excusaturi ecclesiam erroris arguerent; nam contendebant, ecclesiam lapsis in persecutione indulgere non posse [1], contrariam vero Cornelii, aliorumque disciplinam damnandam esse, hoc cum præciperent, sequebatur, omnes Christianorum familias, quæ lapsos iterum in communionem reciperent, veræ ecclesiæ nomine indignas esse. Hinc intelligitur, cur *Catharorum*, id est *purorum*, sibi nomen sumpserint.

1. Non satis est expeditum, an Novatianus solis lapsis a fide, an omnibus omnino peccatoribus veniam negandam esse contenderit. Ipsum solos lapsos ab ecclesia in perpetuum excludendos putasse, sequentia evincere videntur: (1 S. Cyprianus in suis epistolis hunc unicum errorem illi exprobrat, quod lapsis veniam deneget, 2) Novatianus *fraudatores, & mœchos a latere, atque comitatu suo non separabat*, sunt verba Cypriani in Ep. 52. denique 3) Novatianus hac se ratione tuebatur: „nec ad pœnitentiam admittendos esse lapsos præ„sumitur ex illa Domini pronuntiatione: *qui me negaverit coram hominibus,* „*negabo & ego eum coram patre meo.*"

CAPUT QUARTUM

DE

CONCILIIS.

§. 171. Ecclesia est societas inæqualis ex membris docentibus, & discentibus constans. Si membra docentia, seu episcopi in unum congregantur locum, ut varia ad religionem pertinentia determinent, dicuntur celebrare concilium, quod vel *universale* (œcumenicum), vel *nationale*, vel *provinciale* nominatur, prout omnes, aut saltem plerique totius orbis christiani episcopi, vel solum unius nationis, vel unius provinciæ conveniunt [1].

1. Est concilium ejusmodi *legitimum*, si legitime est convocatum, continuatum, & ab ecclesia acceptatum, secus *illegitimum*, seu *conciliabulum*.

§. 172. Nullum in epocha prima celebratum est concilium generale, nisi fors quis illud generalibus adnumerare velit, quod Apostoli Hierosolymis celebrarunt ad dirimendam controversiam circa observationem legalium exortam [1].

1. Apostoli in hoc primo concilio exemplum dedere, quod ecclesia in conciliis generalibus imitata est, dum quæstiones fidei, & disciplinæ decicerentur. Plerique tria ab Apostolis celebrata concilia numerant, inter quæ primum est de electione *Mathiæ* in locum *Judæ* proditoris (Act. cap. 1.) secundum de constituendis septem diaconis (Act. cap. 6.) & tertium de observandis ritibus Mosaicis (Act. cap. 15.) at *Elias Dupinius* solum conventum postremo loco commemoratum inter veri nominis concilia habendum esse asserit. Illi vero in erronea aperte sunt opinione, qui putant, aliud ab Apostolis coactum concilium ad condendum symbolum, promulgandosque canones, qui *Apostolici* nuncupantur (§. 70. & 71.)

§. 173. Concilia, quæ seculo secundo in controversia de tempore celebrandi paschatis habebantur, inferius sunt enumerata (§. 121.) His adjungi alia solent, quæ tamen, num reipsa celebrata fuerint, multi dubitant, uti *Pergamense* [1] *Hierapolitanum* [2] &c.

1. Meminit ejus author libri *Prædestinati*, & Baluzius, celebratum dicitur contra Colorbasianos, Valentinianorum surculum anno 152.

2. Recensetur in libello *Synodico* apud Fabricium habitum anno 173. contra Montanum, & Thædotum Curiarium.

§. 174. Seculo tertio consuetum jam fuisse saltem quibusdam in provinciis singulis annis concilia provincialia celebrandi, dis-

cimus ex Epistola Firmiliani ad Ciprianum in causa rebaptizationis data: "Nos tanquam disciplinam maximi momenti observamus, ut singulis annis, quotquot, sumus episcopi, & presbyteri conveniamus, de iis, quæ nostri muneris sunt, atque de rebus ecclesiæ necessariis communi consilio tractaturi."

§. 175. Conciliis seculo tertio in causa rebaptizationis celebratis (§. 126. seq.) addi potest *Iconiense* ex episcopis Cappadociæ, Ciliciæ, Galatiæ, vicinarumque regionum occasione hæresis Montanistarum congregatum, & *Synadense*, quorum utrumque in eamdem cum Cypriano sententiam condescendit [1].

1. Tillemontius hæc duo concilia refert ad annum 230., & Pagius ad finem imperii Alexandri Severi anno 235.

§. 176. Quædam etiam concilia celebrata sunt ad extinguendum schisma *Novati*, *Felicissimi*, & *Novatiani* ac ad decidendam causam lapsorum in persecutione. Novatianus post suam ordinationem (§. 169. II) ad varias ecclesias legatos cum epistolis misit, quibus pro more suam electionem notam faciebat, se contra suam voluntatem ordinatum fuisse fingens. [1] Cyprianus vero circa id tempus ex fuga ad suam ecclesiam Carthaginem rediens concilium magno episcoporum numero agebat, acceptoque de electione Cornelii nuntio, & factione ipsi opposita una cum episcopis congregatis judicium suspendit, nec antea cum Cornelio communicare voluit, quam certo sciret, num canonice fuisset electus, postquam autem cognovisset Novatiani audaciam, & schisma conflatum, Cornelium legitimum episcopum Romanum cognovit. In eodem concilio tum Felicissimus, tum quinque presbyteri ejus sectatores sunt auditi, & condemnati, scripsitque hac de re concilium ad Cornelium Papam epistolam synodicam episcoporum manu signatam.

1 Rescripsit illi Dionysius Alexandrinus episcopus: *Si contra voluntatem tuam ordinatus es, ut asseris, nulla alia ratione dictis tuis majorem fidem adstrues, quam si nunc libere resignes.*

§. 177. Alia discussionis materia in eodem concilio fuit apostatum in persecutione deciana lapsorum causa hucusque dilata. Sacris scripturis multum hinc inde allegatis, optimum visum medium tenere, spem quidem communionis iis adimendam non esse, ne desperatione acti in deteriora ruant, & clausa ad ecclesiam via ad Paganos redeant. Ceterum ne rigor disciplinæ relaxetur, non indiscriminatim ad communionem admittebantur, sed longius differebatur pœnitentia. Hoc decretum concilii in plures

articulos, seu cánones [1] digestum Romam, & ad alias ecclesias missum.

1. Hi sunt *Canones*, qui deinde sunt dicti *pœnitentiales*, seu datæ episcopis regulæ pro diversa peccatorum gravitate pœnitentes in communionem ecclesiasticam recipiendi.

§. 178. Cornelius Papa acceptis his litteris ex Africa de recipiendis lapsis Romæ concilium sexaginta episcoporum, & multo plurium presbyterorum, diaconorumque coëgit, decretum concilii Carthaginensis de modo recipiendi apostatas confirmatum, & inter alia lapsum episcopum post actam pœnitentiam admittendum quidem ad ecclesiam, sed tantum inter laicos, & tam ab oblatione sacrificii, quam omni alia functione sacerdotali perpetuo prohibendum. Idem concilium damnat Novatianum, schisma ejus, & doctrinam, quæ lapsos post qualemcunque pœnitentiam in communionem recipiendos esse negabat.

§. 179. Inter lapsos duo erant episcopi Hispani *Basilides* Legionensis, & *Martialis* Asturicensis. In horum locum juxta præscriptum canonum ordinati sunt *Sabinus* & *Felix*. Basilides vero Romam confugit, & Papam Stephanum fallaciis suis decepit, ut litteras, quibus dignitati suæ restituebatur, ei daret. Cyprianus igitur ab episcopis Hispaniæ consultus concilium triginta sex episcoporum convocavit, in quo decretum est, Sabini, & Felicis ordinationes legitimas esse, Basilidem vero, & Martialem insuper habitis Stephani litteris ab honore sacerdotali excludendos esse [1].

1. Exemplo hoc ostenditur, illo tempore adpellationes a sententia synodi provincialis ad sedem romanam consuetas nondum fuisse.

§. 180. His subjungenda sunt duo Africana, in quorum primo cautum fuit, ne quis Christianorum personam ecclesiasticam liberorum suorum tutorem testamento constituat. Cum vero *Turnis* Africæ urbe contingeret, ut *Geminius Victor* e vita discedens decreto hoc insuperhabito *Faustinum* presbyterum nominaret, in synodo Carthaginensi, cui Cyprianus præerat, statutum est, pro eo oblationem non esse faciendam, nec pro ejus salute in ecclesia deprecandum.

§. 181. Duo celebrabantur sub Demetrio contra *Originem* concilia, in quorum primo ob exsecta genitalia, in altero ob susceptos in aliena provincia ordines sacerdotali dignitate exutus est. Unum *Lambesitanum* contra *Privatum* hæreticum, duo *Antiochena* contra Paulum Samosatenum, in cujus locum *Damnus* episcopus electus. Reliqua minoris momenti prætereo.

§. 182. Concilium Illiberitanum omnium est antiquissimum, cujus canones disciplinares supersunt. Habitum est in Hispania *Elviræ*, seu *Illiberi*, quæ urbs hodie non extat, & non procul Granata extitisse creditur. Novemdecim episcopi convenerant, & conditi Canones octoginta et unus disciplinam spectantes [1].

1. Algunos los tienen por una coleccion de diferentes cánones, tomados de varios autores ó de varios concilios, mas bien que como una obra del concilio de Elvira, cuyo tiempo no es conocido. Unos lo ponen por los años 250. otros hácia el año 300. 305. ó 313, algunos en el año 324 ó despues; nosotros lo ponemos en el año 300 con Tillemont. (*Ducreux*).

§. 183. Statuta est his canonibus pœnitentia pro diversis criminibus subeunda, & quidem tanto rigore, ut criminum graviorum, præsertim idololatriæ, homicidii, & mœchiæ reos *nec in fine vitæ* ad communionem recipere permiserit [1]. Præter hæc varia quoque statuta sunt de matrimonio, sacris ordinibus, baptismo, aliisque ceremoniis, quæ in collectione *Labbei* videri possunt.

1. Nomine communionis Patres Illiberitani non intelligebant sacramentalem absolutionem, sed eucharistiam, vel participationem aliorum sacramentorum, vel orationes in ecclesia publicas, vel quid simile; nam *communio dominica* & *communio pacis*, quam fideles comedunt, est eucharistia, non absolutio a peccatis. Licet enim communionis nomine sæpius absolutionem designaverint, quoties tamen epithetum *dominica* addiderunt, eucharistiam designarunt, quod fecerunt etiam, quoties communionis nomini vocem aliquam adjunxerunt, quæ manducationem significat. Jam vero eam solum communionem in exitu vitæ lapsis denegarunt, quam vocant postea communionem dominicam, & communionem pacis, de qua fideles comedunt; nam can. 3. de *Flaminibus* (id est, sacrificulis, ita dictis ab ornamento capitis ignei coloris) post peractam pœnitentiam communione in periculo mortis refectis constituit: ut si restituta valetudine rursus defecerint, a communione postea perpetuo repellantur, ne videantur lusisse de communione dominica. Rursus can. 47. adversus conjugatos, qui mœchantur, decernit: *Si quis fidelis habens uxorem non semel, sed sæpe fuerit mœchatus, in fine mortis est conveniendus, quod si promiserit se cessaturum, detur ei communio. si resuscitatus rursus fuerit mœchatus, placuit ulterius, non ludere eum de communione pacis*, vel ut habent codices alii: *non ludere de communione pacis*. In codicibus aliis legitur *de communione panis*: sed quocunque demum modo legatur, perspicuum est, hæc verba ad eucharistiam referri. Idem constat ex can. 54 ubi decernitur, ut parentes qui sponsaliorum fidem a filiis datam fregerint, *triennii tempore sua communione abstineant*. Nomine communionis hic certe intelligitur eucharistia, quia se abstinere peccatorum remissione secundum modum loquendi a Patribus usitatum nemo dicitur.

CAPUT QUINTUM

DE

CHRISTIANORUM MORIBUS, DOCTRINA, ET DISCIPLINA.

§. 184. *Novum* dedit Christus asseclis suis mandatum, quo velut nota *caracteristica* a ceteris discernerentur; nam Joan. cap. 13. v. 34. seq. ipse divinus magister ajebat: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis vos invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem,* quam quidem imaginem veri Christiani primi fideles moribus suis ad amussim expresserunt; siquidem opulentiores neo — conversi sponte bona sua Apostolis obtulerant, ita ut quædam quasi communio bonorum a primis Christianis sit introducta, quæ inter clerum, & pauperes fideles distribuebantur (*Act. cap.* 4.) & universim primi Christiani eam morum simplicitatem, ac integritatem præsetulerunt, quam Christus, ejusque discipuli & verbo, & exemplo docuerunt [1]. Ac quamvis illius temporis Imperatorum Ethnicorum superstitiones ex religionis suæ principiis non abominari non poterant, nulli tamen publici tumultus, nullæ seditiones, aut clandestinæ conjurationes sunt conflatæ, etsi Christianis *vires*, & *occasio* resistendi Imperatoribus Ethnicis non defuerint [2], imo potius religio iis erat, ne frangerent illa officia, quæ qua cives Imperanti debebant.

1 Evidentissimum in hanc rem testimonium est epistola Plinii ad Trajanum (§. 15.) in qua dicit, Christianos *solitos more certa die ante solis ortum convenire, & canticum in honorem Christi, quem Deum esse crederent, alternantibus choris psallere, & ibi quidem Christianos juramenti vinculo inter se constringere, non ad fovenda vitia, sed emendanda, hæc enim juramento prohiberi, ne rapinam, furtum, adulterium committerent, ne datam fidem frangerent, ne depositum sibi commissum negarent &c.* (§. 38. II prolegom.)

2. *Vires* Christianis non defuisse resistendi Imperatoribus Ethnicis ex Tertulliano dicimus (§. 16.) qui postquam dixisset omnia a Christianis impleta esse, pergit: *Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Potuimus & inermes, nec rebelles, sed tantummodo discordes, solius divortii invidia adversus vos dimicasse.* Opportunam etiam solio deturbandi Imperatores Ethnicos habuissent occasionem Christiani; nam sicut electio Imperatoris a militibus tum pendebat, ita & exauctorari ab his poterant, qui magno numero Christiani erant.

§. 185. Hæc tamen non ita accipienda sunt, ac si nævis om-

nes antiqui Christianorum cœtus caruissent, inter veros enim, & sinceros Christi cultores invenire erat *hypocritas*, & improbos, hæreticos, & schismaticos. Plerumque in pejus sunt lapsi, si per longius tempus ecclesia pace fruebatur (§. 44. [1]) nam apud quos omnia tranquilla sunt, & pacata, ii in deterius mutari solent; vexatione autem imminente ad virtutem velut religionis domicilium, ac fulcrum confugiebant.

§. 186. Religionis ministri exempla erant demissionis, constantiæ, temperantiæ, omniumque virtutum, nihilque illis licentia, ac jus incundi matrimonium impedimento fuit, quo minus conjugati ex iis munia, ac officia ecclesiastica debita cum reverentia, & perfectione obirent.

§. 187. Qualis in prima epocha ecclesiæ christianæ fuerit doctrina ex scriptoribus ecclesiasticis, & hæresibus damnatis facile eruitur; nam quidquid Apostoli aut viva voce docuerunt, aut litteris consignarunt, eadem deinde Patres apostolici, aliique doctores ecclesiæ scriptis suis propagarunt. Extant quoque in monumentis hujus ætatis *symbola* (§. 69. 1), quibus summa religionis Christianæ capita comprehenduntur [1].

1. Dividi solent symbola in *publica*, & *privata*. Inter publica principem tenet locum illud quod vulgo *Apostolicum* dicitur. a viris vero privatis plura sunt edita, veluti ab Irenæo L. 1. C. 10. Tertulliano adversus Praxeam C. 2. de præscript. C. 13. Origene præfat, ad libros περιαρχων, Gregorio Thaumaturgo &c.

§. 188. Ante omnia ecclesiæ doctores tanquam fundamentum doctrinæ christianæ possuerunt Monarchiam, seu principii unitatem partim contra Paganos plures Deos sibi fingere assuetos, partim contra Gnosticos duo rerum principia statuentes. Trinitatem contra Sabellianos, aliosque asserebant. Certum est, Christum a Christianis semper tanquam Deum fuisse adoratum, quod ex apologiis, ex ipsorum Gentilium testimoniis, ex epistola Plinii ad Trajanum, & ex iis, quæ Celsus Christianis objecit, liquet. Incarnationis mysterium contra Ebionem, Paulum Samosatenum, aliosque, qui Christum purum hominem adfirmabant, ex Trinitate per omnium probabant Patres, non enim magno labore opus erat ad probandum contra Manichæos docentes, Christum tantum hominis speciem præsetulisse, quod veram carnem assumpserit. Contra illos autem, qui verum hominem confitebantur, cum ex doctrina Trinitatis constet, ipsum esse Deum, satis erat ostendere, quod, licet esset Deus, nihilominus simul verus homo esse possit. Præterea Patres ex eucharistia argumentum de veritate Incarnationis eruerunt, cum nihil ad salutem prodesset carnem puri

hominis sumere, nec fas esset illam adorare (Cyrill. II. homil. ad conat. n. 41.)

§. 189. Modum docendi, discendique quod adtinet, episcopi in sacris conventibus assidue populo fideli sacram scripturam explicabant, in domo sua vero plerumque juvenes clericos nutriverant, & singulari cura tanquam filios erudierant. In quibusdam magnis urbibus scholas pro erudiendis neo-conversis erectas fuisse legimus, ubi presbyterorum aliquis religionis quæstiones explanabat discipulis eam amplecti cupientibus [1].

1. Ejusmodi ludos teste Irenæo, & Eusebio ipse S. Joannes Ephesi, & Polycarpus Smyrnæ aperuisse leguntur. Postea inter hæc gymnasia nullum fuit celebrius *Alexandrino*, quod *scholam catecheticam* vulgo nominabant, cui S. Clemens, Origenes, Pantænus, aliique præerant.

§. 190. In prima plantatione ecclesiæ instructio in fidei mysteriis baptismum non præcedebat, sed subsequebatur; non enim plus exigebatur, quam ut neo-conversi confiteantur, Christum esse filium Dei, generis humani redemptorem, promittantque vitam doctrinæ Christi conformem. Exempla, quæ hac de re in actis Apostolorum legimus, id evincunt, ab initio enim Apostoli ita procedere consultum duxerunt, ne propagatio ecclesiæ impediretur. Postquam autem Christianorum familiæ multiplicatæ fuissent, nemo antea baptizatus est, usquedum primariis religionis præceptis adcurate imbutus est. Inde distinctio inter *cathecumenos*, *& fideles*. Priores instituendi pro captu eorum diversa fuit ratio; alii enim in primariis tantum religionis capitibus, alii in universa sapientia christiana erudiebantur; nam nemo ex Gentilibus, qui ad Christum adducendi erant, statim ad ardua, & profunda religionis mysteria admittebatur, scilicet *disciplina arcani* caute servata est, ne nostræ religionis mysteria irriderentur a Paganis [1].

1. Unde fideles cœnæ *Thyestæ* aliorumque criminum incusabantur ab iis, qui nesciebant, quid in eorum conventibus ageretur.

§. 191. Quantum jam ad docendi methodum, Apostoli, & doctores, qui eos proxime sequebantur, veritates divinas modo simplicissimo, captuique populi accommodatissimo proponebant, a subtilitatibus philosophicis, & ornamentis rhetoricis remotissimi [1]. Secundi vero seculi doctoribus quibusdam philosophia *eclectica* arridere jam cœpit, iis præsertim, qui scholæ catecheticæ Alexandriæ præerant.

1. Scimus ex historiis ecclesiarum particularium, optimos Patresfamilias, mercatores, ac opifices ad episcopatus honorem fuisse evectos de quibus nullate-

nus conjicere licet, quod scientiis profanis gramatica, rhetorica, dialectica geometria &c. imbuti fuerint. Nunquam tamen defuerunt episcopi, in scientiis profanis versatissimi, sed plerumque tales, qui jam ante suam conversionem sibi illas comparabant (*Fleury Diss. II. in H. E.*)

§. 192. Diversam vero ecclesiæ pastores cum infidelibus, diversamque cum fidelibus in modo docendi rationem tenebant. Infidelibus nihil prius suggerebant, quam ejusmodi principia, quibus corruptos eorum mores corrigerent, quia frustra se de religione disputaturos arbitrabantur cum hominibus, qui adhucdum pravis affectibus, & falsis præjudiciis regerentur. Quando in Gentiles ingenio sublimiore præditos, & sciendi avidos incidebant, humanarum scientiarum subsidio utebantur, ut eos ad recipiendam veram philosophiam præpararent.

§. 193. Fideles Patrum sermonibus, & exhortationibus in doctrina ecclesiæ roborabantur, & contra hæreses confirmabantur, item ab iisdem bene vivendi, & mores emendandi regulas accipiebant. Omnes SS. Patrum sermones circa duplicem versabantur materiam, nempe mores, & suæ ætatis hæreses; qui hac clave destituti sunt, SS. Patrum scripta sæpe vel non intelligunt, vel saltem illa lectione delectari nequeunt [1].

1. Unde nova adparet utilitas, quæ ex historia ecclesiastica advenit, ut, si quis sciat, quo tempore, & quibus in locis singulæ hæreses exortæ, & maxime propagatæ fuerint, facile perspiciat, cur SS. Patrum sermones ad determinatum doctrinæ articulum semper colliment. Inde sæpe cogebantur relicto sensu scripturæ litterali sensum moralem, tropicum vel allegoricum sequi. Quando illis res immediate cum hæreticis erat, sensui litterali inhærebant.

§. 194. Ratio agendi cum peccatoribus in *excommunicatione, & pœnitentia publica* sita erat. Usus excommunicationis jam Apostolorum tempore notus erat; nam Paulus Corinthium incestuosum sathanæ tradidit. Exemplo Apostolorum conformiter etiam subsequis temporibus communione sacrorum privati sunt, qui hæreseos, gravium criminum, aut rebellionis contra ecclesiæ disciplinam aperte convicti sunt, sed nonnisi adhibita magna cautione [1], nec e societate ecclesiæ ejecti bonis illis, quæ cuilibet jure naturali, gentium, & civili debentur, sed solis bonis spiritualibus privabantur.

1. Sancti episcopi pœnis spiritualibus in *privatos* utebantur, nullam pœnam multitudini, aut viris tam potentibus, ut motus factiosos excitari possent infligebant. Hujus rei ratio est, quod episcopi nollent censuras adhibere, nisi tunc, cum illas ad emendandos peccatores utiles fore crederent; dissimulabant vero, ubi facile prævidere poterant, fore, ut censuræ contemnerentur, malum augerent, & peccatores in seditionem, & schisma impellerentur. (*Fleury Diss. 2. in H. E.*)

§. 195. Gravioribus peccatoribus, si ad ecclesiæ communio-

nem redire cupiebant, *publica pœnitentia* subeunda erat, quæ in conspectu populi fidelis, vel in ecclesiæ conventu fieri solebat [1].

1. Tres *status*, seu *epochas* pœnitentiæ publicæ historici figere solent, quarum prima est ab ætate Apostolorum usque ad Montanum, id est, finem secundi, & initium tertii seculi, quo tempore nec genus pœnarum, nec duratio earum lege fuit determinata, ex Præsulum proin arbitrio utrumque pendebat. Secunda epocha fuit ab ætate Montani usque ad dimidium seculi tertii, quo ipso tempore cum in Deciana persecutione multi a fide defecissent, & rursus idem periculum esset sub persecutione Galli, & Volusiani Imperium, tempus pœnitentiæ prorogatum, non tamen certum quoddam definitum fuit. Tertia epocha a tempore Novatianorum initium ducit, ex quo tum magis diuturna, tum magis laboriosa opera subeunda fuere, eo quod Novatiani nimiam facilitatem peccatores ecclesiæ reconciliandi Catholicis objecerint. Deinde canones sunt conditi, qui erant regulæ normam agendæ pœnitentiæ præscribentes, ex quorum collectione exorti sunt *libri pœnitentiales* (§. 177. 1.)

§. 196. Ecclesia pœnitentiam publicam tantum ob crimina *Canonica* [1], eaque, quæ leges civiles pœna mortis vindicabant, non item ob cetera peccata mortalia imposuit; nam Tertullianus in L. de pudic. cap. 5. & 12. tria solum capitalia crimina commemorat, quæ ecclesia catholica pœnitentiæ publicæ subjiciebat, Montanistæ vero irremissibilia putarunt, nimirum *idololatriam*, *homicidium*, & *mœchiam*. Ipsum concilium Illiberitanum (§. 182. 183.) etsi severissimam constituerit disciplinam, neminem pœnitentiæ publicæ addicit, nisi quis crimina canonica admisisset, nam canon secundus his verbis conceptus est: „Flamines, qui post fidem lavacri, & regenerationis sacrificaverint, vel geminaverint scelera accedente homicidio, vel triplicaverint facinus cohærente mœchia „placuit eos nec in fine accipere communionem [2]."

1. Dum dico, *sola* crimina canonica, nimirum *idololatriam*, *homicidium*, & *mœchiam* pœnitentiæ publicæ obnoxia fuisse, hæ voces in *sensu latiori* accipiendæ sunt; ita, ut etiam crimina cum iis immediate connexa sub se comprehendant; nam can. 73. 74. 75. concilii Illiberitani etiam falsis testibus pœnitentia publica decernitur: *Delator si quis extiterit fidelis, & ad delationem ejus aliquis fuerit proscriptus, vel interfectus, placuit eum nec in fine accipere communionem.* Falsum testimonium, ob quod quis sententia capitis damnatur, æquivalet homicidio, parum enim interest, sive verbo sive gladio quem occidas. Pari modo abortus procuratio homicidii est species, incestus in linea consanguinitatis recta mœchiæ, & adulterio æquivalet, magiam item, & maleficium absque idololatria committere neminem posse tum putabatur &c.

2. Gravior est dissensio, num primis seculis peccata tum publica, tum occulta, vel publica tantum pœnitentiæ publicæ fuerint obnoxia? Præcipua difficultas sententiæ, quæ peccata etiam occulta publicæ pœnitentiæ fuisse obnoxia asserit, in eo est, quod tali modo confessionis sigillum fuisset reseratum, cum jam notum erat, qualis, & quot annorum pœnitentia cuilibet peccato fuerit determinata, aut saltem notissimum erat, eam non imponi, nisi ob crimina graviora. At alterius sententiæ patroni respondent, multos nullius gravioris criminis reos ex devotione publicam pœnitentiam petiisse, ut constat ex facto [illegible] Gothorum Hispanorum Regis, qui publicam pœnitentiam sibi imponi æger permisit, & convalescens eam peregit. Tandem [illegible] ex concilio Toletano XIII. can. primo, quo *[illegible]* Valeriensis episcopi consi-

tationi respondent Patres. Hic pœnitentiam æger susceperat, illaque perfunctus, cum in pristinam sanitatem restitutus fuisset, dubitabat, num sacerdotii, & episcopatus sui munia obire sibi liceret. Ea de re consuluit episcopos Toletanos, quibus visum est: *Ut reconciliatione præmissa solito ordinis retineret officia.* Rationem sui responsi dederant Patres his verbis: „Si enim regulæ præcedentium Patrum eos, qui pœnitentiam in discrimine mortis accipiunt, & nulla „de se manifesta scelera confitentur (si adsit tamen in his, & talibus morum probitas, ad gradus ecclesiasticos pervenire permittunt, quanto magis ut hi, qui „in ipso sacerdotio constituti pœnitentiam accipiunt, a sui ordinis officio non „retrahantur, tantum si se ipsi mortalium criminum professione propia non notarunt" Inde deducunt certo colligi non potuisse, quod graviorum criminum rei essent, si publicam subibant pœnitentiam, quia nesciebatur, an forsan pietatis causa eam susceperint. Ceterum controversia hæc ita componi posse videtur, ut dicatur, peccata tum publica, tum occulta pœnitentiæ publicæ obnoxia fuisse, ea tamen differentia, quod peccatores occulti nec absolutionem publice receperint, nec per censuras, sed per privatim absolutionis denegationem, ad eam subeundam adigerentur, quæ disciplina usque ad seculum septimum duravit, quo tandem tacito quodam ecclesiarum consensu axioma invaluit: *de peccatis publicis publice, de occultis occulte pœnitendum esse.*

§. 197. Successu temporis quator pœnitentiæ classes, seu ordines sunt distincti, πρόσκλαυσις *fletus*, ἀκρόασις ***auditio***, ὑπόπτωσις ***substratio***, & σύστασις ***consistentia*** dicti [1].

1. Pœnitens nimirum conspersus cinere, & sacco indutus communiter feria quarta cinerum episcopo se sistebat, a quo extra ecclesiam ejiciebatur, & primum gradum pœnitentiæ explebat, qui *fletus* vocabatur. Flentes ergo in ecclesiæ vestibulo prostrati preces fidelium flagitabant, & ut ad agendam pœnitentiam publicam admitterentur, quorum preces si ecclesia admiserat, ista pœnitentiam dare, illi pœnitentiam accipere dicebantur, atque inde *Audientes* nominati sunt qui secundam pœnitentium classem constituebant. His licuit in ultima ecclesiæ parte scripturas tantum, & sermones audire. Tertia classis erat *genuflectentium*, seu *substratorum*, qui intra templi ambitum a portis ecclesiæ usque ad ambonem ex quo epistola, & evangelium legebantur, erant genuflexi humili, ac demisso habitu. Hi jam manuum impositiones ab episcopo recipiebant. Hi gradus severissimus erat, & κατ᾽ ἐξοχὴν *pœnitentia* ab antiquis vocabatur. Tandem evaserunt ad gradum *consistentium*, qui quidem necdum oblationem facere, nec eucharistiæ participes fieri poterant, nec nomen eorum ad altare recitabatur, attamen una cum ceteris in oratione communi, & sacrificio usque ad finem consistere poterat.

§. 198. Episcopi canonum severitatem ob contritionem, & fervorem pœnitentium temperantes eos nonnunquam ab inferiori pœnitentiæ gradu ad superiorem omisso medio admiserant. Docet nos hoc canon sextus concilii Ancyrani de anno 314 iuxta versionem Dionysii Exigui ita decernens: „De his, qui festis diebus Gentilium „in remotis eorum locis convivia celebrarunt, ciboque proprios „deferentes ibidem comederunt, placuit post pœnitentiam biennii „eos suscipi, utrum vero cum oblatione, singuli episcoporum probantes vitam eorum, & singulos actus examinent." Itaque episcoporum arbitrio permisit synodus Ancyrana eos, qui ad substrationem deiecti fuerant, post biennium recipere vel sine oblatione, hoc est, ad consistentiam, vel cum oblatione, id est, ad corporis Christi communionem. Idem post modum can. 12 conc. Niceni definitum [1].

1. Inde genuina *indulgentiarum* notio eruitur; nulla enim alia indulgentiæ species antiquitati fuit nota, nisi quæ in remissione operum in satisfactionem criminis impositorum, aut imponendorum consistebat.

§. 199. Etiam Clerici tribus primis seculis pœnitentiæ publicæ subjecti fuerant; concilium enim Illiberitanum (§. 182. seq.) in canonibus, in quibus pœnitentia publica imponitur, nec majores clericos ab ea lege excipit. Consonat canon primus concilii Neocæsariensis in præsbyteros fornicarios, aut adulteros ita decernens: "Presbyter, si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit penitus extrudatur, & ad pœnitentiam deducatur"; pœnitentia autem, qua peccator ab ecclesia extrusus fuit, pœnitentia erat publica [1].

1. Post seculum tertium clericis majoribus pœnitentia publica non imponebatur, cujus rei testis est S. Hier. Ep. 48. ad Sabinianum diaconum data, qui plures virgines corruperat. *Hortatus sum* (inquit) *ut ageres pœnitentiam, & in cilicio, ac cinere volutareris, ut solitudinem peteres, ut viveres in monasterio, Dei misericordiam jugibus lachrymis implorares.*

§. 200. Qui acta publica pœnitentia in eadem, vel nova crimina relabebantur, ob quæ agenda publica pœnitentia esset, non iterum ad eam admissi sunt. Testes sunt Tertullianus, & Origenes, quorum prior in L. de pœnit. cap. 7. *Deus malitiam, & conatus dæmonis sciens, clausa jam veniæ janua, & præcisa alterius baptismi spe, quasi rimam secundæ pœnitentiæ pro una tantum vice patefecit. Quo hujus secundæ, & unicæ pœnitentiæ angustior est semita, eo graviori labore tenetur* [1], alter vero in Homil. 15 in caput 25 Levit. *In gravioribus criminibus semel tantum pœnitentiæ conceditur locus* [2].

1. Hujus severitatis erga relapsos has adfert Tertullianus rationes: primo, divini timoris in relapso extinctio præsumpta: pœnitentiam enim egit Dei timore concussus cum igitur in eadem, vel similia crimina relapsus sit, divinum timorem excussisse, videtur: secundo, divinæ majestatis contemptus, & ingrati in Deum animi vitium, cujus reus est, qui relabitur: tertio, quia ipsis non suffragatur ignorantia ad excusationem peccati, cum ex pœnitentiæ diuturnitate, ac gravitate facile cognoverint, quanta criminis sit gravitas.

2. In aliquibus quidem editionibus locus hic Origenis ita legitur: *In gravioribus criminibus semel tantum, vel raro pœnitentiæ conceditur locus*; verum has voces (*vel raro*) a quodam prioris ævi disciplinam ex sui temporis praxi metiri volente intrusas fuisse colligimus ex authoritate omnium librorum manuscriptorum, quos consuluit editor operum Origenis *Delarve*, qui fatetur, in omnibus voces *vel raro* deesse.

§. 201. Num peccatoribus pœnitentia functis (id est, qui pœnitentiam aut reipsa peregerunt, aut eam saltem postularunt, dum plena sanitate fruerentur, nullumque periculum mortis immineret) tribus primis seculis absolutio sacramentalis umquam denegata fuerit, dubitari multum solet. Sententiæ negativæ patroni provocant primo ad Christi, & Apostolorum exempla [1], secundo ad cano-

nes vulgo apostolicos, librum pastoris, & concilium Nicænum, tertio ad praxim ecclesiarum celebriorum [3], & quarto præcipuum contrariæ sententiæ fundamentum evertunt [4].

1. Summam esse ajunt verosimilitudinem, si non apertam veritatem, quod primitiva ecclesia exempla Christi, & Apostolorum secuta fuerit, jam vero exempla Christi, & Apostolorum sat clare ostendunt, peccatores quorumcunque criminum reos, dummodo egerint pœnitentiam, esse recipiendos, uti constat exemplo adulteræ, quam Christus absolvit, incestuosi Corinthii, quem Paulus post actam pœnitentiam in communionem recepit, nec non ex facto Joannis Apostoli, qui (narrante Fleury) juvenem quemdam ducem latronum effectum, & homicidiorum reum ad pœnitentiam revocavit, & dignos pœnitentiæ fructus edentem post breve tempus ecclesiæ communioni restituit.

2. Canonum vulgo apostolicorum quinquagesimus primus sic habet: *Si quis episcopus, aut presbyter a peccato revertentem non recipit, sed rejicit, deponatur, quoniam Christum molestia afficit, qui dixit: gaudium est in cœlo propter unum peccatorem pœnitentiam agentem*, qui canones, etsi non sint genuini, multæ tamen sunt authoritatis, quia antiquissimi. Liber Pastoris *Hermes* dictus idem affirmat; in libro enim secundo mandato quarto pœnitentia, & post pœnitentiam venia ex angeli mandato quibuslibet peccatis, & mœchiæ singillatim conceditur. Cum ergo liber hic maximo in pretio fuit primis seculis (§. 94.) non est probabile, quod in articulo mortis absolutionem sacramentalem denegaverint. Demum canon tretius concilii Nicæni ita decernit: *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regularisque observabitur, ita si quis egreditur e corpore, ultimo, & maxime necessario viatico minime privetur.* Ex his concilii verbis duo deducuntur, primo quod lex *antiqua, & regularis* fuerit neminem privandi viatico ultimo, & secunda quod hoc viaticum ultimum, de quo Nicænum loquitur, aut fuerit absolutio sacramentalis, quia dicitur viaticum maxime necessarium, aut si fuit eucharistia, per se intelligitur absolutionem sacramentalem præmissam fuisse.

3. Ecclesiæ Romanæ in hoc puncto praxim clare, & distincte exprimit clerus Romanus Ep. 2 ad Cyprianum, eadem ecclesiæ Carthaginensis disciplina eruitur ex Epistola Cypriani ad Antonianum data, in qua contra Novatianum ostendit, idololatris, si pœnitentiam egerint, absolutionem esse concedendam. Praxim ecclesiæ Alexandrinæ ex ejusdem rectore Dionysio cognoscimus, qui quibuscunque lapsis pœnitentibus etiam ante expletam satisfactionem in periculo mortis absolutionem concedi in mandatis dederat, uti patet ex historia „*Serapionis*, quam ipse Dionysius Alexandrinus ita narrat "Degebat hic (nimirum Alexandriæ) vir senex fidelis, cui nomen Serapion, is maxima vitæ „parte inculpabiliter exacta in persecutione cecidit. Sæpe petiit veniam, & „non fuerat auditus, quia sacrificaverat. Tandem morbo lethali decumbentem „vox & sensus defecerunt, die quarto quasi evigilans nepotem vocat, dicens, „properet aliquis, ut mihi ex hac vita migranti benedicat, aliquem presbyterorum accersere. Hæc dicentem vires iterum destituunt. Puer currit ad presbyterum, nox erat, & presbyter ægrotabat, venire ergo non poterat. *Jussa* „[illegible]*rum, ut morituris, si peterent, absolutio tribueretur, præsertim autem illis,* „*qui jam ante instanter sibi dari rogassent.* Hinc presbyter puero portandam „commisit particulam eucharistiæ, eum instruens, ut hanc in quodam potu „solutam in senis guttur instillaret. Redit puer, & appropinquantis strepitum „audiens, antequam intraret, Serapion reddita mente eucharistiam potui mixtam sumpsit, quo facto placide suspirans animam efflavit."

4. Contrariæ sententiæ patroni præcipuum fundamentum reponunt in decretis concilii Illiberitani, quod frequenter decernit: *[illegible]*, at nomine communionis non intelligi sacramentalem absolutionem, ex dictis constat (§. 183. 1)

§. 202. Pœnitentiæ publicæ minister *ordinarius* erat episcopus. Equidem facile largior, eum per se ipsum omnibus se præstare haud potuisse, & propterea presbyteros in adjutorium hujus rei sibi adscivisse, quibus etiam canones publicæ disciplinæ exercitium in certis casibus concredebant. Verum ex illis ipsis canonibus evidens est, publicam pœnitentiam a solo episcopo, & a presbyteris nonnisi jussu, & ita *delegata* quasi potestate administratam fuisse. (*Morinus*).

§. 203. Persecutiones *martyrum*, & *confessorum* nomina in ecclesia pariebant, qui enim persecutionum tempore variis ob fidem in Christum suppliciis occisi sunt, martyres adpellabantur, mortis autem cum periculo qui Christum in judiciis profitebantur, aut ejus causa jacturam quamdam valetudinis, bonorum, aut honorum faciebant, *confessores* vocabantur. Quæ a martyribus ab eo tempore, quo in vincula conjecti erant, ad extremam vitæ horam dicebantur, & gerebantur, ea studiose litteris consignari solebant, ut posteris certis diebus in exemplum proponi possent, atque ejusmodi collectiones de dictis, & gestis martyrum ab eorum incarceratione ad mortem usque *Acta* martyrum adpellantur [1].

1. Veterum ejusmodi *actorum* pauca ad nos venerunt, maxima enim eorum pars sub persecutione Diocletiana igne deleta est (§. 47.) Ab octavo quidem seculo, id est, a tempore Caroli M. tam Græci, quam Latini monachi in componendis antiquorum martyrum vitis multum diligentiæ consumpserunt, sed fabulas multas narrant rhetoricis pigmentis infucatas, ex sequentibus tamen regulis genuina martyrum acta utcumque dignoscere licet: primo assumi potest, acta martyrum *breviora* longioribus præferenda esse. Processus enim, quem judices contra Christianos instruxerant, plerumque brevis erat. Interrogabantur, cujus nominis, & conditionis essent, num Christum ejurare vellent? his interrogationibus finitis pœna iis dictata mox executioni mandabatur. Secundo suspecta sunt illa martyrum acta, in quibus contra chronologiam peccatur; est enim moraliter impossibile, ut author illorum in rebus, quæ ei ignota esse non poterant, uti quæ sub Imperatore, consule, aut provinciarum præside contigerint, errorem commiserit. Tertio suspecta sunt etiam martyrum acta illa, quæ continent longas, & sententiosas illorum orationes; non enim verosimile est, hominem morti proximum unice veritati, pro qua moritur, intentum, ad elegantiam verborum, ad phrases splendidas, & ornamenta rhetorica cogitasse, & his pigmentis dicta sua exornare voluisse, præsertim cum multi martyrum homines fuerint rudes, artis oratoriæ, & eloquentiæ prorsus ignari.

§. 204. Utriusque generis tum martyrum, tum confessorum incredibilis erat inter Christianos veneratio, & authoritas, propter quam singularibus fruebantur juribus, & honoribus; præterquam enim quod martyribus jus concedendi *libellos pacis* sit datum (§. 118.) iis jam mortuis ponebant monumenta, eos collaudabant oratione funebri, eorumque ossa, ac exuvias honorabant, festa eorum annua celebrabant, ad locum eorum sepulturæ convenie-

bant, & quæ sunt hujusmodi. Authoritas, & veneratio confessorum non multo minor fuit, quam martyrum; nam maxima cum reverentia salutabantur, communibus sumptibus fidelium alebantur, in conventibus primus iis erat locus. Ab eorum votis potissimum electiones ministrorum religionis pendebant, imo ipsi plerumque in electionibus episcoporum, & presbyterorum ceteris præferebantur.

CAPUT SEXTUM

DE

CEREMONIIS, SEU RITIBUS.

§. 205. *Ceremoniæ apud Latinos dicuntur sacra omnia, quæ apud Græcos orgia vocantur. Proprie autem visum est doctoribus a carendo adpellari ceremonias, quasi caremonias* (Isidorus L. 6. Etymolog. C. 19), eo quod quædam ceremoniæ in abstinendo, & carendo positæ sint, qualis erat apud Judæos carere usu carnis suillæ, & omnia fere vota Nazaræorum, & aliorum, qui vini, & aliarum multarum rerum usu ex voto carebant.

§. 206. Ceremoniarum origo vel *philosophica*, vel *historica*, vel demum *symbolica*, seu mystica concipi potest. Religio, quam creatura rationalis creatori debet, est tum interna, tum externa. Cum religione externa ritus aliqui, seu ceremoniæ necessario sunt connexæ, & hæc est earumdem origo philosophica, hinc ipse Christus, ac Apostoli ceremonias quasdam, paucas licet & simplices sanxerunt [1]. Origini vero historicæ, id est, simplici, ac pure litterali opponitur mystica earum significationem explicans [2].

1. Quamvis ritus ad religionem externam necessarii sint, modum tamen certum iis ponendum esse, res ipsa loquitur; plerique siquidem hominum externis rebus ad pompam, & speciem institutis magis quam interna pietate delectantur.

2. Errant, qui in minutissimis quibusdam ceremoniis aliquid reconditi mysterii latere arbitrantur.

§. 207. Rationes, ob quas ritus in ecclesia mature aucti sunt, prudentem produnt æconomiam, ac consilium; non enim sine fundamento suspicari licet, rectores ecclesiarum ritus ideo auxisse, ut faciliores sibi redderent tum Judæos, tum Paganos. Utrique a teneris ceremoniis assueti erant, quibus cum carere no-

vam religionem animadverterint, justo illam simpliciorem esse putabant, ideoque contemnebant. *Athei* quoque vocabantur Christiani propterea, quod templis, aris, victimis, & sacerdotibus, omnique illa pompa, in qua vulgus religionis essentiam sitam esse putabat, caruerint (§. 57. 1) Ad hanc criminationem retundendam rectores ecclesiarum instituendas quasdam externas ceremonias putabant, quibus sensus hominum caperentur.

§. 208. Notum est pariter, in novi testamenti libris varias religionis christianæ partes vocabulis ex lege mosaica sumptis efferri, aut cum ritibus a Moyse præscriptis certa ratione comparari. Hunc morem Christianorum doctores, & scriptores non modo imitabantur, sed etiam latius proferebant. Hinc episcopi *Pontifices* vocabantur, hinc *primitiæ* primum, dein *decimæ*, hinc vestimenta splendida, & alia.

§. 209. Postremum qui secum expendit, ecclesiam primævam ex Judæis, & Gentilibus collectam fuisse, qui ab ineunte ætate variis moribus, & ritibus adsueti fuerant, & consuetudines a teneris susceptas ægerrime dimitti, is sentiet, fieri haud potuisse, quin aliquid ex gentilismi, aut judaismi ritibus secum adtulerint [1].

1. In exemplo: facie ad ortum solis conversam omnes fere populi orientis ante Christum natum rem sacram faciebant. Deum enim lucem esse putabant, certisque terminis includebant, hincque concludebant, Deum in ea mundi parte, qua sol oritur, habitare. Abjecerant quidem errorem hunc, qui christianismum susceperunt, morem tamen ex hoc errore manantem, cum perantiquus erat, retinebant.

§. 210. Conveniebant Christiani sacrorum causa statis diebus, singulari vero modo cultui divino consecrarunt diem *dominicam* ab ipsis Apostolis celebrari cœptam. (Act. cap. 20, v. 7. I. ad Corinth. Cap. 16. v. 2. Apoc. cap. 1.) Præterea sacram habuerunt diem Sabathi (Act. cap. 13. v. 14. 42. cap. 18. v. 4), festaque alia, uti *pascha*, & *resurrectionis dominicæ* festum [1], *pentecosten*, & martyrum *natalitia* [2].

1. Pascha inde a primis ecclesiæ christianæ temporibus celebratum fuisse, patet ex controversia de ejus celebrandi die exorta (§. 119. seq.), at festum nativitatis Christi, & Epiphaniæ ante seculum secundum prorsus ignotum fuit in ecclesia, nec ante seculum quartum universaliter in omnibus ecclesiis celebrari cœpit.

2. *Ex gentilium moribus derivasse videtur, ut Christiani natales, & emortuales dies tanquam festos haberent. Natalem quippe mundi celebrarunt Ægyptii XIII. Kal. Augusti, Romani urbis suæ XI. Kal. Majas, quem diem a Pale pastorum, & pabulorum Dea Palilia dixere. Alii Natalia Deorum, ut Apollinis die 7 Aprilis, Mercurii 17. Maji, & iis similia. Occurrunt & Regum, & cæsarum natalitiæ festivitates, Romuli 20. Septembris, Octaviani Augusti die 23. ejusdem men-*

sis, Germanici die 31. *sextilis. Meminere istiusmodi festorum sacri etiam libri, ut Natalis Pharaonis gen.* 40. 20. *Natalis Antiochi* 2. *Macab.* 6. 7. *Natalis Herodis Antipæ Marc.* 6. 21. *Connumerabantur inter natalia festa dedicationes templorum, inaugurationes Regum, diesque, in quibus ab imminenti periculo civitates evasissent. Præter natales dies emortuales, & anniversarios recolebant, & mortuorum memoriam celebrarunt funebribus orationibus, erectis cippis, ac statuis, inscriptisque monumentis, hymnis, & carminibus, atque depictis historiis, actisque in commentaria relatis. Æquum erat, ut sublatis erroribus consimilia festa instituerit ecclesia, ne videretur minoris æstimare virtutem, quam Ethnici vitia. — Quamobrem acta martyrum perquiri, & litteris mandari curavit, templa, arasque super illorum exuvias extruxit, imagines ad viventium exemplum exposuit, hymnos, & psalmodium instituit, & quoniam soluti e corpore rapiuntur in vitam meliorem, diem obitus, consuevit adpellare Natalem* (Laurent. Berti in Chronol. Rudimentis Breviar. Hist. Eccles. præfixis pag. 12. seq.)

§. 211. Pro templis fuerunt principio privatorum hominum ædes, imo quandoque persecutionis metu in locis subterraneis, & obscuris latitantes sacra peragere cogebantur, hinc ad expellendas tenebras cereos, ac *luminaria* adhibebant, *thure* vero, ac incenso utebantur ad fugandum tetrum odorem, qui ex locis illis subterraneis exhalabat, & sanitati nocere poterat. Retinuit vero ecclesia cessantibus persecutionibus cereorum, ac thuris usum, quia populi regionum, in quibus publica officia ecclesiastica celebrata primum fuere, aromatico, & incenso plurimum delectabantur, cui origini postea *symbolica* (§. 206) accessit (*Claudius de Vert.*) [1].

1. Utrumque cereorum, ac luminarium finem agnoscit S. Hier. contra Jovinianum, nempe *historicum* & *mysticum*. Historicum ponit in necessitate, cum sacra de nocte peragerentur, mysticum in signum *lætitiæ, ac fidei*. Audiatur ipse libro adversus Vigilantium: „Cereos non clara luce accendimus, sicut frustra „calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad „lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui per imperitiam, „& simplicitatem secularium hominum, vel certe religiosarum fœminarum „hoc pro honore martyrum faciant, quid inde perdis? Causabantur quondam „& Apostoli, quod perierit unguentum, sed Domini voce correpti sunt. Neque „enim Christus indigebat unguento, nec martyres lumine cereorum, & tamen illa mulier in honorem Christi hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur. Et quicunque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo: *unusquisque* in sensu suo abundet. Idololatras appellas ejusmodi homines? Non diffiteor, omnes nos, qui in Christo credimus, „de idololatriæ errore venisse, non enim nascimur, sed renascimur Christiani, „& quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est; hoc fit martyribus, & idcirco recipiendum est, nam & „absque martyrum reliquiis per totas orientis ecclesias, quando legendum est „evangelium, accenduntur luminaria, sole jam rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Unde & virgines illæ „evangelicæ semper habent accensas lampades suas, & ad Apostolos dicitur: „sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et de „Joanne Baptista: ille erat lucerna ardens, & lucens, & sub typo luminis „corporalis illa lux ostendatur, de qua in psalterio legimus: *lucerna pedibus* „*meis.*" Quod de usu cereorum, idem & de usu thuris dicendum: nempe adhibitum fuisse ad depellendum noxium odorem, qui ex locis subterraneis, & ex magna fidelium in illis [illegible] copia exhalabat. Ita [illegible] S. Dionysii in Gallia ad benedicendum incensum [illegible] Dominus benedicat, & in odorem suavitatis

accendat. Et S. Thomas 3. p. q. 83. art. 5. ad 2. *Thurificatione non utimur quasi ceremoniali præcepto legis, sed sicut ecclesiæ statuto: primo quidem ad reverentiam hujus sacramenti, ut scilicet per bonum odorem depellatur, si quid corporaliter pravi odoris in loco fuerit, quod posset provocare horrorem, secundo ad repræsentandum effectum gratiæ.*

§. 212. Loca, ad quæ Christiani sacrorum causa conveniebant, imaginibus, & aliis ornamentis condecorata passim fuisse, dubio caret; nam usum imaginum quamvis *rarum* [1], aliquem tamen in primis jam fuisse seculis inde patet, quia sanctorum imagines vetustissimi hæretici Marcionitæ nempe, & Manichæi una cum Judæis impugnarunt, quod faciendi occasionem nullam habuissent, nisi usus earum in ecclesia notus, & receptus fuisset [2].

1. Primis tribus seculis rarissimum imaginum usum fuisse, inde constat, quia Patres istorum temporum imagines divinitatis improbabant, & cum Gentiles Christianis objicerent, quod nulla habeant simulacra, id confitebantur, nullamque nisi in animo exprimendam esse imaginem asserebant. Hæc habent Origenes *L.* 8. *contra Celsum*, & Minutius Felix in Octavio. Ratio vero, ob quam usus imaginum tum supprimebatur, in eo est, quia prima ecclesia ex Judæis simul, & Gentilibus constabat. Judæis jam, cum ex legis præscripto ab imaginibus admodum alieni fuerint, nulla erat offensio danda: Gentiles contra cum toti erant simulacris immersi, & ab iis avocandi, ut verum Deum in spiritu, & veritate adorarent, visum est ecclesiæ, imagines ab eorum oculis esse amovendas quemadmodum Deus pari de causa eas Judæis prohibuit. Imo Tertullianus de *spectaculis cap.* 22. & Origenes *L.* 7. *contra Celsum* legem Moysis quæ imagines supprimit ad Christianos etiam pertinere putabant, & iis ea ipsa de causa pingendi etiam, sculpendique artem vetitam esse adfirmabant.

2. Patres concilii Illiberitani prohibebant *aliquas in ecclesiis esse imagines, idque, cui servitur, & quod ado atur in muris depingere*, forte timebant, ne imagines istæ, cum tempore persecutionis auferri non possent, ab infidelibus profanarentur, aut, ut alii putant, prohibitio hæc non de sanctorum, sed de Dei solum imaginibus est intelligenda, quas posteriores concilium prohibet nolens figuris limitari Dei formam, qui est materiæ expers, ne Ethnicis, & catechumenis præbeatur ansa credendi, sibi fucum fieri, cum Deum sibi ut purum spiritum annunciari audiunt.

§. 213 Forma & ratio conventuum sacrorum hæc erat: Legebantur sacri libri in certas partes secti. Sequebatur exhortatio ad populum nec disserta, nec longa, sed fervoris, & amoris plena [1]. Si quidam divino se spiritu afflatos dicebant, licebat illis ordine mandata Dei exponere, judicantibus prophetis ceteris, qui aderant, quantum illis authoritatis tribuendum esset. (1. ad Corinth. Cap. 14. v. 16.) Secundum hæc preces præeunte antistite recitabantur quas fideles diebus dominicis stantes peragebant. His hymni addi debent, qui a certis hominibus decantabantur [2]. Atque hanc quidem rationem tradit *Justinus Martyr in Apologia.*

1. Sermones ad populum seculo tertio a prisco more desciverunt; nam Origenes primus cœpit longiores ad plebem sermones recitare, & in illis scriptu-

ram, quod anteipsum nemo fecit interpretari. Alii antistites, qui rhetorum in scholis eruditi erant, ad græcæ eloquentiæ regulas exhortationes suas componebant, quod exemplum opinione citius probabatur.

2. Ubique fideles in lectione publica, in precibus communibus, & ipsi religionis ministri in celebratione divinorum officiorum vulgari, seu populari utebantur lingua; hinc plerique episcopi, & clerici aliam ignorabant. Nimirum in toto occidente sola latina, in majore orientis parte græca, in superiore Syria syriaca omnibus familiaris erat. Si episcopi diversarum nationum in conciliis congrederentur, interpretum operam adhibebant, quoniam Græci aliam linguam præter patriam non noverant, Latinis satis erat græcam didicisse, atque Origenis, & Hieronymi in addiscenda lingua hebraica inauditus illa ætate labor prodigio similis omnibus videbatur. (*Fleury Diss.* 2. *in H. E.*)

§. 214. Præmissis precibus fiebat *oblatio*, panis, vini, aliarumque rerum; ex quibus tum sacrorum ministri, tum pauperes fideles alebantur. Ex his donis tantum panis & vini, quantum sacræ cœnæ administratio requirebat, consecrabatur. Sanctissimo huic instituto sobria convivia adjungebantur *Agape*, seu convivia *charitatis* dicta, quorum vero in variis cætibus varia erat ratio [1].

1. S. Judas in sua epistola de his *agapis* mentionem facit, quæ hæretici, quos oppugnat, suis dissolutionibus depravabant.

§. 215. Distribuebatur eucharistia mox sub una, mox sub utraque specie [1], non tantum adultis, sed etiam infantibus [2], saltem inde a seculo tertio. Vinum aqua miscebatur, panis in particulas dividebatur, utriusque portiones ad ægrotos, & absentes deferebantur [3]. Seculo tertio sacræ cœnæ longiores preces, majorque adparatus additus est. Interesse illi pœnitentibus & nondum baptizatis non licuit. Convivia charitatis nonnullis in locis synaxim præcedebant, in aliis consequebantur.

1. Exemplum, quod sub unica tantum specie eucharistia fuerit distributa est in historia *Serapionis* (§. 201. 3), infantibus quoque solam vini speciem datam fuisse, notum est ex Cypriano L. de lapsis.

2. Consuetudo infantibus eucharistiam dandi, tertio seculo in Africana ecclesia invaluisse videtur, certe non alibi, quam in Cypriani, Augustini, & Paulini scriptis frequentior ejus fit mentio.

3. Testatur Tertullianus L. 2. ad uxor. cap. 5. olim fideles eucharistiam domum in loca deserta secum tulisse. Ab episcopis Romanis Victore anterioribus eucharistia tanquam signum pacis mutuæ missa fuit ad episcopos in remotis etiam Asiæ regionibus degentibus. (teste Irenæo apud Eusebium L. 5. C. 24.) Anachoretæ, qui sæpius ad ecclesiam venire non poterant, illam secum in eremum tulerant opportuno tempore sumendam, eamdem quoque peregrinantes secum deferebant tanquam præsidium contra pericula in itineribus occurrentia. Inde liquet, antiquam ecclesiam in ea fuisse opinione, quod Christus etiam extra sumptionem realiter sit præsens; nullus enim panis nullum contra pericula itineris præsidium præstare valet.

§. 216. Ad cultum publicum referendus est etiam baptismus, cujus administrandi potestas Apostolis primo a Christo data est. Eadem dein gaudebant *episcopi*, atque his permittentibus presbyteri, & diaconi, imo urgente necessitate ipsi etiam *laici* (*Tertull. de bapt. C.* 17.). Collatus est autem ævo apostolico omni loco, tempore, dein autem baptismus *solemnis* introductus, qui catechumenis satis instructis præmisso exorcismo bis quotannis, nimirum in festo paschatis, & pentecostes conferebatur [1]. Peragebatur baptismus aut trina, aut unica immersione, quandoque etiam aspersione [2]. Initiati antea symbolum recitare omnibusque peccatis, maxime dæmoni, & mundi pompæ nuntium mittere, suscepto vero baptismo mel, & lac ad spiritualem nativitatem, ac morum simplicitatem significandam gustare jubebantur. *Sponsores*, aut *susceptores* adultis primum, dein infantibus etiam adhibiti sunt [3]. Baptizati corona, & candida veste induti domum rediere. [4]

1. Extra hæc tempora urgente periculo mortis catechumenis baptismus datus est & hi qui gravi morbo decumbentes baptismum susceperant, clinici dicebantur, jubebanturque, si valetudinem recuperaverint, baptismi ceremonias in se suppleri.

2. Tempore Tertulliani trinam immersionem usitatam fuisse ipse testatur adversus Praxeam cap. 26. *Non semel, sed ter ad singula nomina in personas singulas tingimur.* Clinici vero non per immersionem, sed aspersionem abluebantur; de his enim Cypriano proposuit quæstionem episcopus Magnus: *an habendi sint legitimi Christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi?* ad quam S. Martyr affirmative respondebat.

3. Susceptores, seu testes baptismales non sunt institutionis divinæ. Apostoli eos non adhibebant, nec adhibere poterant (Act. Cap. 2. v. 33.), nihilo tamen secius mos adhibendi testes est perantiquus, Tertullianus ejus primus mentionem fecit. Propter persecutiones quæ parentes liberis suis mature arripiebant, tales testes erant necessarii, ut constaret, an quis baptizatus esset?

4. Catechumenis baptizandis post solitas renuntiationes dæmoni, mundoque factas pallium loco togæ dabatur, cujus rei mystica significatio putabatur humilitas, quia toga dignitatis insigne erat, pallium vero abjectionis, & humilitatis (Tertull. L. de pallio C. 5.) Hinc istud procax Gentilium in Christianos dictetium: *A toga ad pallium.*

§. 217. Erant insuper ritus alii primis fidelibus usitati, quo pertinent *unctio* ægrotorum (Jac. Ep. cap. 5. v. 14.) *Jejunia* [1] *osculum* sanctum [2], *impositio* manuum [3], *& signum crucis* [4].

1. Jejuniis se multum exercuisse leguntur ipsi Apostoli (Act. Cap. 13. v. 2. 3. Cap. 14. v. 22. II. ad Corinth. Cap. 6. v. 5. Cap. 11. v. 27.) quorum exemplum imitati sunt primorum seculorum fideles, qui stata etiam jejunia tum *annua*, tum *hebdomadalia* observarunt. Atque primis jam seculis magna religione custoditum fuisse jejunium *antepaschale*, seu majoris hebdomadæ ex Irenæo apud Eusebium H. E. L. 5. C. 24. & Tertulliano de jejun. C. 2. de orat. C. 14. constat. Concilium Illiberitanum singulis mensibus jejunia duplicia, quæ *superpositiones* dicuntur, exceptis propter quorumdam infirmitatem duobus mensibus

Julio & Augusto, observari jussit. Jejunia hæc adpellabantur *superpositiones*, hoc est, jejunia addita, seu aucta, seu duplicia, quia tota die nihil cibi sumebant.

2. Erat hoc osculum *pacis & fraternitatis*, quod Christiani sibi invicem variis in circunstantiis dare solebant (Justinus M. Apol. I. C. 65. Tertull. de orat. C. 14.

3. Ritum imponendi manus in gente hebræa antiquissimum fuisse constat, qui idem quoque apud veteres Christianos ipso Apostolorum ævo variis in negotiis frequentissimus erat, veluti cum quis sacrorum ministris adscribebatur (Act. Cap. 6. v. 6. Cap. 13. v. 3. I. ad Timoth. Cap. 4. v. 14.), cum quis baptizabatur (Act. Cap. 8. v. 18.) item cum sanandi essent ægroti (Act. Cap. 28. v. 8.)

4. *Initium ducamus a baptismo: Antequam in aquam intramus, in ipsa aqua, & adhuc prius in ecclesia sub manu Præsuli protestamur, quod dæmoni, pompis ejus, & Angelis renuntiemus. Deinde ter immergimur, plura respondentes, quam in evangelio a Christo Domino determinata fuerint. Ex fontibus levati lac, & mel gustamus. & ab hac die per totam septimanam solito balneo abstinemus. Sacramentum eucharistiæ, quod Dominus omnibus, & refectionis tempore præcepit, in conventibus ipsam diem præcedentibus sumimus, nec de alterius manu, quam eorum, qui præsunt. Singulis annis oblationes pro defunctis, & ad festa martyrum adferimus. Die dominica jejunare, aut genuflectere non permissum putamus, eadem exceptione a die paschatis usque ad pentecosten utimur. Ægre ferimus, si quæ mica panis nostri, aut poculi gutta in terram cadere permittatur. Ad omnes actiones nostras, motus, ingressum, & egressum, dum calceamur, dum lavamur, dum mensæ assidemus, in lecto, dum sedemus, dum lampadem accendimus, quidquid agimus, frontem crucis forma signamus; si pro tali more, aut aliis similibus legem ex scripturis petas, nullam invenies, sed dicetur tibi: hæc a traditione authoritatem traxisse, consuetudine roborata, & fide simplici fuisse observata.* (Tertullianus L. de corona.)

CAPUT SEPTIMUM

DE

HIERACHIA, SEU REGIMINE SACRO.

§. 218. Ex Christi institutione non omnia ecclesiæ membra sunt æqualia, sunt enim positi quidam *doctores, & pastores* in opus ministerii, ne circumferamur omni vento doctrinæ in circumventionem erroris. (Ephes. Cap. 4) De prohetis item, & doctoribus ecclesiæ Antiochenæ Act. Cap. 13 dixit Spiritus sanctus. *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos, tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos.* Ipse Christus præter Apostolos *designavit & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam* (Luc. Cap. 10) Præterea in Act. Apost. Cap. 6. diaconorum fit mentio. Cum enim conquererentur *Hælenistæ* viduas suas in dispensatione oblationum a fidelibus factarum despici, Apostoli convocata multitu-

dine discipulorum proposuerunt, eligendos esse viros septem, qui muneri huic præficerentur, atque ita assumpti sunt septem diaconi manuum impositione, quibus præter ministerium mensarum etiam competebat jus baptismum solemniter administrandi (Act. Cap. 8. & Tertull. L. de baptis. Cap. 17.), ac eucharistiam populo fideli dispensandi (Justinus M. Apol. 1 Cap. 66 67). Demum quamvis Christus omnibus Apostolis æqualem dederit potestatem, attamen Petro ad conservandam in ecclesia unitatem quamdam præ ceteris dedit prærogativam. Inde vero exorta est distinctio inter *clericos* & *laicos* [1], varii vero gradus potestatis eclesiasticæ a Christo instituti *hierarchiæ sacræ* nomine veniunt, uti sunt *primatus* Petro, ejusque successoribus datus, *episcopatus* quem Apostolorum successores gerunt, *presbyteratus*, qui competit successoribus 72 discipulorum a Christo assumptorum, & domum diaconatus.

1. Vocem *laicus* derivari ajunt a λαος *populus*, *Cleros*. & clericos sic adpellatos „credimus, quod Mathias sorte electus est, quem primum per Apostolos legi„mus ordinatum, *cleros* enim græce, *sors* latine vel hæreditas dicitur " (Isidorus apud Gratianum C. *cleros* Dist. 21.)

§. 219. De modo, quo quis ad dictos hierarchiæ sacræ gradus assumendus sit, Christus nihil præcepit, nec etiam Apostoli unam, eamdemque formam, aut determinatam regulam observarunt in constituendis episcopis, aliisque ecclesiæ ministris; nam loco Judæ elegerunt in Apostolum Mathiam per sortes, septem diaconos discipulorum multitudo elegii. Jacobum Apostolorum cognomento justum electum fuisse episcopum Hierosolymitanum a Petro, & Joanne refert Eusebius H. E. L. 2. C. 1., & prout quisque Apostolorum alicubi plantavit ecclesiam, ipse plerumque pro sua authoritate episcopum eidem dabat nullis rogatis suffragiis ceterorum Apostolorum, aut populi.

§. 220. His hierarchiæ gradibus ecclesia arbitratu suo adjecit *Metropolitanos*, *Patriarchas* [1], *subdiaconos*, ordinesque reliquos quos *minores* vocant [2]

1. Metropoliticam dignitatem seculo secundo cognitam, invectamque jam fuisse constat (Bingham Vol. 1. L. 2. C. 16. §. 1 – 4. Cap 17. § 1 – 3.) Quidam Patriarcham quasi αρχοντα πατέρων *Principem* Patrum dictum esse opinantur, alii vero hanc adpellationem inde desumunt, quia i πατριας αρχων *gentis princeps*. Novimus quidem, & apud Judæos, & apud Montanistas fuisse aliquos, qui *Patriarchæ* audiebant, ab orthodoxis tamen Christianis adhibitæ hujus adpellationis vestigia ante seculum quintum non deprehendimus, quamvis ipsa patriarchalis potestas nomine hoc antiquior sit. Sed de ipsa hac potestatis patriarchalis origine multum disputatur. Sunt enim, qui ejus originem ipsa nascentis ecclesiæ ætate, alii qui paulo ante concilium Nicænum, nonnulli postea demum quærendam esse sibi persuadent. Verum illius institutionem perperam ab Apostolis repeti, facile ostendi potest; nam quamvis detur, Apostolos orbem christianum, & ecclesiasticum in provincias divisisse secundum formam imperii Romani quoniam in suis epistolis Christianos, ad quos scripserant, consentanee ad limite-

provinciarum Romanarum adpellant, uti Petrus eos secundum provincias Ponti, Galatiæ, Capadociæ, & Asiæ distinguit, id tamen solummodo adjuncta illorum temporum poscebant, neque ostendi potest, quod episcopis in diversis provinciis ab illis constitutis alios subjecerint episcopos, id quod tamen notio *patriarchæ* exigit. Eorum quoque sententiam, qui patriarcharum originem ad concilium Nicænum, aut paulo ante illud referunt, falsam esse, inde liquet quia canon sextus concilii Nicæni (qui de episcopis non supra unam, sed multas provincias positis, & non tantum episcopos, sed etiam Metropolitanos ordinantibus, atque adeo de Patriarchis, etsi hoc nomen nondum adhibuit, loquitur) circa eorumdem potestatem statuit: *antiqua consuetudo servetur*, nisi itaque, pridem ante invaluisset, profecto a Nicænis Patribus ad antiquos mores non esset provocatum. Occasionem autem patriarchalem dignitatem instituendi dedit partim *honor*, qui in ecclesias quasdam ab eorum fundatoribus redundabat, partim Romani imperii *divisio* in regiones, & provincias; nam cur ecclesiæ Romanæ, Antiochenæ, & Alexandrinæ dignitas patriarchalis sit concessa nulla alia adferri potest ratio, nisi quia priores duas S. Petrus, & hanc S. Marcus instituit: at vero nisi simul imperii Romani divisio in subsidium vocetur, nulla adparet ratio, cur ecclesia Hierosolymitana nobilissima, & antiquissima, in qua S. Jacobus Apostolus primus fuit episcopus, simplex tantum episcopatus fuerit olim, neque Byzantinus episcopus antea fuit Patriarcha, quam urbs ipsa Byzantium caput orientis a Constantino fuisset instituta.

2. Subdiaconatum, reliquosque, quos minores vocant ordines, *lectoratum*, *ostiariatum*, *exorcistatum*, & *acolythatum* in ecclesia esse antiquissimos testatur Tertullianus L. de præscrip. Cap. 41. hæreticorum ordinationes ita carpens: *Itaque alius hodie episcopus, alius cras, hodie diaconus, cras lector, hodie presbyter qui cras laicus*, & S. Cyprianus etiam subdiaconi meminit L. 3. Ep. 22. in qua ad presbyteros, & diaconos ita scribit: Fecisse me sciatis Lectorem *Saturum*, & hypodiaconum *Optatum* Confessorem., Præprimis vero huc pertinet egregia illa Cornelii Papæ temporibus Cypriani scripta epistola, ab Eusebio L. 6. H. E. C. 43. ad nos transmissa, in qua adfirmatur, fuisse in ecclesia Romana præter episcopos, Presbyteros, & diaconos etiam *subdiaconos septem, quadraginta duos acolythos, exorcistas autem, & lectores quinquaginta duos*. Non tamen eadem (ait Fleury Inst. jur. Eccles. P. I. C. 3.) omnium ecclesiarum facies, nec etiam singuli in unaquaque ordines fuere. Aliæ enim vel solos lectores, & acolythos, aliæ solos lectores, ostiarios, aliæ præter hos cantores habuere. Multæ orientales ecclesiæ etiam num subdiaconis destituuntur. Sed inde ab Apostolorum temporibus semper, & ubique fuere episcopi, presbyteri, & diaconi.

§. 221. Cum Christus Petro primatum dederit ad conservandam unitatem, hæc autem in ecclesia semper conservari debet, liquet, cur hanc prærogativam haudquaquam Petri privilegium *personale*, sed ejusmodi esse dicamus, quod ad successores ejus transiit. Successores in primatu Petri ecclesia illos habet, qui eumdem tenent episcopatum in quo sibi Petrus sedem fixit, & mortuus est. Petrus postquam ecclesiam Antiochenam fundaverat (*Euseb. Chronic. ad annum* 38 & 44.), Romam est profectus, & ecclesiæ ibidem collectæ episcopus præfuit, cui muneri immortuus etiam est, durante persecutione Neroniana cruci affixus[1], hinc Petri primatum Romano episcopatui semper adnexum fuisse, constanti traditione docemur.

1. Petrum Romæ fuisse unde utramque suam epistolam scripserit, ibique ecclesiam erexisse, erectæ præfuisse, Romam denique Babylonis nomine designasse iis verbis: *Salutat vos ecclesia, quæ est in Babylone collecta*, usque ad seculum decimum sextum omnibus persuasum fuit, quo tempore quidam dubitare cœperant de ejus Romam adventu (*vide Calmet. Diss. de itinere* [illegible] *Sancti Petri ad I. Petri V. 13.*) Verum illum Romam venisse testatur primo, *Clemens*, qui Petri auditor fuit, in epistola ad Corinthios scripta, secundo, *Ignatius* discipulus Aposto-

lorum in Epist. ad Romanos §. quarto, tertio, *Dionysius* episcopus Corinthiorum quarto, *Clemens* Alexandrinus, quinto, *Cajus* Romanæ ecclesiæ presbyter, septimo, *Origenes* apud Eusebium H. E. L. 2. C. 15., aliique innumeri quos inter & Protestantes sunt, doctrinæ laude clari, qui videri possunt apud Mamach. orig. & antiqu. Eccl. Tom. 5. p. 545. Objectiones adversariorum, quod primo veteres, quid quid de Romano Petri itinere referunt, a *Papia* viro rudi, & rerum christianarum ignaro acceperit, secundo, ipsi hujus itineris fautores certent, Claudiine illud an Neronis ætate contigerit, tertio, totum hoc iter ex sacra scriptura probari nequeat, satis infirmæ sunt; nam primo *Clemens* Petri auditor, & antiquior Papia, *Ignatius*, qui cum Petro ipso, & Joanne egit, hac in parte certe nihil a Papia mutuarunt. Imo ipse Irenæus, qui Papiam nominat, quoties ejusdem dicta usurpat, dum de hoc Petri itinere disserit, nullam ejus mentionem facit, secundo multarum aliarum rerum, quo tempore contigerint, memoria non extat. Ceterum dissensionem totam Mamachius ita componit, ut Petrum primo sub Claudio Romam venisse, subinde eo discesisse, & iterum sub Nerone rediisse statuat; idem plane tertio ad ultimam objectionem reponimus, multa siquidem in scriptura sacra non referuntur, quæ tamen certissima ex aliis habemus fontibus. Porro Petrum non tantum Romam profectum fuisse, sed etiam ecclesiæ ibidem collectæ episcopum præfuisse demonstrat primo testimonium *Caji*, seu quisquis ille fuit, qui contra Artemonem scripsit, & sub finem secundi seculi floruit, qui de *Victore* ait: *Tertius, ac decimus a Petro fuit Romæ episcopus* (Euseb. H. E. C. 28. L. 5). secundo, auctor carminum adversus Marcionem æqualis Tertulliano, qui ita canit: *Hac cathedra, Petrus, qua sederat ipse locatum Maxima Roma Linum primum considere jussit.* 3. *Hieronymus* L. 1. de vir. ill. *Opatus Millevitanus* L. 2. adv. Parmen. C. 3. *Augustinus* Ep. 35. *Severus Sulpitius* L. 2 &c. Neque ex eo, quod Apostoli in mundum universum ire jussi sunt, conficitur, Petrum Romæ episcopum non fuisse, atque principalem suam sedem ibidem non fixisse; hoc enim non fuit indignum orbis Apostolo, quoniam secus & in Jacobo, qui pariter orbis Apostolus præfuit qua episcopus ecclesiæ Hierosolymitanæ, id reprehendendum foret.

§. 222. Ab obitu B. Petri continuo eosdem, qui illi in episcopatu Romano successere etiam, successores in primatu fuisse non interrupta traditio nos docet. „Multum interest propter tra„ditionem, ut succesionem continuam Paparum, aliorumque epis„coporum, qui in sedibus apostolicis successerunt, sciamus, at„que hanc scriptores antiqui fideliter nobis consignarunt; at cu„juslibet Pontificis annos in primis duobus seculis determinare est im„possibile, & si etiam possemus, modica tamen exinde resultaret „utilitas, cum de illorum Pontificum gestis ferme nihil constet. (Fleury Diss. 1. in H. E). Quamvis vero circa annos successionis, & temporis, quo quilibet Pontificum primis duobus seculis præfuit, magna sit dissensio, non tamen ideo continua, & non interrupta successio, sed *modus* tantum, & *ordo* successionis incertus redditur [1].

1. Ultimus seculi tertii Pontificum fuit *Marcellinus*, quem in persecutione Diocletiana minis mortis adactum thus idolis adolevisse, actaque pœnitentia post paucos dies martyrium subiisse, tradit author libri pontificalis, & breviarium Romanum in lectionibus 26 Aprilis ipso nimirum Marcellini die festo, cujus authoritate nixus Baronius eum reipsa lapsum fuisse defendit. Verum contra Baronium eum ab apostasia hodie defendunt non Protestantes tantum, sed & ex Catholicis viri quidam longe doctissimi *Benedictus XIV.*, *Tillemontius*, *Pagius*, *Natalis Alexander*, aliique. Nituntur autem hi Pontificis defensores inprimis argumento negativo, quod ex silentio veterum, *Eusebii* nempe L. 7. C. 32., & *Theodoreti* L. 1. H. E. Cap. 3. petunt. Deinde acta concilii Sinuessani (quæ exhibet *Binius* T. 1. Concil. pag. 179, & *Mansius* collect. concil. T. 1.

pag. 1250) Spuria, & commentitia esse ostendunt, quia falsa, incredibilia, & secum pugnantia continent, quibus addunt testimonium S. Augustini contr. Petilianum c. 16. Nicolaus Papa lapsum Marcellini in Ep. ad Michaelem Imp. his narrat verbis: „Tempore Diocletiani, & Maximiani Augustorum Marcelli-„nus episcopus urbis Romæ, qui postea insignis martyr effectus est, adeo com-„pulsus est a Paganis, ut in templum eorum ingressus grana thuris supra pru-„nas poneret, cujus rei gratia collecto numerosorum episcoporum concilio, & „inquisitione facta hoc se idem Pontifex egisse confessus est. nullus tamen eo-„rum in eum sententiam proferre ausus est, cum ei sæpissime omnes perhibe-„rent: *tuo ore judica causam tuam, non nostro judicio: sed collige in sinu tuo* „*causam tuam* — — & iterum dicunt: *prima sedes non judicabitur a quoquam.*" Verum Nicolaus vel non habuit adeo acutum ingenium, & critica destitutus fuit, si hunc lapsum pro vero habuit, vel si ut falsum agnovit, alia subfuit causa, cur eumdem in citata epistola produxerit. Erat nimirum Nicolaus dilatandæ authoritatis pontificiæ studiosissimus, hinc omnia neglecto examine adcuratiori congessit, quæ rem suam juvare poterant, neque omni caret verisimilitudine, Romanam sedem hunc Marcellini lapsum eo ex fine tanquam verum olim propugnasse, & breviario Romano inseruisse, ut sententiam de superioritate Pontificis supra concilium latius propagaret, & stabiliret.

CAPUT OCTAVUM

DE

ASCETIS, ET ANACHORETIS.

§. 223. Circa dimidium seculi tertii erumpente persecutione Deciana multi fideles provinciæ Ægipti ad evitandam persecutionem in vicinos eremos confugerunt, ut ibidem non solum majori cum securitate, sed etiam ferventiori devotione divina officia exercere possent. Iste solitarie vivendi modus etsi primum necessitate urgente fuerit initus, nonnullis eorum adeo jucundus evadebat, ut etiam cessante persecutione in cellulis suis eremiticis manserint, ad suos affines, & cognatos redire nolentes [1]. Hi tamen eremicolæ longe erant distincti ab illis, qui subsequis temporibus monachi dici cœperunt [2].

1. Quod cessante persecutione in eremo manserint, inde repeti fors potest, quod Ægyptus ubi hæc vivendi ratio exorta est, homines tristes & melancholicos peperit, & quod Platonicos, & Pythagoreos imitari studuerint, qui duplicem vitæ rationem proposuere, unam pro philosophis ad virtutem subliniorem tendentibus, alteram pro populo vitæ negotiis implicato.

2. Ergo adparet, quid de iis sentiendum sit, qui vel *Apostolos*, vel *Joannem Baptistam*, vel *Eliam* conditores primos monachorum fuisse docuerunt. Erant quidem seculo primo ad urbem Alexandriam *Therapeutæ*, de quibus Philo, & ante Christi nativitatem jam fuerat secta *Essenorum*, sed dum de monachis Christianis sermo est, non utique dicendum Christianos idem cum Judæis institutum professos fuisse.

§. 224. Probe tamen eremitas, seu anachoretas ab *Ascetis* distinguere oportet, hi enim prioribus antiquiores sunt, siquidem ascetæ illi dicebantur, qui a primis ecclesiæ christianæ initiis *consilia evangelica* (uti vulgo dici solent) secuti sunt, quod nomen Christiani ab antiquis philosophis mutuarunt. Summa quidem *abstinentia*, austera *jejunia*, & fuga *nuptiarum* vitam hanc asceticam commendabant, a consortio tamen hominum haud alienam, nec enim vita solitaria de essentia vitæ philosophicæ, & asceticæ ab initio fuit; at a tempore persecutionis Decianæ vita solitaria ad essentiam vitæ asceticæ pertinere putabatur, atque ita novum hominum genus in ecclesia antea ignotum inventum est, quibus eremitarum, seu *Anachoretarum* [1] nomen datum.

1. Celeberrimi inter primos Anachoretas (ἀπὸ τῆς ἀναχωρεῖν recedere) erant *Paulus Thebæus*, & *Antonius*, ambo Ægyptii, quos S. Hier. Ep. ad Eustachium C. 16. *Patres eremitarum* adpellat. Paulus adeo celebrem ex hoc instituto famam obtinuit, ut dux eremitarum haberetur. Fatentur tamen scriptores, eum discipulos nullos habuisse, & soli fere Antonio innotuisse.

§. 225. Labores manuum ceu quoddam vitæ eremiticæ essentiale habebantur, qui ad duplicem collimabat scopum, tum ut otium, ac tœdium a solitudine inseparabile devitarent, tum ut necessaria vitæ, quin ulli essent oneri, lucrarentur; verba enim Pauli absque glossa, aut interpretatione ad litteram sumebant: qui nom laborat, nec manducet. (ad Thessal. C. 3. v. 10). Labores autem eligebant ejusmodi, qui nec eorum vires excederent, nec tranquillitatem animi turbarent, quales sunt mattas, & corbes construere. Atque his operibus eremitæ Ægyptii exercebantur; Syri vero teste Ephrem etiam chordas, papyrum, & pannos conficiebant, imo aliqui lapides molares circumagere haud dedignabantur. Quibus erant quædam terræ portiones, hi easdem ipsimet colebant.

§. 226. Ægyptii ex relatione Cassiani integro anno jejunabant, dies dominicos, & tempus paschale si excipias. Omnis eorum victus in pane, & aqua consistebat cui longa experientia assuefacti firmiter inhærebant. Porro ad libram romanam, seu duodecim uncias quantitatem panis in dies singulos redegerant, quem duabus refectionibus ad nonam scilicet, & vesperam accipiebant [1].

1. Atque in his omnis eorum austeritas posita erat; nec cilicia, nec catenas aut numellas ferreas portabant, prout quidam in Syria facere solebant, de flagellationibus namque tum nondum mentio facta fuerat. Austeritas Ægyptiorum in constanti vitæ omnino uniformi perseverantia consistebat, id quod naturæ humanæ multo durius accidit, quam acerbissima etiam pœnitentiarum cum aliqua tantum remissione vicissitudo; militum more, qui omnis generis incommoda sustinent, subsequuturæ paulo post quietis, aut jucundorum spe hybernorum animati.

§. 227. Oratio eremitarum Ægyptiorum ita ordinata fuit, ut in communi intra viginti quatuor horas non nisi bis sub vesperam, & de nocte ad orandum convenerint; qualibet vice duodecim recitabant psalmos, singulis psalmis orationem unam inserentes, duas e scriptura sacra lectiones in fine addebant. Cum e duodecim fratribus unus post alterum in medio cœtu consistens, unum decantaret psalmum, reliqui omnes assidentes in profundo silentio auscultabant, quin clamore inutili pectus debilitarent, id, quod etiam jejunium, perpetuique manuum labores haud permittebant. Cornu bubulum campanæ loco ad orandum vocabat, sufficiebatque in vastæ solitudinis silentio.

EPOCHÆ SECUNDÆ

SECTIO PRIMA

DE FACTIS ECCLESIÆ EXTERNIS.

CAPUT PRIMUM

DE FATIS ECCLESIÆ PROSPERIS.

§. 228.

Quatuor sub initium seculi quarti respublica Romanorum habebat dominos, quorum duo Diocletianus, & Maximianus Herculeus *Augusti*, reliqui duo vero Constantius Chlorus, & Maximianus Galerius *Cæsares* nuncupabantur. Maximianus Galerius dudum volverat animo ceteros Imperantes excludere, solusque imperio potiri, cui tamen proposito exequendo ei Christiani impedimentum esse videbantur, erant enim Christiani Constantio Chloro ejusque filio Constantino, qui postea cognomen *Magnus* est adeptus, addictissimi, quos abs dubio defendissent, si eos Galerius imperio excludere voluisset. In hunc finem socerum Diocletianum urgere non desiit, donec anno 303. ab ipso edictum contra Christianos impetrasset, & vix hæc Christianorum persecutio exarsit, consilium suum, quod dudum animo volverat, publice profiteri, ac aperire jam non dubitabat, nam & Diocletianum socerum, & collegam ejus Maximianum Herculeum purpuram deponere jubebat, ipse vero sese Imperatorem orientis creabat Constantio, cujus infirmam valetudinem noverat, occidente relicto. Constantius ei quidem maxime exosus erat, quamobrem eum & vita, & imperio privasset, nisi hoc exequi consilium subditorum, & militum erga dominum suum propensio illum impedivisset: itaque cum eum tollere non poterat, tolerandum putabat, præsertim cum ejus infirma valetudo mortem proxime venturam promittebat. Cons-

tantinum quidem Constantii filium, utpote quem populus, & milites amabant, plus timuit, at cum Constantinus in aula ejus Nicomediæ moraretur, nihil dubitabat, occasionem se oblaturam, quam eum clam e vivis tollere posset, & reipsa id tum alias, tum anno 306 tentavit. Constantinus insidias sibi strui animadvertens, in Britaniam ad patrem suum Constantium fuga se salvavit. Collegas imperii sibi adsciscebat *Maximinum* sororis filium, & *Severum* excluso Constantino Constantii filio.

§. 229. Sed divina providentia consilia Maximini omnia disturbabat; nam cum anno 306 Constantius Chlorus in Britania decederet, milites filium ejus *Constantinum* (qui postea *Magnus* est dictus) Augustum salutabant [1].

1. Triginta, & unum natus erat annum Constantinus, cum Augustus est proclamatus, decora facie, firma valetudine, ad omnes exercitationes, quibus corpus duratur, natura factus, humaniores litteras edoctus, nativa ejus lingua latina erat, præter quam græcam sibi familiarem reddidit. *Puede decirse que en pelear y vencer era como Cesar, en el gobernar como Augusto, en trabajar en la felicidad del mundo, como Tito y Trajano. — Tenia algunas flaquezas que son anexas á la humanidad y incurrió en algunos errores que son comunes en las mas altas dignidades.* (*Ducreux*).

§. 230. Interea *Maxentius* Maximiani Herculei filius Romæ imperium invasit, qui patrem in Campania commorantem ad imperium rursus evexit, Severo item, qui contra Maxentium ducebat exercitum, apud tres Tabernas occiso Maximianus Galerius anno 308 Augustum nominavit *Licinium*. Inierunt tum concordiam cum Maxentio Maximianus Herculeus, & Galerius Maximianus, at illum Constantinus anno 312 ad pontem *Milvium*, vel ut alii dicunt, *Mulvium* superavit.

§. 231. Sub illo tempore, dum Constantinus bellum contra Maxentium movit, fidem suscepisse dicitur, ad id permotus cruce prodigiosa, quam paulo post meridiem, quando sol inclinari incipit, per campos cum copiis incedens vidit supra solem fulgentem sequenti cum inscriptione: *In hoc signo vinces.* Sed res hæc plurimum dubitationis habet; primum enim ejus pro Christianis edictum, multaque alia satis declarant, eum bene quidem tum Christianis, eorumque sacris voluisse, at christianam religionem minime pro unice vera, & salubri habuisse, contra reliquas etiam religiones, & in his veterem romanam veras, & humano generi utiles judicasse, omnesque idcirco libere exerceri in orbe romano voluisse, uti hoc edictum legenti patet.

§. 232. Audiendus est præprimis hac de re Eusebius, qui narrat, Constantinum usque ad bellum cum Maxentio incertæ, aut

potius nulli addictum fuisse religioni, at cum ei contra Maxentium bellandum erat, sciens copiarum numero se inferiorem, cœlesti auxilio sibi opus esse sensit, ut vinceret, secum reputans, quis Deorum sibi tunc maxime esset invocandus. Mentem ambiguam subibat memoria miseræ sortis, quam sui ævi Imperatores omnes Deorum cultui addictissimi, nihil eos eorum multitudine juvante, experti essent, utpote truculenta morte sublati, e contra Constantium patrem suum, qui quamdiu vixisset, solius supremi numinis cultor extitit, semper illius Dei protectione prævaluisse.

§. 233. Itaque non tam rationum momentis, quam exemplo sui Patris, & spe debellandi hostem ad has cogitationes permotus fuisse videtur, ita enim concludebat: pater meus unum Deum coluit, & ad mortem usque feliciter regnavit, alii contra Imperatores plures Deos colentes misere periere: itaque ut & ego devictis hostibus, feliciter regnem, patris exemplo unum Deum colam. Qui hoc ex motivo religionem amplectitur, plus terrena, & temporalia, quam æterna anhelare videtur. Accedit, Constantinum nondum scivisse, quisnam ille Deus unicus sit, quem pater ipsius coluit, & cujus auxilio felix fuit. Fatetur hoc Eusebius, dicens: Constantinum hunc Deum orasse, ut sibi manifestaret nomen suum, has cum Constantinus ad Deum sibi adhuc ignotum, ut se cognoscendum daret; fudisset preces, vidit, testante Eusebio, crucem supra solem fulgentem cum signo: *in hoc vinces.*

§. 234. Per hanc visionem Constantinus nondum in notitiam ejus Dei venit, quem, ut sibi nomen suum manifestaret, rogabat; nam interprete hujus signi indigebat, qui ipse Christus fuisse debuisset: narrante enim Eusebio reliquum diei Constantinus in hujus visionis meditatione consumpsit, quid inde ominis caperet incertus. Nocte dormienti Christus adparuit cum eodem signo, quod in aëre viderat, jussitque illius effigiem conficere, quam cum hostibus congressurus publice præferri mandaret. Hac tamen visione in somno nondum edoctus est, quisnam esset ille Deus, qui sibi comparuit; nam Eusebius testatur, quod ex episcopis ad se accersitis quæsierit, quis esset ille Deus, qui sibi adparuisset? & quale hoc esset signum [1]? Ex eo Imperator scripturas legere, episcopos circa se habere, & omni cultu Deum, qui sibi adparuerat, adorare cœpit.

1. Responderunt illi episcopi: „Deus iste est filius unigenitus unius Dei, præter „quem non datur alius. Signum, quod vidisti, est tropæum victoriæ, quam de „morte retulit, quando in terram descendit."

§. 235. Hæc omnia in Gallia fiebant, antequam Constantinus cum suis copiis trans Alpes iverit Maxentium aggressurus. Conne-

xio, & series narrationis apud Eusebium id extra controversiam ponit. Itaque juxta Eusebii testimonium Constantinus jam fuerat Christianus, antequam bellum cum Maxentio confecisset. Qua Christianus ivit in Italiam, in Christum confidens pugnabat contra Maxentium, Christo victoriam relatam adscripsit, & gratum se redemptori suo ostendebat per edicta, quæ in Christianorum bonum promulgabat.

§. 236. Hæc quidem maxima ex parte vera sunt, nam cum hæc edicta mox post devictum Maxentium promulgari jusserit, abs dubio tunc melius, quam ante hoc bellum de Christianis cogitabat, nec minus probabile, quod Christi auxilio victoriam suam adscripserit. Verum ipsa hæc edicta simul ostendunt, narrationem Eusebii omni ex parte non esse adcuratissimam, & Constantinum tunc temporis in *latiori solum sensu* Christianum fuisse; putabat nimirum Constantinus Christum esse Deum aliquem, attamen non illum tanquam Deum unicum, nec religionem Christianam tanquam unice ad salutem necessariam, sed bonam tantum, & tutiorem præ ceteris reputabat [1].

1. Ne hoc precario adseratur, juvat adscribere tenorem decreti pro Christianis editi: *Nos Mediolani in prosperitate conjuncti. Ego Constantinus, & Ego Licinius Augustus: cum de iis omnibus, quæ ad securitatem, & utilitatem reipublicæ pertinerent, ageremus, illi curæ nihil præferendum judicavimus, qua numinis divini cultum promoveri oporteret; visum igitur nobis tum Christianis, tum aliis quibuscunque permittere* [illegible], *quæ libuerit religionem sequi,* [illegible] *& subjectis nobis populis* [illegible] *consilio salutari statuimus, omnibus libertatem facere Christianorum sacris inhærendi, aut religioni alteri, si quam meliorem putat, ut supremum numen, cujus cultum corde libero prosequimur, in omnibus semper habeamus propitium:* &c., nondum itaque tunc solam religionem christianam ut veram agnovit, eo quod religionem Ethnicorum non penitus rejecerit. Accedit, cum adhuc septimo, & nono post debellatum Maxentium anno leges de tolerandis haruspicibus dedisse, hinc nulla adparet ratio Zosimum mendacii arguendi narrantem quod Constantinus aliquot annis post imperium suum jam roboratum ariolos, & divinatores audierit, eorumque divinitationibus fidem adhibuerit.

§. 237. Progrediente vero tempore Constantinus etiam in rerum divinarum cognitione progrediebatur, gradatimque eo perveniebat, ut christianam religionem solam divinam, & salutarem, reliquas omnes falsas, & impias duceret, quo cognito ad religionem christianam amplectendam denuum suos cives exhortabatur, & postremo antiquis etiam superstitionibus bellum indicebat. Quonam tempore hæc in animo Imperatoris mutatio contigerit, ut falsitatem omnium religionum a christiana diversarum cognosceret, constitui non potest, hoc tamen certum, anno 324. Licinio de medio sublato, cum solus, & sine socio regnaret, eam primo publice per leges, & mandata patefactam esse. Consilium vero veterem Romanorum religionem abolendi, solamque christianam

tolerandi non ante extremum vitæ tempus per edicta de templis destruendis, & sacrificiis tollendis aperiebat.

§. 238. In hac vero re Imperatorem bona fide, & non simulate egisse nullum ei dubium esse potest, qui hominum in actionibus vim quamdam esse putat ad sensus eorum intelligendos [1].

1. Negari quidem nequit, eum haudquaquam vitam legibus Christi undequaque conformem egisse, certum est etiam, eum per totam vitam *cathecumenum* fuisse, & paucis primo ante mortem diebus Nicomediæ baptizatum fuisse, sed ex neutro confici potest, Imperatorem se tantum simulasse Christianum; baptismum enim ista ætate multi ad vitæ finem differe solebant, quo puri, & omnis vitii expertes ad vitam æternam proficiscerentur, plures autem de veritate religionis christianæ convictos vitam eidem conformem non agere est testatissimum. Alia est quæstio: an causæ humanæ, & politicæ contulerint nonnihil apud Constantinum ad religionem christianam veteri romanæ, & omnibus aliis præferendam? Non sine veri specie conjicere licet, intellexisse Imperatorem, ad firmandum imperium, civisque in officio continendos christianam religionem maximam, romanam vero nullam prorsus vim habere.

§. 239. Crucis signum, quod in cœlo se vidisse Constantinus sanctissime confirmavit, magnis circumfusum est tenebris; nam imprimis nec de tempore, nec de loco hujus visionis est consensus [1], dein sunt etiam, quibus tota res est fabula [2]. Alii demum phænonenón naturale fuisse ajunt [3].

1. Qui Eusebium sequuntur, ajunt, eum hanc visionem, dum in Calliis fuerat, habuisse, alii, qui Lactantii authoritate nituntur, contendunt, crucem ei anno 312 adparuisse, cum exercitum suum jam Romam duxerit. Rursus dissentiunt, num ei de die, aut de nocte hæc visio objecta fuerit? patroni priores potissimum nituntur autoritate Eusebii, qui se ex ore Imperatoris facti circumstantias percepisse refert. Præter Eusebium quidem Philostorgius, Socrates, aliique idem narrant, at hi omnes ex Eusebio hausisse videntur, & cum Lactantius Crispum filium Constantini informandum habuerit, abs dubio ei res hæc æque, ac Eusebio nota fuisse debuit, qui tamen nullam de visione diurna facit mentionem, hinc quidam concludunt, Constantino dormienti tantum crucem cum addita inscriptione *hac vince* objectam fuisse.

2. Inter illos, qui totam hanc visionem ad fabulas amandant, primi sunt Ethnici, sed ex Christianis quoque aliqui idem sentiunt, dicentes, eam commentam esse tanquam fraudem piam in confirmationem christianismi, aut saltem tamquam stratagema bellicum, ut Constantinus suos milites de victoria certos redderet, eisque tali modo animos pugnandi adderet. Huic tamen opinioni reponunt, quod Constantinus, teste Eusebio, juramento confirmaverit, se visionem habuisse, at rursus alii reponunt, Constantinum narrante Zosimo sæpius pejurasse, aut quidquid interim sit de hoc juramento, omni caret probabilitate, eum in hoc puncto stratagemate bellico uti voluisse, nam exercitus Constantini ex barbaris conflatus erat nationibus, quæ religioni avitæ adhærentes nullam de Christo habuere notitiam. Tales milites animandi alia fictione opus fuisset, in exemplo, Martem, Bellonam, aut alium Deum adparuisse, ac victoriam promisisse.

3. Joannes Albertus Fabricius contendit, Constantini visionem fuisse halonem solarem, verum in halone naturali nunquam visa fuit inscriptio hac vince, quæ verba in aëre visa Constantinus & vexillo bellico inscripsit, & numisma-

cum hac inscriptione cudi jussit, accedit, quod non viderit crucem vulgarem, sed primam litteram græcam nominis Christi, nempe χ magnum, quam in medio quasi secabat secunda littera nominis Christi ρ magnum quod, nullus astronomorum in halone solari adhuc observavit.

§. 240. Gaudium Christianorum ex Constantini, & Licinii edictis conceptum turbabat paulo post Licinius affinem Constantinum bello adgrediens. Victus anno 314. novem fere annis quievit, verum anno 324. turbulenti vir ingenii cum proprio motu, tum sacrificulorum instinctu Constantinum denuo invadebat, quem quo facilius superaret, Deorum cultores sibi devinciebat Christianos gravissimis injuriis afficiendo. Sed vota ejus fortuna iterum destituebat; postquam enim aliquoties infeliciter pugnaverat, ad victoris Constantini clementiam confugiendum ipsi erat, qui tamen anno 325. laqueo eum suffocari jubebat. Post hanc de Licinio victoriam solus regnabat ad obitum usque Constantinus, & quantum poterat, consilio, legibus, institutis, & præmiis nitebatur, ut veteres religiones sensim destrueret, christianaque sacra per orbem Romanum propagaret. Intelligebat absque dubio Imperator ex Licinii bellis, & machinationibus, neque se neque Romanum imperium salva veteri superstitione salvum esse posse, atque ideo ab illo tempore aperte Deos, eorumque cultum tanquam reipublicæ noxium oppugnabat [1].

1. Nam multorum templorum Ethnicorum portas, multorum etiam tecta aufferri jussit, ut collaberentur, aufferri quoque jussit statuas aureas, argenteas, aut ære fusas a multis seculis celeberrimas, & populorum religione venerabiles. Singulari etiam cura ad quædam templa maxime *invidiosa* destruenda incubuit, siquidem illius jussu, & militum opera solo æquatum est templum Veneris in monte Libani, templum Æsculapii Ægis in Cilicia, templum Apollinis Phytii in Cilicia, oracula dantis &c. Tum apertis plurimorum Paganorum oculis vanitatem suæ religionis agnoscebant, multi ad christiana sacra transibant, multi saltem nunc despiciebant, quæ prius fuerant admirati, videntes sub tanto rerum externarum adparatu latere nihil, nisi contemptibilia, quippe in portica idolorum concavitate ossa mortuorum, aut fœni, paleæve acerves invenire erat. In secretissimis templorum angulis nec Deus ullus, qui oracula funderet, sicut plebis simplicitas credebat, nec dæmon, aut saltem nocturnæ larvæ videbantur. Ita gentilitatis tenebræ dissipabantur. (*Fleury.*)

§. 241. Non solum idololatriam extirpavit Constantinus destruendo templa Ethnicorum, sed etiam rem christianam promovit extruendo ecclesias plures Romæ, Nicomediæ, Antiochiæ, in terra sancta &c., quas amplissimis reditibus dotavit [1].

1. Reditus hi, referente Fleurvo, decies septies mille, septies centum, & decies septies asses aureos, id est, ultra centum quadraginta millia librarum monetæ gallicæ conficiunt. His addendum, quod præterea ultra viginti millia librarum pensionibus sibi annuatim reddendis ecclesiæ fruerentur in diversi generis aromatibus, quæ terræ Ægypti, & orientis in natura suppeditare tenebantur, & tamen hæc omnia non alio pretio sunt computata, quam hodie currente, quod pretio rerum illius temporis nimium quantum vilius est. Vasa aurea, & argen-

tea ad usum harum ecclesiarum destinata, & ab *Anastasio* fusissime enumerata hic non memoro, forte ab aliis etiam Imperatoribus donata admiscuit. Non depromebat omnes hos sumptus ex publico thesauro, sed bona martyrum, aut aliorum Christianorum fisco addicta, quorum nulli hæredes supererant, templorum Ethnicorum a se destructorum reditus, aut reditus ludorum profanorum, quos abolevit, huc impendebat.

§. 242. Eam liberalitatem, qua Constantinus ecclesias a se extructas dotavit, seculo undecimo, aut duodecimo aliqui eo quoque extendebant, quod Sylvestro Pontifici provincias Romanas, aut saltem urbem Romanam donaverit. Edictum hujus donationis in Tom. I. conciliorum habetur, at decantatam hanc Constantini donationem commentitiam esse ostendit, primo, *fines*, ob quem facta fuisse narratur [1], secundo, *styli* dissimilitudo cum aliis Constantini edictis [2], tertio, Constantini *testamentum* [3], & quarto, *modus*, quo Pontifices dominium Romæ, ceterarumque provinciarum obtinuerunt [4].

1. Nam narratur, Constantinum medicorum consilio lepræ curandæ causa sibi balneum ex infantum sanguine parari jussisse, per somnium autem monitum omissa impii balnei præparatione a Sylvestro Papa baptizatum, & a lepra mundatum fuisse, dein in grati animi signum dictam fecisse donationem; verum satis hodie inter eruditos constat, Constantinum haudquaquam Romæ a Sylvestro sed Nicomediæ ab episcopo tunc temporis Nicomediensi Eusebio baptizatum fuisse, mansit enim per totam vitam *cathecumenus*.

2. Alia Constantini edicta, majori elegantia conscripta sunt, imo ipsa edicti inscriptio falsitatem demonstrat; nam in eo Constantinus se adpellat *fidelem, mansuetum, beneficum, Alemanicum, Gothicum, Sarmaticum, Germanicum, Britanicum, Hunicum, pium, felicem, Victorem, triumphatorem, semper augustum*, tot autem ambitiosa titulorum congeries aliena est a moribus Constantini, qui aliis suis edictis hunc solum titulum præfixit: *Constantinus Augustus, vel victor Constantinus maximus Augustus* (ut apud Eusebium in libro de vita Constantini videre est). Præterea honorifica illa epitheta, quibus Sylvestrum exornat Constantinus: *Patrem patrum, summum Pontificem, universalem Papam* adpellans, multum pariter detegit fraudem, tituli siquidem ejusmodi splendidi illo tempore nondum in usu fuerant, nec a Constantino unquam usurpati fuisse leguntur. Omnes si lustrentur epistolæ Constantini ad episcopos datæ, in nulla earum tam splendida ocurrunt nomina, imo nec in ipsa illa ad Melchiadem pariter Romanum Pontificem data quid simile legitur, nam sic illam inscribit: *Constantinus Augustus Melchiadi episcopo urbis Romæ.*

3. Illud edictum donat Sylvestro urbem Romam, & Italiæ provincias, at constat, quod, dum Constantinus imperii summam in tres suos filios diviserit, Italia, ac Roma teste Socrate, & Eusebio filio ejus natu minimo tributa sit. Quomodo autem Italia, ac urbs Roma paterno testamento filio tribui potuisset, si eam jam prius pater Sylvestro donasset?

4. Acceperant Romani Pontifices dominium temporale a Pipino Galliarum Rege, qui Aistulphum Longobardorum Regem devicit, omnesque provincias jure belli adquisitas sedi apostolicæ donavit, ut suo loco fusius exponetur.

§. 243. Protegente ita religionem christianam Constantino magnus Paganorum numerus ad fidem convertebatur, hi qui-

dem, quod veterum superstitionum vanitatem, & falsitatem agnoscerent, alii stimulante æmulatione, cum Christianos honoratiores se Imperatori chariores cernerent, demum quod illam religionem haberent potiorem, quæ eorum Domino probabatur, alii fidei argumenta adtente perpendendo movebantur. Exinde urbes, & integri populi fidem suscipere, nemine cogente templa, & idola dejicere, ecclesiasque excitare [1].

1. In exemplo: habitatores *Majumæ*, quæ erat portus Gazæ in Palæstina, alias antiquis superstitionibus addictissimi, mutatis subito animis conversi sunt, quorum pietati ut responderet Imperator, ipsum locum jure civitatis, quod prius non habebat, donavit, atque de nomine filii sui *Constantiam* dixit. Ex simili causa urbem quamdam Phœniciæ *Constantiam* adpellavit. Parvæ quoque Bythiniæ urbi ante *Drepanum* dictæ in matris suæ honorem *Helenopolis* nomen imposuit, civitatisque prærogativam donavit.

§. 244. Religio christiana jam ultra imperii Romani fines extendebatur. Nationes ad oras Rheni, & remotissimæ versus oceanum Galliæ partes Christum colebant. Gothi, aliique Danubio vicini populi Christiani erant, atque suscepta vera religione mitescentes rationi parere cœperunt. Conversionis occasionem, & initium dedere incursiones, quibus ipsi hi barbari sub Gallieno imperii fines ante sexaginta fere annos infestarunt. Episcopi a barbaris bello capti exemplo virtutum, & miraculorum testimonio agnitionem religionis suis hostibus ingesserant. A multo jam tempore Armeni Christo nomen dederant; Tiridatem principem eorum viso miraculo domi suæ patrato in Christum credidisse ferunt, omnibusque suis subditis eamdem religionem amplectendi ducem fuisse, inde in vicinas provincias fuerat dilatata, atque ope commercii in Persidem delata. Constantino hæc non erant ignota, hinc cum Rex Persarum *Sapor* legationem ad se amicitiæ fœdus pacturus, misisset, consensit, simulque prolixam pro Christianis in Perside degentibus scripsit epistolam, in qua religionis christianæ præstantiam laudat, atque ita non tantum in suo imperio, sed etiam extra fines illius christianismum propagare conabatur.

§. 245. Tres reliquit Constantinus filios, qui vi paterni testamenti imperium diviserunt. *Constantinus* primogenitus Hispaniam, Galliam, & omnia, quæ citra Alpes sita erant, cepit: *Constantio* natu secundo Asia, Oriens, & Ægyptus cessere: *Constans* natu minimus Italiam, Africam, Siciliam, & Illyricum adeptus est. Nullus horum fratrum parentem vel animo, vel ingenio referebat, omnes vero parentis consilium veteres Romanorum superstitiones abrogandi, & christianam religionem propagandi continuabat. Res ipsa laudabilis, & egregia, in modo multa reprehendi possunt [1].

v:

1. *Constancio y Constante dieron en el año 341 órdenes rigurosas contra la idolatria. Constante era dado á la intemperancia, y muy descuidado en los negocios del gobierno, pero la religion Cristiana tenia en él un gran protector y defensor. Era muy amigo de los Ortodoxos, y decidido protector de sus iglesias; pero grande enemigo de los Arrianos, Donatistas y demas hereges. (Ducreux).*

§. 246. Pergebant consilium Constantini in extirpanda idololatria continuare sequentes seculi quarti Imperatores Valentinianus, Gratianus, & Theodosius, quorum postremus superstitioni Gentilium fuit infensissimus, frangi enim simulacra, templa everti, vel expurgari jussit: Symachum, quod pro restitutione in Capitolio aræ Victoriæ supplicasset, mulctavit exilio. Edixit quoque, ut idolorum templa Alexandriæ diruerentur, quod Theophili Alexandrini episcopi cura factum est [1].

1. Unam statuam servavit Theophilus eo consilio, ne Gentiles quandoque inficiarentur, hujusmodi se Deos coluisse. Effigies simiæ fuisse dicitur. Porro dum Serapidis templum destrueretur, inventæ sunt in eo litteræ hieroglyphicæ lapidibus incisæ crucis formam referentes, quæ significabant *venturam vitam*; ut docuerunt quidam harum litterarum periti Gentiles, & ad fidem conversi.

§. 247. Ineunte seculo quinto Romanum imperium in duas divisum est partes, quarum altera provincias orientis, altera occidentis complectebatur. Orientis Imperator *Arcadius* Constantinopoli domicilium habebat, *Honorius*, cui occidens parebat, in Italia Ravennæ degebat. Honorius nulla re alia laudabilis, nisi bonitate, res enim imperii negligebat. Hinc Gothi primum Italiam vastabant aliquoties, & Romam etiam misserrime diripiebant. Primæ huic rei romanæ in occidente cladi sub sequentibus Imperatoribus multæ, & graviores succedebant; feroces enim, & bellicosi populi Germaniæ nobilissimas Europæ provincias Italiam, Galliam, Hispaniam invadebant, novaque in illis regna constituebant. Postremo Herulorum gens duce *Odoacro* devicto Romulo Augusto, qui *Augustulus* vulgo dicebatur, anno 476. imperium occidentale evertebat, & Italiam sibi subjiciebat. At hos importunos hospites post sedecim annos *Theodoricus* Rex Ostrogothorum in Illyrico degentium Græci Imperatoris authoritate bello adgrediebatur, & superabat, cujus victoriæ fructus is erat, ut Ostrogothorum regnum in Italia sit fundatum, quod ad annum 552. varia fortuna floruit. Novi hi Reges occidentis ad speciem quidem venerabantur majestatem Imperatorum Constantinopoli degentium, ac in eorum clientela vivere videri volebant, reipsa vero Theodoricus sui erat arbitrii, nihilque Imperatoribus præter umbram quamdam honoris reliquit.

§. 248. Inter hæc bella, ortasque ex illis incredibiles calamitates res christiana haud parum detrimenti capiebat, at in extir-

pandis tamen antiquarum superstitionum radicibus pergebant Imperatores Christiani, præsertim illi, qui orientem moderabantur. Theodosius imprimis junior insignia hujus studii vestigia reliquit, cujus quippe variæ leges de templis Deorum aut plane destruendis, aut Christo, & sanctis dedicandis, de Ethnicis ceremoniis abrogandis, de cultoribus Deorum ab omnibus officiis publicis arcendis extant. (*Cod. Theod. Tom.* 4.) In occidentis contra partibus paulo minus operæ hac in re positum fuit; nam impune saturnalia, gladiatorii ludi, aliæque ceremoniæ ethnicæ tum Romæ, tum in provinciis celebratæ fuere, maximæque dignitatis viri religionem Gentilium publice professi sunt.

§. 249. Seculo quinto fines ecclesiæ etiam inter populos Diis adhucdum servientes tam in oriente, quam occidente dilatabantur. In oriente incolæ montium Libani, & Antilibani, cum feris bestiis misere vexarentur, celeberrimi *Simeonis stylitæ* auxilium contra eas implorabant. Simeon unum esse tanto malo medium respondebat, si avitis superstitionibus relictis ad religionem christianam accederent. Idem Simeon authoritate sua effecit, ut in Arabum parte quadam Christi fides fuerit recepta. In Creta Insula non exiguus numerus Judæorum Christo sponte nomen dedit, cum se turpiter a *Mose* quodam Cretensi, qui sibi Messiæ nomen arrogavit, delusum sentiret [1].

1. Moses Cretensis sub Theodosio juniore integro anno in id incumbebat, quomodo Judæis persuadere posset, se esse *primum* Messiam, habereque mandatum, eos per mare siccis pedibus in terram promissionis ducendi. Hoc ipsis sanctissime promittens, exhortansque, ut omnibus bonis relictis ea aliis cedant, tandem eo permovit, ut determinata die congregati sint. Impostor ad altam rupem in mare prominentem eos duxit, jussitque se in mare præcipites agere. Aliqui ex iis morem gerentes misere in fluctibus periere, attamen nonnulli opera Christianorum piscatorum, & mercatorum, sunt salvati. Reliqui, qui nondum se præcipites agebant, fraudem impostoris videntes maxima ex parte ad christianismum transierunt.

§. 250. Germanorum populi, qui Romanum in occidente imperium dilacerabant, aut Christiani jam erant ante hoc tempus uti Gothi, & alii, aut post stabilita regna sua christianam religionem, quo securius inter Christianos regnarent, amplexi sunt. Quonam vero tempore, quibusve authoribus Wandali, Suevi, Alani, reliqui ad christiana sacra transierint, obscurum adhuc est. De Burgundionibus ad Rhenum habitantibus, & inde in Galliam translatis ex Socrate constat (*H. E. L.* 8. *C.* 30.) eos sub initium hujus seculi Christianis se e proprio motu junxisse. Causa erat spes, quam animo conceperant, fore, ut *Christus*, sive Deus Romanorum, quem potentissimum esse audierant, ab Hunorum incursionibus, & rapinis tueretur [1].

1. Bellicosi hi populi omnes præstantiam religionum ex armorum felicitate metiebantur, eamque ceteris meliorem religionem censebant, cujus asseclæ multas ex hostibus victorias referebant. Romanos igitur cum ceteris gentibus latius regnare viderent, etiam eorum Deum *Christum* cultu suo digniorem arbitrabantur.

§. 251. Ob eamdem rationem ad Christianorum sacra transiit *Clodovæus*, seu Ludovicus Saliorum Rex, Princeps fortis quidem, sed simul crudelis, barbarus, injustus, & superbus. Nam quum in prælio cum Allemais apud Tolbaicum anno 496. res desperata videretur, Christi, quem dudum uxor ejus christiana *Clotildis* frustra ei comendaverat, auxilium implorabat, spondebatque, se Dei loco eum culturum esse, si de hostibus triumphasset; victoria potitus promissis stabat, & Rhemis eodem anno baptismum suscepit. Regis exemplum aliquot millia Francorum sequebantur [1].

1. Ideo *Walchius* recte concludit, hunc Regem ex rationibus politicis christianismum sucepisse. Ceterum perhibent, Clodovæi transitum ad sacra Christianorum morem peperisse, Francorum Reges *christianissimos*, & *primogenitos ecclesiæ filios* salutandi. Ampullam oleo plenam per columbam a cœlo adsportatam fuisse, dum Clodovæus baptizaretur, quidam referunt, multi tamen veritatem hujus miraculi impugnant, ex instituto id impugnat Jo. Jac. Chifletus in libro de *ampulla Rhemensi*. Baptizabat Clodovæum S. Remigius episcopus.

§. 252. Seculo sexto populos quosdam barbaros ex iis præsertim, qui ad pontum Euxinum habitabant, Græcorum Imperatorum, & episcoporum Constantinopolitanorum cura christianismum suscepisse, rerum græcarum scriptores nos haud dubitare sinunt. Pertinent ad hos *Abasgi* populus barbarus, in ora maritima Euxini, ad Caucasum usque habitans, qui sub Justiniano Imp. christiana sacra suscepit. Populus hic antea ligna, & arbores adorabat. Reges eorum assuevere formosos juvenes parentibus aufferre, eosque eviratos vendere Romanis: posthæc parentes occidi jussere, ne vindictam ob raptum filiorum meditari potuerint. Imperator Justinianus has crudelitates vetuit, & gaudium ex hac lege conceptum populum ad religionem christianam amplectendam commovebat. *Heruli* pariter oras ultra Istrum incolentes sub Justiniano conversi. Idem de *Alianis*, *Lazis*, *Zanis*, & quibusdam aliis, quorum sedes hodie non satis cognitæ sunt, constat [1].

1. Notat *Moshemius*, multa esse, quæ doceant, nihil amplius ab his gentibus postulatum fuisse, quam ut ore Christum profiterentur, Diis victimas offerre desinerent, formulasque nonnullas, tanquam necessarium carmen discerent, verum autem pietatem, & religionem eorum animis minime instillatam fuisse, cujus rei indicium est istud, quod etiam suscepta fide homines barbari, & agrestes fuerint, cædibusque, rapinis, ac omnium scelerum genere claruerint.

§. 253. In occidente Remigius episcopus Rhemensis, quem *Galliæ Apostolum* vocant, magno studio, nec infeliciter maxime post susceptam a Clodovæo Francorum Rege religionem christianam propagandæ ecclesiæ insudavit. In Britania *Etelbertus* Rex Cantii (princeps inter septem Reges Anglo-Saxonum, quos inter insula hoc tempore divisa erat) sub finem seculi christianam uxorem duxit, *Bertham* nomine, quæ maritum partim ipsa, partim per sacrorum ministrorum, quos adduxerat, propensionem quamdam erga religionem christianam ingerebat. Rege sic præparato *Gregorius Magnus* Papa, sine dubio a Regina monitus, quadraginta monachos Benedictinos, quorum præfectus quidam *Augustinus* erat, in Britaniam mittebat, qui ceptum a Regina opus perficiebant; hic enim Augustinus juvante Regina tum Regem, tum maximam incolarum Cantii partem ad christiana sacra traducebat. In Germania Bohemi, Thyringi, Bavari, Christi fidem suscepisse feruntur, id quod multis tamen dubium videtur [1].

1. De his sacris expeditionibus id aliqui observandum esse monet, populos istos magnam partem antiquorum rituum retinuisse; nam omissis ceteris de Anglo-Saxonibus ipse Gregorius Magnus statuit, ut ipsis permittatur festis diebus loco consuetarum alias victimarum Gentilium aliqua animalia mactare, & convivia parare, ne de repente antiquarum consuetudinum oblivisci cogantur.

§. 254. Judæorum quoque insignem multitudinem variis in locis Christo nomen dedisse certum est. In oriente Justinianus Judæis urbis *Borii* in Lybia incolis persuasit, ut Christo se subjicerent. In ocidente regum Galliæ, & Hispaniæ, Gregorii Magni, item *Aviti* episcopi Claromontani studiis, & laboribus multi hujus gentis conversi. Avitus episcopus una die quingentos Judæos baptizabat; nam unum ex ipsis ad christianismum conversum fœtenti oleo perfuderunt, ob id populos ipsorum synagogam solo æquabat. Episcopus delegatos ad Judæos hac cum comminatione misit, ut aut baptismum suscipiant, aut emigrent, quamobrem quingenti baptismum petierunt [1].

1. Hinc autem id observare licet, multos beneficiis Principum, aut pœnarum metu magis, quam rationum monumentis adductos fuisse, ut Christum ore profiterentur, at hunc morem cogendi Judæos ad baptismum ipse Gregorius M. abrogari voluit.

§. 255. Quæ de propagata seculo septimo religione christiana narrari solent, non tanti sunt momenti, nisi fors illud excipere velles, in Oriente Nestorianos ex Persia, Syria, & India incredibili labore, & constantia fidem christianorum in extremis Asiæ oris proferre conatos fuisse, neque fructu hæc caruit industria, præsertim in China [1].

1. Si media, per quæ in prima epocha religio christiana propagata est, cum iis conferimus, quæ in epocha secunda adhibebantur, ingens inter illa discrimen invenire minime est arduum.

CAPUT SECUNDUM

DE

FATIS ECCLESIÆ ADVERSIS.

§. 256. Rei christianæ felicitas plurimum detrimenti capiebat, & exitio vicina videbatur, quum *Julianus*, unicus, qui superat, familiæ Constantinianæ surculus filius *Julii Constantis* fratris Constantini M. anno 360. feliciter in Galliis gestam a militibus Imperator salutaretur, & anno 361. extincto Constantio solus imperium adipisceretur. Etsi enim in religione christiana educatus fuerat, eam tamen rursus deseruit partim odio familiæ Constantinianæ, quæ patrem, fratrem, cognatos ejus interfecerat, partim philosophorum Platonicorum astutia inductus, atque idololatriam deleto christianorum nomine omnibus viribus reducere conabatur. A vi abhorrere videbatur [1], & plenam civibus libertatem in religionis negotio relinquere, verum arte, ac consilio nervos rei christianæ incidebat tollendis juribus tum religioni, tum sacrorum ministris concessis.

1. Namque experientia doctus sciebat, persecutiones priorum temporum, quo fuissent atrociores, eo magis rem christianam promovisse.

§. 257. Quamvis vero Christianorum sanguinem non funderet, aperte tamen infestabat, nam contemptim *Galilæos* compellabat, & lege lata ab omnibus ita adpellari voluit, tum privilegia ab Imperatoribus Christianis religionis gratia concessa revocavit, stipendia a Constantino constituta eripuit, ecclesiis aurum, argentum, vasa pretiosa, & opes plurimas eripuit, quod diceret, Christianis evangelicæ paupertatis praxim esse necessariam, & quia evangelium præcipit, injurias pati, atque honores fugere, Christianos alium in judicio adcusare, se ipsos coram judice defendere, aut ullo munere publico fungi vetuit. Prophanæ e contra religionis ministris, sacrificulis, hierophantibus, idolorum, templorumque custodibus omnem honorem exhibuit, reditus adsignavit, honores, privilegia, exemptiones ab antiquis Regibus concessas restituit [1].

1 Tunc vero manifeste adparuit, quantum vera religio a Gentilium superstitionibus distet. Idololatria nemine persequente cecidit, quamprimum eam potestates seculares defendere cessarunt; at Julianus nec omnibus imperii viribus, nec philosophiæ, & magiæ auxilio efficere potuit, ut Deorum cultus reduceretur. Ipse Julianus in scriptis suis, præsertim contra populum Antiochenum hac de re conqueritur. (*Fleury Diss. I in H. E.*)

§. 258. Cum nulli civium religionis nomine molestus, nullique sectæ inimicus videri vellet Julianus, Judæis etiam eousque se æquum præbebat, ut illis potestatem concederet templum Hierosolymitanum restaurandi. Inchoabant Judæi opus, sed ab eo desistere fundamentis nondum jactis cogebantur; ignei enim globi magno cum fragore, & terræ motu terribili e solo erumpebant, atque congestam materiam, & operarios dejiciebant [1].

1. De causis disputari potest, & disputatur, sed æqua mente qui rem considerare volunt, eventum prodigiosum esse haud difficulter sentient, nihil enim solidi ii proferunt, qui vel ad causas naturales, vel ad artes, & dolos hoc prodigium referunt. *Lardner* quidem contra animadvertit, Julianum hac solum sub conditione Judæis templi restaurationem suis sumptibus faciendam promisisse, si bellum contra Persas feliciter gesserit, uti ex scriptis ipsius Juliani colligitur at vero cum victor ex bello Persico non redierit, etiam nullum mandatum ad restaurandum templum dedisse; verum quid prohibet dicere, Julianum consilium mutasse, & ante cœptum cum Persis bellum mandatum ædificandi dedisse, idque in scriptis suis non meminisse? aut fors Judæi mandatum ejus prævenientes propriis sumptibus ædificium inchoarunt; nam eo minus de facti hujus veritate dubitare licet, cum illud non tantum Christiani narrarint, sed etiam *Ammianus Marcellinus* Gentilis, historicus coævus, facti hujus testis oculatus, qui quam infensus Christianis, tam pronus ad adulandum Juliano fuit. S. Cyrillus tunc temporis Hierosolymitanus episcopus tranquillo animo omnes adparatus ad hoc ædificium spectabat, in prophetarum veritate infallibili confidens, affirmansque jam divinæ promissionis affectum coram omnium oculis manifestandum, prædicitur enim a Daniele, usque ad finem mundi duraturam desolationem, & a Christo, nec lapidem super lapidem mansurum. Ajunt etiam, dum fundamenta fodissent, in caverna aqua repleta inventum fuisse librum, mirantibus omnibus, quod in loco humido ita illæsus servari potuisset, quo aperto magnis litteris hæc verba scripta legerant: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum &c.*, **nimirum totum evangelium Joannis.**

§. 259. In bello contra Persas parum prudenter cœpto, & gesto anno 363 telo in prælio percussus interibat [1].

1. Qui Julianum cum maximis omnis ævi heroibus componunt, imo principem omnium esse volunt, qui unquam rempublicam administrarunt, quod multi hodie faciunt, iique docti, & acuti homines (inter quos & *Montesquieu*) aut animi propensionibus impediuntur, quo minus verum videant, aut scripta ejus, quæ extant, nunquam legerunt attente, aut denique nesciunt, quid vere magnum, & eximium adpellari debeat. Si demas ingenium, quod scripta tamen mediocre fuisse docent, fortitudinem bellicam, litterarum amorem, philosophiæ platonicæ cognitionem, laboris denique patientiam, cetera parva in eo sunt, & laude indigna. Dederim rebus nonnullis majorem fuisse Constantini Magni filiis, ipso vero Constantino, quem sine modo vituperat, multis modis minor erat.

§. 260. Gothi, Heruli, Franci, Wandali, aliæque nationes

feroces, & bellicosæ, quæ seculo quinto imperium Romanum invadebant, maxima ex parte a Christo adhuc alienæ erant. Has inter calamitates Christiani primum gravissimis injuriis afficiebantur. Imperii quidem, & opum cupidiores erant hi populi, quam superstitionis a majoribus acceptæ, nec idcirco Christianos ex *instituto* persequebantur; at qui ubique restabant in orbe Romano Deorum cultores, nihil intermittebant, quod ad odium Christianis apud illos conflandum conducere posse putabant, sperantes fore, ut pristinam libertatem recuperarent. Caruit hæc spes eventu, maximaque barbarorum pars Christo potius se subjecit, sed multa tamen ubique mala Christianis initio sustinenda erant.

§. 261. Ut graviorem Christianis apud populum concitarent invidiam ethnicæ religionis amatores, obsoletam majorum suorum querimoniam, crescentibus in dies miseriis publicis, repetebant: bene rebus humanis ante Christum fuisse, hoc autem ubique recepto Deos neglectos, & repudiatos omne malorum genus in orbem terrarum immisisse [1].

1. Imbelle telum hoc S. Augustinus libris de *civitate Dei* frangebat, qui & *Orosium* persuasit, ut scriptis historiarum libris ostenderet, easdem, imo atrociores pestes, & calamitates homines afflixisse, antequam religio christiana in orbe proposita esset.

§. 262. Sed de vexationibus Christianorum distinctius aliquid dicendum est. In Gallia, vicinisque provinciis Gothi, & Wandali, qui omnia divina, & humana primo conculcabant, innumeris Christianis vim intulisse leguntur. In Persia magnam Christianis malorum copiam comparabat præceps fervor *Abdæ* episcopi Susæ, qui templum igni consecratum, seu *Pyreum* diruebat. Jussus enim a Rege *Isdegerde* illud restaurare obedire nolebat, quare & ipse necabatur, & Christianorum ædes solo æquabantur, hoc tamen bellum non diu post initia sua sedatum videtur. Majori dein crudelitate Christianos filius ejus *Vararanes* adgrediebatur partim majorum instinctu, partim Romanorum, quibuscum bellum gerebat, odio [1]. Pace vero inter Romanos, & Vararenem constituta Christianis etiam pax reddebatur.

1. Quoties enim Persæ, ac Romani inter se dimicabant, toties Christiani Persiam incolentes Regum suorum furorem sentiebant, nam favere Romanis, & rempublicam illis prodere, & fors non temere putabantur.

§. 263. Judæi gratia, & opibus passim in orientis regionibus valentes, quibus poterant modis, Christianos lacessabant, nullus vero molestiorem, & arrogantiorem illis sese præbebat, quam *Gamaliel* Patriarcha Judæorum vir potentissimus, quem idcirco Theodosius junior singulari edicto reprimebat.

§. 264. Libris, quantum scire nobis datum est, nemo religionem christianam hoc seculo lacessere est ausus, nisi forte *Olympiodori, & Zosimi* historias huc aliquis referre vellet, quorum alter nomen christianum ubique inclementer, & inique pungit. Neque tamen ullum cuiquam dubium esse potest, quin philosophi, & rhetores, quorum scholæ adhuc in Græcia, Syria, & Ægipto patebant, juventutis animos occulte corrumpere, & aliqua saltem parte proscriptæ superstitionis imbuere studuerint; habent enim quorumdam Christianorum libri multa clandestinæ hujus machinationis vestigia.

§. 265. Imperatorum licet legibus seculo sexto cautum esset, ne cui, qui Gentilem superstitionem ejurare nollet, munus quoddam publicum comitteretur, multi tamen viri graves, & eruditi medios inter Christianos religionem ethnicam erant professi. Scilicet ut vitæ hujus mos est, legum severitas eos tangebat tantum, quos nec genus, nec opes, nec gratia commendabat [1].

1. Ipse *Tribonianus*, Princeps jurisconsultorum sui ævi, cujus opera Justinianus in condendis libris quatuor institutionum juris civilis usus est, nonnullis a Christianorum sacris alienus fuisse videtur. Idem de *Procopio* emunctæ naris homine, celebrique historico haud pauci suspicantur. Ceterum de Triboniano non pauci sentiunt, eum nec Christianum, nec Ethnicum, sed hominem nullius religionis fuisse, eumque incusant avaritiæ, & injustitiæ, quia ad propriam utilitatem leges sæpius immutabat, & Imperatorem ad multa injusta perduxit.

§. 266. Illud magis mirandum est, Platonicos, quos nemo ignorabat christiano nomini infensos esse, publice in Græcia, & Ægypto scita sua sacris nostris prorsus adversa juventuti tradere licuisse. Magnam quidem hi philosophi modestiam præseferebant, sermonemque ita plerumque moderabant, ut non minus a christiana disciplina Deorum religio remota videretur. Tantum his hominibus licentiæ concessum haud fuisse, nisi inter magistratus multi specie potius, & nomine, quam re Christiani fuissent.

§. 267. A Persarum Regibus etiam seculo septimo aliquoties vexati sunt Christiani; verum brevi furor iste recedit. In oriente Judæi mox impetus in Christianos facti pœnas dederunt. Illi, qui ipsos inter Christianos de reducendis majorum religionibus deliberabant, nimis erant debiles, quam ut audere aliquid potuissent.

§. 268. Verum novus, isque potentissimus Christianorum hostis *Heraclio* Imp. anno 612. in Arabia surrexit *Machumedes*, parentibus quidem nobilibus, attamen pauperibus natus. Pater ejus *Abdalla*, cum puer biennis esset, mortuus. Cum paupertate colluctans Machumedes mercaturam exercere cœpit, quippe plerique

Mechæ incolæ in regione sterili hac industria inopiam levabant. Cum itaque adhuc juvenis lucri causa sæpius iter faciens usque Damascum in Syria pervenisset, quædam vidua dives, cui nomen *Cadija* in domum suam susceptum initio æconomum, postea in maritum accepit [1].

1. Illiteratum fuisse Machumedem plerique adfirmant, & ipse etiam se omnis scientiæ, & eruditionis, imo artis legendi, & scribendi expertem dixit, atque ex hac Machumedis ignorantia aliqui ex sectatoribus ejus argumentum ducere solent, religionem ab ipso promulgatam divinam esse. Sed difficile creditu est, hominem adeo rudem, & indoctum fuisse, & sunt inter ipsos ejus asseclas, qui de rei hujus veritate dubitant. Equidem si perpendatur, eum mercaturam satis diu cum fructu in Arabia, & vicinis gentibus fecisse, vel ex hoc constare potest, facultate litteras pingendi, legendi, & computandi eum valuisse, utpote qua negotiatores carere nequeunt.

§. 269. A Deo se ad evertendam idololatriam, purgandasque, & emendandas Arabum primum, dein tam Judæorum, quam Christianorum religiones missum esse prædicabat, atque id verum esse, primo uxori suæ Cadijæ, & aliis suis consanguineis persuasit, eo utens mendacio, revelationes sibi de cœlo ab Angelo Gabriele adlatas esse [1]. Dein novam suam doctrinam sensim conscribi jubebat, eamque nomine communi *Koran*, id est, lectionem dicebat, sicut nos loqui solemus, scripturam [2].

1. Hoc ut primo uxori suæ persuaderet, dixit, se sæpius in extasim rapi, qua durante sibi Angelus loqueretur, laborabat siquidem morbo comitiali (vulgo caduco), ut jam uxorem, quam tanta calamitas affligebat, consolaretur, id, quod ipsa paraxismum putabat, extasim, qua sibi angelus loqueretur, adfirmabat.

2. Codex hic variis constat schedis, & sermonibus post mortem ejus repertis, & collectis, nec vera illa lex est, cujus præstantiam Machumedes ipse tantopere extollit. Forte quædam partes veri Al-korani in hodierno leguntur, differre autem Koranum a Machumede conscriptum ab hodierno, inde est manifestum, quod Machumedes ipse in nostro Korano verum suum citet, & laudat. Quicumque liber in libro quodam commendatur, & laudatur, is diversus sit a libro illo in quo commendatur, necesse est, Machumedis successor Abubecrus collegit, & in unum volumen conscribi jussit Koranum, quem Machomedes diversis temporibus, & locis dictabat pro nata occasione, cum prius solum in dispersis libellis, & memoria Muselmanorum eos recitantium conservaretur.

§. 270 Multos nactus est Machumedes adversarios, & præsertim *Corisianos*, qui eum dæmoniacum, amentem, & impostorem adpellabant, & cum primis miracula exigebant, quibus se missum probaret; at eis respondit, Deum per Moysem, prophetas, et Jesum miraculorum satis edidisse. Corisiani postquam se Machumedis somnia rejicere professi sunt, edicto in templo Mechæ adfixo eum proscripserunt. Cum igitur nova religio in aliis Arabiæ partibus, & præcipue *Ijatribæ* [1] urbe veteri mercatorum comercio celebri, sexaginta fere leucis a Mecha distante, radices egisset, Machumedes illud se recipere statuit, & postquam discipulos suos

quos Mechæ habebat, præmisisset, ipse quoque se illuc contulit, ut de inimicorum suorum insidiis securus viveret. Hæc est illa notissima Machumedis fuga, quam Muselmani *Hegiram*, id est, *persecutionem* vocant, & ex quo tempore annos suos numerant, sicut nos ab anno Christi nati numeramus.

1. Urbs Ijatriba, ad quam Machumedes confugit, nobis hodie sub nomine *Medinæ*, magis nota est.

§. 271. Ex hoc tempore ingentia Machumedis factio incrementa accepit, quo inopinato successu rerum suarum elatus de imperio etiam condendo cogitare cœpit, & cogitata non minori felicitate, quam audacia perfecit; nam sæpius in aperto campo cum Judæis, & Corisianis congressus victoriam reportavit, hinc illi anno sexto Hegiræ, qui est annus 627. pacis fœdera inierunt. Eodem anno eum Muselmani solemni ritu sub quadam arbore Principem suum, & Dominum proclamarunt, & tanto suum imperium dilatabat successu, ut moriens & totius Arabiæ, & vicinarum quarumdam terrarum Dominum se cerneret.

§. 272. Anno Hegiræ octavo J. C. 629. cum Corisiani pactas inducias violassent, Machumedes cum exercitu decem millium Muselmanorum in fœdifragos movit, urbem Mecham nemine mœnia defendere auso intravit, atque ab omnibus ut propheta, & princeps salutatus est. Satis victori fuit paucos, & atrocissimos inimicorum suorum necare, at sedem, quam Medinæ fixerat, nunquam mutavit, & non nisi religiosæ peregrinationis causa anno Hegiræ decimo Mecham se contulit, anno vero Hegiræ sequenti J. C. 631. primo e vivis cessit, annos natus 63. postquam regnasset annis fere novem [1]

1. Sepultus est Medinæ, unde quod ejus cadaver cistæ ferreæ inclusum Mechæ in templo magnetum vi in aëre sit pendulum fabula est ab ipsis Machumedanis explosa, atque a prudentibus Christianis rejecta; nam præterquam quod prorsus impossibile videatur duos adinvenire magnetes eundem gradum attractionis habentes, & ii, qui illuc commigrarunt pendulum istud Machumedis sepulchrum ut figmentum rejecerunt.

§. 273. Adeo religio Machumedis diffusa est, ut si observantibus quibusdam eruditis omnes globi terraquei provinciæ hucusque notæ in triginta æquales dividerentur partes, secta Christianorum *quinque*, Machumedanorum *sex*, & Gentilium *novemdecim* ex iis occuparet. Causæ, propter quas religio hæc tam late propagata est, non adeo remotæ sunt. Terror primum armorum, quæ magna cum fortuna tum Machumedes, tum ejus successores in variis regionibus circumtulerunt, innumeros impulit, ut legem

ejus reciperent. Ipsa etiam lex ejus hominum naturæ, præsertim populorum orientalium moribus, & opinionibus, & innatis vitiis mirifice convenit, non enim postulat difficilia, & humanis propensionibus inimica officia. Summa præterea ignorantia, in qua tum Arabes, tum Syri, tum Persæ, & ceteri orientis populi maxima ex parte versabantur, facilem homini audaci, & facundo aditum præbuit. Accedit, ipsos Nestorianos, quos Græci omni injuriarum genere opprimebant, opem Arabibus tulisse, ut facilius provincias quasdam occuparent, ex quo deinde evenit, ut religio quoque eorum ibidem dominatum acceperit [1].

1. Longe alio modo, saltem tribus primis seculis, religio christiana est propagata, & sicut modus propagationis indubitatum pro *divinitate* religionis christianæ nobis suppeditat argumentum, ita vice versa ipse modus propagationis superstitionem machumedanam humanum esse commentum demonstrat.

§. 274. Revelationes divinas centum, & quatuor admittebat Machumedes, decem ex iis datas fuisse Adamo, quinquaginta Setho, triginta Enocho, decem Abrahamo, ex quatuor residuis vero unam Moysi *legem*, Davidi *psalmos*, Christo *evangelium*, & ipsi *Al koranum*. Ex his autem omnibus centum quatuor libris divinis non nisi quatuor ultimos superstites mansisse, deperditis centum prioribus, sed & ex his ipsis quatuor superstitibus corruptum fuisse pentateuchum, psalmos, & evangelium familiare Machumedanis est dicere. In sinceris, ac integris his quatuor revelationibus, ut illi somniant, multoties a Christo prædictum fuisse adventum Machumedis, volunt enim in istis textibus, in quibus de promissione spiritus sanctus mittendi loquitur Christus, loco *παρακλητα* quod est *consolator*, legendum esse *περικλυτε* latine *celebris*, arabice Machumed [1].

1. Verum quomodo omnia scripturæ sacræ exemplaria in tam diversas mundi regiones disportata, & in tot idiomata translata corrumpi potuissent, quin fraus a quibusdam animadverteretur? & cur corruptionem istam per sex secula usque ad Machumedem nemo detexit?

§. 275. Al-koran Machumedanorum in centum decem quatuor *suras*, seu capita, quælibet sura vero in *Ajat*, seu versiculos distribuitur. Totum systema *Korani* in duo generalia capita asseclæ ejus dividunt, quorum primum dicitur *Imam* complectens dogmata, seu *credenda*, alterum vero *Din*, seu *jus*, complectens religionem practicam, seu *facienda*. Horum alia sunt *sancita*, *permissa* alia, alia *prohibita*.

§. 276. Inter credenda hoc est præcipuum: unicum esse Deum

quem articulum tum idololatriæ Arabum, qui angelos Deo tanquam Deos intermedios associabant, tum mysterio Trinitatis opposuit [1]. Angelis corpora subtilia ex igne formata adtribuit, variaque eos officia subire docens multas Judæorum fabulas suæ doctrinæ inseruit [2]. Doctrinam de divina prædestinatione invariabili de bono & malo (quæ communiter *fatum machumedanum* dici solet) ex rationibus politicis bellorum suorum causa impostor adinvenit [3], ut militibus audaciam instillaret.

1. Deus juxta opinionem Machumedis nequit generare, ac proin nec filium habere, quia caret uxore, inde adparet, eum sibi de Trinitate ideam valde materialem, & deceptricem efformasse.

2. Quatuor Angelorum Principes ponebat. *Gabrielem* Angelum revelationum, & fontem Korani, *Michaelem* defensorem Judæorum, *Asraelem* Angelum mortis & decretorum divinorum executorem, & *Israfil*, cujus officium erit mortuos sonu tubæ excitare. Præterea ponebat etiam existere rejectum Angelum, quem *Eblis* adpellat, & qui idem est cum eo, quem Christiani diabolum nominare consueverunt, duos quoque cuivis homini, qui singula ejus opera adcurate consignat, esse datos Angelos custodes.

3. Docuit, res, eventusque fati lege destinatos subsequi semper, sive causæ ad producendos eventus necessariæ præcesserint, sive minus, qua ex doctrina sequebatur, terminum vitæ ita fatalem esse, ac immutabilem, ut nec anteverti possit, nec prolongari, qua ratione fortissimos suis militibus addidit animos præsentissimum vitæ periculum intrepide adeundi, vel enim illa die, qua pugnabant, terminus vitæ effluxit, vel non. Si primum, etiam extra prælium iis pereundum, & moriendum fuisset, si alterum, ex prælio salvi redire debebant. Et cum a Machumede petebatur, ut missionem suam miraculis ostenderet, respondebat, miracula esse supervacanea, eo quod numerus illi credentium ab æterno sit prædestinatus.

§. 277. De resurrectione corporum docet Koranus, omnes resurrecturos ad triplicem Angeli Israfil buccinæ flatum, quorum primum *tribulationis*, alterum *exanimationis*, & tertium *resurrectionis* adpellant, atque ad judicis tribunal staturos, ubi Machumedes intercessorem pro fidelibus aget. Omnes homines pontem trans infernum structum transituros, qui subtilior est capillo, & ense acutior, damnatos ex hoc ponte dejiciendos, electos vero maxima celeritate, & agilitate eumdum transituros. Paradisum describit tanquam locum amœnissimum, hortum voluptatis, instructum lectis aulæatis, & puellis formosissimis plenum.

§. 278. Religionem moralem, seu agenda quod concernit, primum ejus punctum est *oratio*, quam fulcrum religionis, atque clavim paradisi adpellat Machomedes, unde omnibus quinquies de die vultu ad Mecham converso præcipit orare præmissa corporis lotione, vel integra immersione, quam *Ghosl* vocant, vel sola

manuum, pedumque ablotione, quæ *Wodu* dicitur, ceremonia a judaica lege mutuata.

§. 279. Alterum religionis moralis punctum sunt elemosynæ, quas Koranus in *legales*, *&* *voluntarias* secernit, priores *Sacat* dicuntur, quæ in duobus, & medio pro cento consistunt, posteriores *Sadakat* vocavit, quia sunt testimonium hominis justi, hæ elemosynæ voluntariæ duplo sunt largiores necessariis, hinc apud Machumedanos magna sublevandi pauperes cura.

§. 280. Etiam jejunium Machumedanorum aliud est *legale*, aliud *voluntarium*. Legale est per integrum mensem *Ramadan*, quo Koranum cœlitus datum fingebat. Ad hoc jejunio nonnisi itinerantes, & infirmi excusantur. Jejunium voluntarium aliis ipsorum festis diebus præcipue die decima mensis *Mocharram* observant. Ergo tria religionis practicæ præcipua sunt puncta, oratio, elemosyna, & jejunium [1].

1. *Oratio quidem usque ad mediam nos ad Deum ducit viam, jejunium ad palatium usque comitatur, eleemosyna vero ipsam ad intrandum aperit portam*, scribit Chalif Omar Ebn Anp' alaziz. Præterea peregrinationem Mecham ad *Caaba*, seu ad templum sanctum ab omnibus semel in vita peragendam esse præcipitur supposito, quod ad id non desit potentia peregrinationem istam ex rationibus politicis præcepisse videtur, nam ea jam ante Machumedem erat consueta, ex qua urbi Mechæ ob frequentiam peregrinantium multum lucri accessit, quo si Coreisitas, & Mechæ incolas privasset, eos sibi non tam facile addictos redidisset.

§. 281. Ad sancita refertur primo, *circumcisio*, quæ licet in Korano nullibi legatur præcepta, tamen ab omnibus observatur [1]. Ad permissa refertur *polygynæcia simultanea*; siquidem pro veteri gentis consuetudine libertatem concessit plures uxores accipiendi, easque rursus repudiandi [2], morem tamen impium quorumdam Arabum lata lege sustulit, qui nonnisi prolem masculam, interemptis puellis, enutriebant. Ad prohibita pertinent usuræ, esus porci, & animalium suffocatorum, potus vini, & ludi illiberales, seu sortilegi.

1. Est hæc ceremonia ex lege judaica recepta, verum non octavo post nativitatem die ritu mosaico, sed a decimotertio usque ad decimumsextum ætatis annum plerumque anno decimotertio peragitur.

2. Censent aliqui, tot eis licitum esse uxores ducere, quot alere valent, verum legitimas uxores nonnisi quatuor licitas esse aperte in Korano dicitur. Machumedes quidem quindecim alebat, qui se ipsum in hoc puncto exlegem putabat.

§. 282. Quod arma contra Christianos, aliosque a sua reli-

gione alienos (quos incredulos vocat) vertenda statuerit, & ad religionem armis propagandam Sura 8. v. 3. hortetur, *ut tamdiu pugnent, donec aboleatur falsa religio, & sit religio tota Dei*, erat lex ejus politica principatum suum dilatare ambientis; nam Sura 9. v. 30. docet, a bello cessandum esse, si hostes sunt parati ad tributum solvendum, quamvis ipsius religionem amplecti nolent. Et multum sane prætextus religionem propagandi. Machumedanos in ampliando eorum imperio juvit, cum omnes in prælio occumbentes venerarentur ceu martyres [1].

1. *Ant. Genuensis* in sua metaphysica doctrinam Korani universam ad quinquaginta puncta, seu propositiones reduxit, quas in eorum gratiam, quibus opera hujus philosophi ad manus non sunt, adscribendas putavi: 1. Revelationem esse necessariam, 2. Deum proin mysteria sua prophetis, ac imprimis Moysi, & Christo manifestasse, 3. Legem Moysi, psalterium Davidi, Jesu vero evangelium a Deo datum fuisse. 4. Hinc & illos, qui Moysi & Jesu crediderint tunc temporis, salvari potuisse. 5. Moysis autem legem, Davidis psalterium, Jesu evangelium hominibus fuisse nimis difficile, & importabile onus. 6. Judæos porro, aut Christianos scripturas corrupisse, 7. Machumedem igitur missum, qui scripturas restitueret, novamque legem ferret. 8. Ipsum Deum propterea Machumedi revelasse, quid docere debeat, 9. consignatas esse revelationes istas divinas in Korano, 10. secundum has divinas revelationes unum tantum esse Deum, 11. non dari proin Trinitatem in divinis, 12. nec Jesum Mariæ filium verum esse Deum, sed Dei Apostolum, 13. Deum porro esse corporeum, & finitum (quod tamen Machumedanis jure tribui præter Relandum plurimi negant), 14. creatum autem esse mundum a Deo sine filio, & spiritu sancto, 15. & quidem diabolum factum esse ex igne pestilente, 16. in formatione hominis Deum ex luto collegisse pulverem varii coloris, inde autem quosdam homines albos, quosdam nigros, quosdam colore medio formasse, 17. animam hominis esse portionem divinæ substantiæ, 18. angelos non esse spiritus, sed corpora, 19. hinc & generare posse, 20. & lapsui esse obnoxios, 21. attamen pœnitentiam agere, & salutem eos denuo adipisci posse, 22. fatali necessitate omnia a Deo regi, 23. vitæ proinde terminum adeo fatalem esse constitutum, ut nec anteverti possit, nec prolongari. 24. hominem porro necessario vel bene, vel male agere, 25. adeoque necessario vel damnari vel salvari, 26. hominem constitutum esse a Deo callifam, seu vicarium Dei in terris, 27. hominem obligatum esse ad legem mosaicam, 28. hine & circumcidendos esse masculos, 29. offerenda etiam sacrificia, 30. necnon servanda tempora sacra, 31. eaque tam privata, quam publica, 32. uti sunt quotidianæ preces, 33. & sacra hebdomadaria, præcipue in die veneris, 34. & anniversaria, quorum præcipuum est jejunium *Ramadan*, 35. observandos porro esse ritus privatos, & primum lotiones, 36. & discrimen ciborum, 37. a vino abstinendum, 38. & ab usuris, 39. juramenta esse servanda, 40. magistratum summo honore afficiendum, 41. adeoque quæ Imperator, & lex jubet, esse facienda, 42. quod si transgressus sit homo legem, pœnitentia expiari potest, 43. hominem, qui ita vitam instituit, salvari, 44. antequam vero homo ad vitam alteram perveniat, interfici ab angelo mortis, 45. purgari quoque hominem, priusquam cœlum ingrediatur, a peccatorum reliquiis, 46. juvandas esse animas precibus, & ... , 47. futuram quoque resurrectionem mortuorum, 48. & extremum judicium, 49. & quidem incredulos, & impios ad infernum detrusum iri, 50. fideles, & pios contra paradisum ingressuros.

§. 283. Cohibuerunt tamen prosperos machumedanismi successus internæ dissensiones. *Abubeker*, & *Aly*, hic gener, ille socer Machumedis de jure imperii difficile bellum suscipiebant.

Ex quo gravissimum dissidium inter duas partes natum est. Altera *Sonnitarum*, altera *Schiitarum* familia vocatur. Illa Abubekerum, hæc Aly verum Califam, seu successorem Machumedis fuisse pugnat. Utraque Koranum pro divina religionis norma habet, verum illa *Sonnam*, seu legem oralem interpretationis loco illi adjungit, quam hæc respuit. Illam Persæ, & Mogoles, hanc Turci, Arabes, Tartari, Afri, Indorum plerique probant. Præter duas has factiones quatuor majores, & plurimæ minores familiæ, mutuo tamen sese ferentes, inter Machumedanos numerantur.

EPOCHÆ SECUNDÆ

SECTIO SECUNDA

DE

FACTIS ECCLESIÆ INTERNIS.

CAPUT PRIMUM

DE

STATU LITTERARUM, AC ERUDITIONIS.

§. 284.

Tribus primis seculis, uti dictum est, cultiores gentes partim philosophiæ orientali, seu *gnosticæ*, partim græcæ addictæ erant, qui vero seculo quarto philosophabantur, prope *Platonici* erant. Hinc adparet ratio, cur semina doctrinæ platonicæ tum in Christianorum, tum in aliorum libris inveniantur [1]. Accedit, quod Imperator Julianus ipse sectæ platonicæ addictus fuerit [2].

1. *El estado de ataque y de defensa en que se hallaban recíprocamente los sectarios de la idolatría respecto de los Cristianos, y estos respecto de los sectarios del politeismo, requería que se dirigiesen las disputas á las sutilezas metafísicas y á las abstracciones. Unos y otros se servian de los principios de Pitagoras y de Platon: los Gentiles para justificar el sistema de su religion con egemplos y reflexiones morales; y los Cristianos por combatir al paganismo, manifestando la conexion de las ideas filosoficas de Pitagoras y de Platon con los misterios, en los cuales estan los fundamentos de la religion Cristiana en su parte especulativa. La filosofia fue preciso que por ambos objetos se hiciese enteramente teológica, y las sectas dogmaticas se debieron transformar en otros tantos cuerpos religiosos. (Ducreux).*

2. Hinc Imperatoris exemplum plurimi sunt secuti. Quamvis vero Juliano mortuo ingens in Platonicos tempestas sub *Valentiniano* oriebatur, ex quibus aliqui magicarum artium postulati capitis pœnam dederant, ipseque *Maximus* Juliani magister in his turbis perierit, attamen ad reliquam Platonicorum cohortem, quae ab aula remota vixerat, parum detrimenti, & periculi pervenit.

§. 285. Seculo quinto tametsi illiteratis aditus ad publica munera patebat, plerisque tamen persuasum, erat, bonas artes, & scientias rebus humanis utilitatem adferre, hinc scholæ publicæ in urbibus majoribus Constantinopoli, Romæ, Carthagine, Massiliæ, Lugduni, aliisque florebant, ipsi etiam episcopi eruditionem, qua valebant, jam hac ætate juventuti tradebant. Neque etiam in occidentalibus regionibus, præsertim in Gallia deerant homines litterati; at populi barbari, qui terras romanas aut vastabant, aut occupabant, scientiarum reliquias fere suffocabant. Omnes nempe gentes hæ in armis, & fortitudine bellica omnem gloriam positam esse putabant, eaque de causa litteras, & artes contemnebant [1]. Ubicunque igitur considebant, ibi sensim barbaries nascebatur, & litterarum studium solis clericis, & monachis relinquebatur, hi vero tot inter mala exempla, pericula, bella sensim etiam omnem veræ doctrinæ gustum amittebant, atque vanam eruditionis umbram in ejus locum substituebant.

1. *Las tinieblas y la ignorancia de los bárbaros iban aumentándose en el Occidente. Los pueblos incultos, que se habian apoderado de él solo sabian pelear, y no conocian mas que la ley del mas fuerte. Despreciaban las ciencias que á los pueblos civilizados les ha preservado de la* [illegible]*. Mirábanlas como un lujo pueril é inútil y como causa de corrupcion y de los mas horribles vicios, de que fueron dominados los modernos Romanos, y les causaron tanto daño. Siendo pues inútiles los talentos, la eloquencia, la filosofia, y el conocimiento de las leyes, adoptaron los vencidos el modo de pensar de los vencedores* ([illegible]). „Hi populi majorum „suorum more litteras, artesque contemnebant, venatui, & bello indulgentes. „Unde brevi etiam apud Romanos barbaris subjectos ignorantiæ vitium subrepsit. Nam mores gentis sibi dominantis subditi facile accipiunt, atque si „desint laudes, & præmia, Musæ languent." (*Fleury Diss.* 3. *in H. E.*)

§. 286. Qui seculo quinto philosophandum sibi esse ducebant (pauci vero id fecerant) plerumque Platonis placitis insistebant, partim quia religioni convenientiora, quam placita *Aristotelis* videbantur, partim quia Aristotelem non intelligebant satis, Platonis vero libri e contra potiores in latinum a *Victorino* translati fuissent. Sed ut Plato plerisque religiosior, & melior videbatur, sensim tamen Aristoteles etiam e tenebris suis eluctabatur, & in manus Christianorum veniebat. Imprimis enim ipsi Platonici quosdam ejus libros, præcipue dialecticos in scholis suis interpretabantur, suisque discipulis disputandi cupidioribus commendabant, quos ex Christianis æmulabantur, qui in studiis philosophicis juvenes imbuebant. Hic primus gradus fuit imperii illius, quod deinceps Aristoteles in scholis obtinuit, cui accessit brevi alter, isque firmior ex litibus Origenianis [1], Arianis, Nestorianis &c. [2].

1. Origenem platonicum fuisse constat, cum itaque Origenes publice damnatus fuisset, multi, ne asseclæ ejus viderentur, Aristoteli potius, quam Platoni operam dabant, quocum aut parum, aut nihil Origeni rei fuit.

2. In litibus Arianis, Nestorianis subtilissimis rerum divisionibus, & distinctionibus utrinque pugnabatur. Subtilitates has disciplina Aristotelis suppeditabat, non item Platonis, qui disputatores haud instruit.

§. 287. Seculo sexto barbarorum, & ferocium populorum in occidente incursionis bonas artes, & scientias ad interitum prorsus perduxissent, nisi qualecunque apud episcopos, & monachos illis perfugium patuisset; nam monachi fere omnes a suis superioribus jubebantur certum quotidie tempus lectioni veterum ecclesiæ doctorum impendere. Itaque necesse erat bibliothecas in monasteriis construi, codicesque *describendo* multiplicari. Is autem describendi labor (quia tunc typographia nondum erat inventa) imponi plerumque solebat infirmioribus, qui manu laborare non poterant. Huic instituto cuncti scriptores tum sacri, quam profani, quibus adhuc utimur, accepti ferendi sunt. In plerisque præterea monasteriis scholæ aperiebantur, in quibus aut Abbas, aut alius monachus adolescentes litteris imbuebat.

§. 288. Nec tamen existimes, omnes monachos litteris favisse; erant enim multi ex iis, qui odio litterarum flagrabant, eo quod scientias profanas pietati noxias existimaverint. Hinc multi quoque episcoporum consulto barbariem affectabant, quam cum simplicitate christiana confundebant, putantes, philosophiæ studio viros ecclesiasticos carere commode posse, imo & debere [1].

1. Id vitium etiam *Gregorio M.* Papæ tribui solet, quem multos veteres scriptores flammis absumi voluisse ferunt. *No puede negarse que los Cristianos, y en especial los padres de la iglesia han llevado muy lejos su rigor contra los Paganos, de suerte que tuvieron la literatura por cosa profana y de poco momento, y la filosofia por una* sapientiam profanam *vituperable; y S. Geronimo llama en general cosas seculares á los escritos de los Paganos, y dice haber tenido un sueño, en el cual le habia reprehendido Dios por leer á Ciceron; por el contrario otros, y entre ellos S. Gregorio Nacianceno, han sido de otro dictamen, el cual antes de esto dice:* Eruditio inter humana bona principem locum tenet. Non de hac nostra solum & nobiliore eruditione loquor, sed etiam de externa, quam vulgus Christianorum pravo quidem judicio ut insidiosam & periculosam, & a Deo procul avertentem aspernatur. (*Juan Andres Fabrica historia de la literatura*).

§. 289. Princeps philosophorum seculi sexti, & fere unicus inter latinos erat Boëtius vir illustris Theodorici Ostrogothorum in Italia Regis consiliarius, qui disciplinam quidem platonicam amplexus est, at quod juniores Platonici solebant, Aristotelis tamen simul præcepta probabat, & scribendo illustrabat. Haud igitur immerito is esse videtur, qui aristotelicam philosophiam inter Latinos commendatiorem, quam adhuc fuerat, reddidit.

§. 290. Hæc de doctrina occidentalium, seu Latinorum. Inter Græcos majori passim studio artes ingenuæ colebantur. Ineunte se-

culo sexto apud Græcos suus adhuc philosophiæ platonicæ recentiori honos stabat. Florebat schola Alexandrina, & Atheniensis, sed cum Justinianus Imp. philosophiam Athenis docere lege singulari vetaret (quod sine dubio de philosophia platonica intelligi debet) eximiumque in eos, qui Diis nuntium mitere nolebant, odium ostenderet, ad Persas Romanorum hostes hi philosophi proficiscebantur. Redibant quidem pace inter Romanos, & Persas inita, sed veterem nunquam gloriam recuperare poterant, sensimque scholas regere desierunt. Hic exitus fuit clarissimæ hujus sectæ, quæ rebus Christianis per multa secula molestissima fuit. Emersit e contrario sensim e tenebris suis philosophia aristotelica, quam Joannes *Philoponus* potissimum commentariis suis explanabat, & necesse erat Græcos ad hanc sese philosophiam adplicare, quum Nestoriani, & Monophysitæ armis peripateticis Catholicos impetebant.

§. 291. Quidquid seculo septimo eruditionis in orbe præsertim latino supererat, monachorum septis conclusum erat, monachi enim lectioni operam dare aliquot horas jussi sunt, quo ex studio ut majores caperent fructus, in plerisque locis statis temporibus de illis, quæ legerant, inter se colloqui, ac disserere debebant. Præter hæc juventus Deo dicata a monachis erudiebatur, verum omnia ejusmodi instituta parum utilitatis litteris, & religioni adferebant, quia disciplinarum fines, ac naturam paucissimi intelligebant, atque plerique legendis sanctorum vitis potius, quam libris scientificis evolvendis studebant [1]. Ceteri, qui meliores erant, in Augustino, & Gregorio M. assidui erant, ex quorum scriptis potiora Latinorum hujus seculi opera contexta sunt.

1. *In Galliis abjici cœperant litterarum studia exeunte seculo sexto, nempe centum ferme annis, ex quo Franci advenerant. Hujus rei exemplum habemus manifestum in Gregorio Turonensi de se ipso fatente, quod gramaticæ, humanisque litteris parum studuerit. Sed etiamsi non fateretur, id ipsum tamen satis pateret, verum etiam alia, quæ majoris momenti sunt, quam styli amœnitas, in ejus scriptis desiderantur. —— —— —— Hæc vero in illius ævi scriptoribus potius educationis, & disciplinæ, quam naturæ vitio fuisse censeo, ne dicere cogamur, per complura secula vix unum alterumve natum fuisse hominem, cui ingenium bonum, & simul sanum judicium natura dedisset. Sed optima quæque ingenia opinionibus, vulgaribus, quibus in pueritia imbuta fuere, facile inhærent, nisi via, & ratione uti discant, & præstantes magistros imitentur. Ergo scientiæ non equidem in totum cum Romano imperio interierunt, eas enim religio naufragio eripuit, sed his soli viri ecclesiastici, atque rudi, & imperfecta methodo vacarunt.* (Fleury Diss. 3 in H. E.)

§. 292. Reges, Principesque viri omnia citius, quam litteras curabant. Rarissimi erant, qui sermones, quos ad populum recitarent, ipsi componere valebant. Qui facultate quadam ingenii præditi erant, illi ex Augustino, & Gregorio M. aliquas oratiunculas componebant, quarum partem sibi sumebant, partim ad col-

legas suos mittebant, ut haberent, quod pronunciare possent. Extat *Tajonis* Cæsar-Augustani summa sanctioris sapientiæ ex Augustino, & Gregorio congesta, qui liber aridus tamen tanti videbatur, ut authorem ejus *verum sal terræ*, lumenque divinum dicerent. Anglia tamen ceteris Europæ provinciis hac parte felicior erat opera *Theodori* Cantauriensis episcopi.

CAPUT SECUNDUM

DE

VIRIS ILLUSTRIBUS, ET SCRIPTORIBUS IN ECCLESIA.

§. 293. Occurrit seculo quarto *Lucius Firmianus Lactantius*, qui sub Diocletiano Imperatore Nicomediæ docuit rhetoricam, ac discipulorum penuria, quod græca nimirum civitas esset, ad scribendum se contulit. In extrema senectute Crispi Imperatoris Constantini filii præceptor fuit. A pluribus *Cicero christianus* merito nominatus est. Inter ejus opera potissima sunt *Divinarum Institutionum* libri septem, de *ira Dei*, & *de opificio mundi* [1], in quibus judice S. Hieronymo, felicius aliena destruxit, quam nostra adstruxit, id est, ethnicam superstitionem, quia in mythologia fuit peritissimus, felicius impugnavit, quam catholica dogmata argumentis munivit [2].

1. Præter hæc opera ei quoque liber de *mortibus persecutorum* adscribi solet.

2. Gravissimum ejus errorem notat S. Hier. Ep. 65. ad Pamachium: „In libris „suis, & maxime in epistolis ad Demetrianum spiritus sanctus omnino negat „*substantiam*, & errore judaico dicit, eum vel ad patrem referri, vel ad fi„lium, & sanctificationem utriusque personæ sub ejus nomine demonstrari."

§ 294. De *Eusebii Cæsareensis* historia ecclesiastica jam in prolegomenis dictum est. Scripsit praeterea libros quatuor de vita, & laudibus *Constantini M.* omnium librorum suorum postremos. *Chronicon* quoque edidit, quod a nativitate Abrahami usque ad annum tertium Olympiadis 367. æræ christianæ 329. perduxit [1].

1. *Sunt hoc Chronicum (ait Fleury) tabellæ historiæ per singulos annos continuatæ, estque præcipuum, quod habemus, studii chronologici fundamentum.* Edidit accuratissime hoc opus Arnoldus *Pontacus* anno 1605., & subinde Jos. *Scaliger*.

§. 259. Magnum, & percelebre scripsit præterea Eusebius opus de *præparatione*, *& demonstratione evangelica*. Est istud opus corpus controversiæ integrum contra Paganos, & Judæos, quibus ostendit, Christianos non fide cæca, & temeraria credulitate, sed post examen serium solidis argumentis fuisse persuasos, ut superstitionem gentilitatis reliquerint [1]. Qua in re immensam Eusebii lectionem, & in perlustrandis veterum philosophorum, historicorum, Christianorum etiam Patrum libris diligentiam incredibilem nemo non miratur: quorum opera, imo & operum nomina maximam partem ignoraremus, nisi insignia ipsorum fragmenta suis in libris ad posteros transmisisset.

1. Præparatio evangelica in quindecim libros dividitur, quorum unus desideratur. Tribus primis Deorum multitudinem coarguit, & non eas tantum fabulas, quas poetæ, & theologi Gentiles comicorum more de suis numinibus docuerunt, sed etiam rationes ipsorum reconditas, & philosophicas diligenter excussit. Tribus libris sequentibus Ethnicorum opinionem de fato, & de ipsorum oraculis confutavit, non domesticis solum rationibus, sed ipsis etiam Græcorum philosophorum testimoniis usus est. Ad Hebræorum dein litteras, & monumenta progressus eorum theologiam dogmaticam, & universam gentis historiam tribus aliis libris complexus est. Post hæc Græcos ab Hebræis hausisse, quæcumque in suis libris vel de unius Dei cultu, vel de moribus recte informandis tradunt, & universam Hebræorum historiam Græcorum philosophia ætate antiquiorem esse ostendit. Sequentibus tandem libris præstantiores philosophos Græcos doctrinam cum Hebræorum theologia summe consentientem tradidisse ostendit, quotquot vero Græci philosophi diversam ab evangelio doctrinam secuti sunt, eos a suis quoque dissidere, ac discipulorum quoque suorum disputationibus refelli demonstrat, Aristotelem vero tam longe a Moysis, quam a Platonis doctrina aberrare ostendit libro decimoquinto.

§. 296. *S. Atanasius*, dum synodo Nicœnæ interfuit, diaconus erat ecclesiæ Alexandrinæ, dein ejusdem ecclesiæ episcopus. Si molestias, & calamitates, quas continuo ob Arianorum insidias, ac persecutiones perpeti cogebatur [1] perpendimus, merito mirandum est, ei tantum temporis ad scribendum superfuisse, siquidem si diversitatem materiarum, quas pertractabat, si eruditionem, si soliditatem, si elegantiam scriptionis consideramus, videri posset, eum nunquam domo egressum fuisse, sed totum vitæ tempus scriptis suis limandis, & emendandis consumpsisse, cum tamen non semel Arianorum machinationibus coactus est solum vertere. Obiit vir celeberrimus fractus ærumnis anno 371. aut sequenti. Sunt opera ejus quædam *spuria* [2], quædam *genuina*, quædam *dubiæ fidei*. Genuina in tres dividi possunt classes in *theologica*, *historica*, & in *epistolas* ad diversos exaratas. Inter opera theologica principem tenent locum tractatus de incarnatione, de spiritu sancto, libri duo contra Apollinarem, scripta contra Arianos, & oratio contra gentes. *La oracion contra los Gentiles, es una obra maestra de su pluma, en donde manifiesta tantos conocimientos en las ciencias y de los escritores Gentiles, que cues-*

ta trabajo creer como un jóven de 22 años (pués esta era su edad entonces) podía haberlos adquirido. (Ducreux.)

1. Quædam insidiarum, quas Ariani illi struxerant in historia arianismi capite sequenti commemorabuntur.

2. Symbolum, quod incipit: *Quicunque vult salvus esse* &c. in brevario romano ad Primam certis diebus recitari solet merito scriptis Athanasio supposititis adnumerari, sequentia evincunt: 1. in antiquis, & probatis manuscriptis codicibus pene omnibus operum Athanasii hoc symbolum desideratur, 2. Athanasius ipse non tantum in nullo suorum operum ejusdem mentionem facit, sed etiam in epistola ad Antioch. testatur, se a cujusdam symboli compositione alienum, & contentum esse fide Nicæna, & revereri Patrum Sardicensium constitutionem, qui prohibuerunt, ne nulla fidei professio ederetur, 3. nullus author Athanasio coævus, aut suppar ejus meminit, ne quidem Gregorius Nazianzenus in oratione sua de laudibus Athanasii, 4. deest in eodem symbolo vox ὁμοούσιος, *consubstantialis*, quam sane non omisisset Athanasius, qui & hujus tesseræ catholicæ summus erat defensor, & formulas eam non continentes improbabat, 5. refutat hoc symbolum hæreses Nestorii, Eutychis, & Monothelitarum, quæ Athanasio juniores sunt: Nec dici potest, Athanasium suo symbolo his prævertisse hæresibus, quod si enim ita se haberet, ad id sane Cyrillus, & Synodus Ephesina, aut Chalcedonensis provocassent, 6. dissentiunt historiæ scriptores circa tempus, & speciatim circa locum confecti symboli dum nimirum alii id ab Athanasio *Treviris*, ubi ob insidias Arianorum in puteo inde hodiedum celebrato latitasset, alii Romæ confectum esse contendunt, quod quidem solum facti veritatem non elevaret, nisi præterea 7. constaret, a quodam *Vigilio Tapsensi* seculo quinto grassante hæresi Nestoriana, & Euthychiana varia opera nomine SS. Patrum, & maxime Athanasii evulgata esse. Nec obstat, a conciliis, & Pontificibus tum multa ex hoc symbolo prolata, tum id ipsum Athanasio tributum fuisse, errore enim facti decepti sunt.

§. 297. S. *Cyrillus* ex catechesium magistro post obitum *Maximi* Hierosolymitanus episcopus factus anno 350. Obiit anno 386. quinto scilicet post concilium generale secundum anno, in quo & ipse præsens Macedonium damnavit. Scripsit qua adolescens decem octo *catecheses*, quæ extemporaneæ dicuntur ad *Illuminatos*, & quinque mystagogicas ad *recens baptizatos*, quarum posteriores a *Riveto* vellicatæ, & Cyrillo abjudicatæ quidem, at a Natali Alexandro eidem vindicatæ sunt.

§. 298. S. *Hilarius* id erat in Gallia, & occidente, quod Athanasius in oriente; nam & ipse Arianorum machinationibus anno 356. ex concilio Biterrensi in Phrygiam pulsus est. Ortus erat Pictavii in Galliis nobilibus parentibus, & profectu maximo profanis litteris præsertim eloquentiæ incubuit. Uxorem habuit, filiamque nomine Apram, quæ ambæ ipsius exemplo (nam Paganus antea fuit) Christo nomen dederant. Quibus argumentis ad conversionem sit persuasus ipse narrat in L. 1. de Trinit. Electus est posthac in episcopum Pictaviensem. Scripsit duodecim libros de Trinitate, quibus duodecim

libros *Quintiliani* & numero imitatus est, & stylo, ut ait S. Hier. item librum *de Synodis* ad Galliarum episcopos, *commentaria* in psalmos plurimos, ac in Mathæum, & *epistolam* ad filiam suam Apram [1].

1. Hieronymus Hilarium adpellat latinæ eloquentiæ *Rhodanum*, id est, ob eloquentiam eum comparat Rhodano rapidissimo Galliarum flumini, de ejus stylo autem idem Hier. in Ep. 13. ad Paulinum sequens fert judicium: „Hilarius „gallicano cothurno attollitur, & cum græciæ floribus adornetur longis interdum „periodis involvitur, & a lectione simpliciorum fratrum procul est.“ *Es oscuro y dificil de entender, porque era el primero que escribia en lengua latina sobre las materias teológicas y estaba precisado á conformarse con el testo griego, y valerse de muchas espresiones que no encontraba en su lengua.* (*Ducreux.*)

§. 299. Nonnullos in Hilarii libris nævos adnotarunt critici tum Catholici, tum Protestantes, sed quorum nullum impedit, quin juxta Hieronymi opinionem inoffenso pede percurri possit. A quibusdam incusatur, quod negaverit, Christum assumpsisse corpus passibile, & doloribus obnoxium [1]. In tribus autem *ad Constantium* libris eidem vehemens, quo usus est, stylus vitio verti solet.

1. In libro enim decimo de Trinit. ita inter alia scribit: „Homo itaque Jesus Christus— „—— in quo quamvis ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi con- „currerent, aut suspensio elevaret, afferret quidem hæc impetum passionis, non „tamen dolorem passionis inferrent.“ Adfert dein exempla, quæ omni prorsus doloris sensu sunt destituta dicens: „ut telum aliquod aut aquam perforans, „aut ignem compungens, aut aëra vulnerans omnes quidem has passiones na- „turæ suæ infert, ut perforet, ut pungat, ut vulneret, sed naturam suam in „hæc passio illata non retinet, dum in natura non est vel aquam perforari, vel „pungi ignem, vel aëra vulnerari.“

§. 300. S. *Optatus* Milevitanus dictus, quia Milevi in Numidia episcopus erat, de schismate Donatistarum contra *Parmenianum* sex edidit libros [1], in quibus stylum Tertulliani sui coterranei imitatus est. In libro primo historiam schismatis Donatistarum refert, in secundo unicam esse ecclesiam catholicam ex episcoporum Romanorum successione ostendit [2], in quarto pecatum originale adfirmat, in quinto baptismi valorem a ministri dignitate non pendere, in sexto sacrilegia Donatistis exprobat, quæ in Catholicorum ecclesiis regnante Juliano commiserant.

1. Sex libros ejus enumerat Hieronymus, hinc de illo, qui hodie pro septimo habetur, an Milevitani fœtus sit, dubitatur. Baronius tamen id, quod sex tantum ab Hieronymo recenseantur, aut lapsui memoriæ, aut librariorum vitio tribuit.

2. Libros hos sub initia pontificatus Damasi scriptos ex Hier. & Aug. colligit Baronius ad annum 368. sed Albertinus cum aliis ex verbis illis Optati: *Successit Liberio Damasus, Damaso Syricius, qui hodie noster est socius*, concludit,

scriptos sub Syricio, qui factus est Romanus episcopus anno 385. Labbe tamen cum aliis sentit, verba illa, *Damaso Syricius* a librario intrusa.

§. 301. S. *Ephrem* Edessenæ ecclesiæ diaconus, vir admirabilis, & præstantissimus scriptor, *orbis magister* adpellatus, scripsit plurima, quæ Hieronymo teste publice in ecclesiis post scripturarum lectionem recitari solebant [1].

1. En Hieronymi de eo judicium in cathalogo scriptorum ecclesiasticorum „Ephrem Edessenæ ecclesiæ diaconus multa syro sermone composuit. & ad tantam venit claritudinem, ut post lectionem scripturarum publice in quibusdam „ecclesiis ejus scripta recitarentur. Legi ejus de spiritu sancto græcum volumen, „quod quidam de lingua syriaca verterat, & acumen sublimis ingenii etiam in „translatione cognovi.„

§. 302. S. *Basilius* cognomentum *Magnus* adeptus in Capadocia natus post mortem Eusebii Cæsareæ episcopus creatus Arianis fortiter restitit. Obiit anno 378. passim a Patribus Christianorum philosophus, & philosophorum Christianissimus compellatur Modus, quo de divinitate spiritus sancti loquebatur, quibusdam sui temporis offensioni fuit; nam contentus erat, si Macedoniani, qui ad ecclesiam redire cupiebant, fidem Nicænam confiterentur, & declarent, se non credere, spiritum sanctum esse creaturam, non autem urgebat, ut expresse dicerent, esse Deum. Ipse etiam in scriptis suis, & sermonibus publicis a voce *Deus* abstinebat, quamvis vocibus æquivalentibus uteretur, atque ejus divinitatem argumentis invictis probaret [1].

1. Hac calliditate ideo utendum sibi arbitrabatur, ne cum esset episcopus hæreticis ansam præberet ipsum deponendi, e contra Gregorius Nazianzenus, individuus Basilii comes, & amicus, spiritum sanctum aperte Deum confitebatur, quia nulli præerat ecclesiæ, atque ideo hæreticorum invidiam timendam non habuit. Ita inter ambos convenerant.

§. 303. Inter scripta, quibus inclaruit præcipue notatu digna sunt *homiliæ* in Hexameron, & quosdam psalmos [1], liber de *spiritu sancto* [2], & tres epistolæ canonicæ [3].

1. *Los nueve discursos sobre los seis dias de la creacion, llamados Hexameron, son entre todo lo que salió de su pluma lo que San Gregorio Nazianzeno, buen juez en esta materia, mas apreciaba, y alababa con mas entusiasmo (Ducreux.)*

2. Duplex illi fuit occasio, & causa librum de spiritu sancto scribendi. *Doxologiam* enim cum populo orans mox dicebat: *Gloria patri & filio, & spiritui sancto*, mox vero rursus: *Gloria patri per filium in spiritu sancto*. Quæ varietas quosdam ex adstantibus offendit, dicebantque, quod novas voces adhiberet, & sibi ipsis contrarias. Præterea *Aetius* divinarum personarum inæqualitatem ex hoc Pauli textu probare intenderat: *Est Deus pater, ex quo sunt omnia, & Dominus Jesus Christus, per quem sunt omnia, & spiritus sanctus in quo sunt omnia* (ad Rom. cap. 9. v. 36). In libro itaque de spiritu sancto Aëtium erroris damnat, quod particulas *ex quo, per quem, in quo* juxta philosophorum distinctiones explicet, eo

quod scriptura has distinctiones nesciat, nulloque modo philosophorum distinctiones ad Trinitatem adplicari debeant, tum ea omnia a Trinitate removet, quæ inæqualitatis ideam excitare possent. Dein originem formæ doxologiæ, seu glorificationis, quam aliqui novitatis incusabant, ex traditione ostendit.

3. Tres epistolæ Basilii ad S. Amphilochium scriptæ quæ epistolæ *canonicæ* dicuntur, celeberrima, testante Fleury, antiquitatis sunt monumenta. Canones numerando continuantur, ac si una esset epistola. Epistola prima sexdecim continet canones, secunda, triginta quatuor & tertia triginta quinque. Sunt autem hi canones, responsa ad quæstiones quas ei Amphilochius in diversis disciplinæ punctis proposuit, maxime de pœnitentia, pro nata in variis casibus particularibus occasione. Epistolæ primæ canon primus reprobat hæreticorum baptisma, & ab ipsis baptizatos rebaptizandos decernit. Hoc quidam ita explicant, quod Basilius non loquatur de *quibusvis* hæreticis, sed de illis tantum, qui circa fidem Trinitatis, ac proin circa formam baptismi errarunt. Verum rectius dicitur, Basilium quorumvis hæreticorum baptisma invalidum pronunciasse; nam & Pepuzenorum, qui Montanistarum species erant, & Apollinaristarum baptismum invalidum dixit, etsi Apollinaristæ non circa Trinitatis, sed circa Incarnationis mysterium erraverint. Hinc Basilius tunc adhuc fuit in errore Firmiliani, quem a Nicæna synodo per consequentiam damnatum nondum intelligebat. Ceterum maxima canonum pars in his ad Amphilochium epistolis agit de homicidis, aut de iis, qui in leges matrimonii peccarunt. Pro homicidio voluntario pœnitentia injungitur viginti, pro non voluntario decem annorum. Homicidium in bello commissum, quamvis voluntarium, non vertitur crimini, quia fuit defensio legitima, at forte salutare erit, inquit Basilius (minus tamen apte mea opinione) talibus suadere, ut tribus annis a communione abstineant, eo quod in bello occidentes manus videantur habere pollutas, (idem enim etiam de carnifice dici posset). In iisdem epistolis Basilius dimissam a marito uxorem quidem adulterii damnat, si ad alium virum accesserit, non vero damnat virum ab uxore derelictum, aut dimissum, si duxerit aliam. Græci hodiedum hunc morem servant, atque marito, qui uxorem ob adulterium dimisit, alteram ea vivente ducere indulgent, etsi contrariam disciplinam Latini semper servarint.

§. 304. *S. Gregorius Nyssenus* episcopus, quem aliqui perperam Emesenum vocant, frater Basilii, ex professore rhetorices ad curam pastoralem vocatus est. Interfuit anno 381. concilio primo Constantinopolitam. Obiit anno 395. aut sequenti. Pro fide catholica multa fecit tulitque; nam in exilium missus est sub Valente, hoc mortuo ab Antiochena synodo primum ad orientales, iterum a Constantinopolitana ad Arabiæ ecclesias instaurandas est ablegatus. Scripsit etiam epistolam canonicam in sua senectute, in qua rigidiores pœnitentiæ regulas statuit, quam frater ejus Basilius. Inter ejus opera primatum tenent *orationes duodecim* contra Eunomium, ex quibus validissima argumenta contra Eutychianos Theodoretus in dialogis protulit. In ejusdem Theodoreti dialogis laudatur Gregorii Nysseni *oratio magna catechetica* [1].

1. In hac oratione quidam critici nonnullas phrases eutychianas arguunt, uti dum vocat unionem naturarum in Christo *mixtionem*, dicitque, naturam humanam fuisse *immutatam* in divinam dignitatem, imo & *deificatam*, verum mixtionis nomine Patres ante exortam Eutychis hæresim in sensu catholico usi sunt.

§. 305. S. *Gregorius* Naziancenus humanioribus litteris ope-

ram dedit cum S. Basilio. Sasimorum episcopus a Basilio creatus est. Constantinopolim venit anno 379. mortuo Valente Arianorum fautore. Inde ob excitatos in concilio secundo, a Timotheo, & aliis tumultus Nazianzum secessit, ibique ad annum 389. vixit. Ejus opera ex parte recenset Hieronymus in cathalogo scriptorum cap. 116. Vitam ipse suam jambico carmine composuit [1].

1. Ob discursus theologicos ab eo editos cognomentum *theologi* adeptus est. Theologi nomen inter Christianos primus obtinuit Joannes Evangelista, & notant nonnulli, ipsum solum extitisse post Joannem Apostolum, cui theologi nomen datum fuerit.

§. 306. S. *Ambrosius*, cum profanis litteris, causisque agitandis dedisset operam, & Æmiliæ, ac Liguriæ gereret præfecturam, inopinato electus est anno 374. episcopus Mediolanensis. Omnem Italiam ad fidem rectam convertit, inquit Hieronymus. Ad tyrannum Maximum in Gallias bis legatus est, nempe anno 383. & 387. S. Augustinum quoque evangelio peperit, & baptizavit. Ob cædem Thessalonicensem *Theodosium* Imperatorem publicæ addixit pœnitentiæ [1]. Obiit anno 397.

1. Bothericus Illyricorum militum præfectus, & Thessalonicæ degens aurigam in publicis circi ludibus decurrere solitum in carcerem detrusit, eo quod aliquos e suis domesticis juvenes abuti ad libidinem voluerit. Dein solemnitate quadam adveniente cursus in circo cum pompa parabantur, populusque, nisi ille auriga adesset, hos rite celebrari non posse putabat, & cum ipso præcipuum spectaculi decus defuturum. Igitur insolenter petebant, ut in libertatem emitteretur. Cum id obtinere non possent, seditio mota, & in eum furorem plebs est acta, ut aliquos cæsaris ministros lapidibus obrutos per plateas raptaverit, in quo tumultu & ipse Bothericus occisus. Hoc nuntio accepto Imp. Theodosius, suapte indole iram non satis tenens, furiose indignabatur. At S. *Ambrosius*, aliique episcopi animum irascentis mitigarunt ita, ut promitteret, se populo Thessalonicensi veniam concessurum. Postea vero rursus aulici ad vindictam animum concitarunt, periculosissimi exempli rem fore agentes, si cædes ministrorum publicorum maneret impunita. Juxta has persuasiones, dum quadam die populus Thessalonicensis in circo esset congregatus, milites jussi sunt omnes, sicut in manus caderent, cædere, donec sibi designatum numerum implevisent sine ullo innocentium, & nocentium discrimine. Horis tribus continuis horrenda strages edita, atque ad septem millia hominum trucidata. Cædis fama Mediolanum adlata episcopos ibi collectos & præcipue S. Ambrosium summo dolore affecit. Dedit ad Imperatorem epistolam adhortatoriam, ut pœnitentiæ se submitteret. Paruit Imperator: Cum enim Mediolanum reversus fuisset, Ambrosius eum ecclesiam ingredi volentem prohibuit, & dicenti Imperatori, Davidem quoque adulterium, & homicidium admisisse, respondit: *Secutus es peccantem, sequere pœnitentem.* Submisit se episcopo Imperator, & octo mensibus ab ecclesiæ ingressu abstinuit. Præterea ei Ambrosius imposuit, ut pœnitentiam publicam ageret, nam etsi ad ingressum ecclesiæ abstinuisset, nondum tamen canonicam pœnitentiam susceperat, qua suscepta illi Ambrosius ingressum in ecclesiam indulsit.

§. 307. Quamvis ex civili præfecto inopinato creatus fuerat episcopus, in sacra tamen eruditione adeo profecit, ut libros de Patriarchis veteris testamenti, novi mysteriis, & sacramentis, de

ministrorum officiis in evangelium Lucæ, ac plures varii argumenti epistolas, ac orationes eleganter non minus, quam erudite exornaverit. In scriptis suis plurima e Græcorum Patrum, & præsertim ex Basilio sua fecit. Canticum illud percelebre: *Te Deum laudamus &c.*, quod in breviario recitari & in ecclesia cani quandoque solet, quondam Ambrosio, & Augustino authoribus tribuebatur; communis enim erat opinio, hymnum istum post baptizatum ab Ambrosio Augustinum ab utroque alternis vicibus fuisse decantatum [1].

1. Hodie communis criticorum est opinio, hymnum eumdem, vulgo *Ambrosianum* dictum, quemdam monachum ordinis Benedicti *Sisebutum* nomine composuisse, ut constat ex antiquo breviario chori monasterii Cassinensis descripto paulo post annum 1086, in quo hocce canticum inscribitur: *Hymnus Sisebuti monachi.* Huic eidem etiam tribuitur in altero manuscripto codice bibliothecæ Vaticanæ, testante Cardinale Bona. Tandem ante regulas S. Benedicti & Cæsarii hujus cantici mentionem nullam invenimus.

§. 308. S. *Epiphanius* Constantiæ Salaminis in Cypro insula episcopus [1], ob quinque linguarum peritiam adpellatus πενταγλωττος græcam enim, hebraicam, syram, ægyptiacam, & latinam linguam noverat. Socrates, & Sozomenus eum *Antropomorphitarum* dogmati inhæsisse referunt, verum aut fallunt, aut falluntur hi historici Origini plus æquo dediti [2].

1. *El bien general de la iglesia y la utilidad particular de sus miembros era el único objeto de su celo. Este celo le hizo alguna vez excederse, y le indujo, a pesar de su ilustracion, á algunos tratos contrarios á la buena disciplina de la iglesia* (*Ducreux.*)

1. Damnavit quidem Epiphanius libros Originis, sed non propter doctrinam, qua asserebat Deum incorporeum, verum propter alios errores, ut refert Hieronymus, qui eum ab Antropomorphitarum labe vindicat, testando Epiphanium in publica concione fidem suam circa hoc dogma declarasse. Vulgo solebant Origenistæ Catholicis errorem Antropomorphitarum imponere.

§. 309. Celeberrimum Epiphanii opus est ejus πανάριον *Panarium* (id est, *arca medica*, seu *capsula*) adversus hæreses. In tres libros panarium omne dividitur, in quorum priori *viginti* sunt hæreses ante Christum ortæ, in secundo earum, quæ post Christum ortæ sunt, *tredecim* collegit; & totidem in postremo. In hoc opere non solum hæreseon indicem conscripsit, sed quibus etiam armis expugnari possint, ostendit adversus eorum errores disputans [1], quod notum Augustino non fuit [2].

1. In exponendis hæresum systematibus non satis est adcuratus, neque ejus judicium de variis sectis latum probari omnimode potest, inde factum, ut in regulas historiæ, & criticæ peccaverit, manco quoque, & obscuro tum in hoc, tum in aliis suis operibus, utitur scribendi genere, quibus tamen nævis nihil obstantibus ejus panarium historiæ hæresum multum adfundit lucis.

2. Nam in libro de hæresibus ad Quodvultdeum in ipsius libri præfatione ita scripsit: *Noster vero Epiphanius Cyprius episcopus ab hinc non longe humanis rebus exemptus de octoginta hæresibus loquens, sex libros etiam conscripsit, historica narratione commemorans omnia, nulla disputatione adversus falsitatem pro veritate decertans. Breves sane sunt hi libelli &c.* Igitur *anacephaleosin* tantum, sive breviarium ex singulis tomis excerptum legerat Augustinus, panarium vero integrum non vidit.

§. 310. S. *Joannes* ob aureum eloquentiæ flumen adpellatus *Chrysostomus* ortus Antiochiæ ad Orontem fluvium circa annum 345. rhetoricam sub *Libanio* sophista celeberrimo, & philosophiam sub Adragantio didicit. A *Flaviano* presbyter ordinatus anno 386. inde ejus mandato Antiochiæ conciones habuit elegantia sermonis incredibili. Ibi *homilias* in Genesim, in psalmos, in Mathæum, in Joannem, in epistolas Pauli, plurimasque alias composuit, & dixit. Tres scripsit libros de *sacerdotio*, tres etiam apologeticos pro vita monastica.

§. 311. Mortuo *Nectario* episcopo Constantinopolitano eunuchus Eutropius, a cujus nutu Imperator *Arcadius* pendebat, ex itineribus in negotiis imperii susceptis Joannis Chrysostomi merita cum percepisset pridem, eum Imperatori pro episcopo Constantinopolitano proposuit, & unanimi cleri, populique consensu electus est. Nondum anno integro Constantinopolitanam rexit ecclesiam, cum ei jam zelus ipsius multos inimicos tam inter proceres, quam clericos suscitavit. In reformationem cleri regiæ urbis incubuit diligenter, & illum imprimis coercuit, abusum, quo clerici devotis mulieribus, seu sororibus adoptivis cohabitabant. Alii eas sorores συνεισάκτους, seu *subintroductas*, alii *agapeticas*, seu charitativas vocabant [1]. Populum Constantinopolitanum in suis concionibus assidue erudiebat; ter enim in septimana ad populum dicebat, factumque, ut nonnunquam septem continuis diebus diceret [2].

1. Seculo tertio, & quarto clericis matrimonium non quidem expresse fuit prohibitum, ii tamen perfectiores censebantur, qui sponte cælibes permanserant. Alii qui cælibes clerici ex iis mulieribus, quæ continentiam voverant, in contubernium sibi assumebant, quacum ipsis nihil inhonestæ consuetudinis esse adseverabant: sed cum res ista tum periculi, tum scandali plena esset, multi episcopi huic mori resistebant, quod & Chrysostomus fecit. Duos de hac re ejus habemus sermones, in uno viros arguit, qui subintroductas apud se retinebant, & in altero virgines increpat, quæ cum viris habitabant. His ejus sermonibus illi clericorum se offensos crediderunt, qui hos abusus amabant. (De synitactis seu agapetis sororibus eleganter scripsit *Lud. Ant. Muratorius.*)

2. Auditorum multitudo tanta confluebat, ut pro convenientium commoditate, atque ut facilius perorans perciperetur, relicta cathedra, ubi antecessores verbum Dei prædicare solebant, in medio ecclesiæ suggestum lectoribus destinatum conscenderit. Nonnullos auditores curiositas adducebat, plures autem numero tam Gentiles, quam hæretici convertebantur.

§. 312. *Theophili* Alexandrini Patriarchæ, & aliorum episcoporum malis artibus, nec non illorum clericorum, qui jugum disciplinæ impatienter ferebant, conspiratione in synodo ad *Quercum*, qui locus Chalcedonis suburbium erat, depositus fuit, & in exilium missus, mox tamen rursus metu popularis seditionis revocatus. At vix ei post reditum per menses duos quieto esse licuit, cum Constantinopoli *Eudoxiæ* Imperatricis honoribus statua erecta est, circa quam divinorum officiorum tempore choreæ ducebantur, & spectacula celebrabantur. Chrysostomus ea, qua solebat libertate, in hos abusus invectus, non eos modo, qui ista fecerant, sed & qui fieri imperarent, increpabat. Offendit hoc Imperatricem, at ipse de orationis severitate nihil omisit [1], inde nova in eum exorta est tempestas, & in exilium *Cucusum* deportatus est. Et cum inde in remotiorem, asperioremque locum expul traheretur, *Comanæ* in regione Pontica anno 407. obiit. Discordiam, & motus ecclesiarum orientalis, & occidentalis mors ejus non composuit, sed quamdiu orientales nomen Chrysostomi *diptychis* [2] non restituerunt, occidentales dimoveri non poterant, a proposito non communicandi cum orientalibus, præsertim cum Theophilio Alexandrino

1. Dicitur in illo fervore pronunciasse celebrem orationem, cujus initium erat: *Furit hodie que Herodias, & postulat sibi caput Joannis.* Habemus quidem sermonem, qui in hæc verba incipit; at Chrysostomi opus esse non creditur.

2. Dypticha (Διπτυχα) tabulæ erant in tres partes divisæ, ut junctæ implicari possent, in quibus sanctorum Præsulum nomina, descripta inter missarum solemnia, ad illorum laudem, & aliorum exemplum palam recitabantur. Eburneæ interdum tabulæ ipsæ erant, unde Lib. 10. Poëm. de S. Martino ait Venantius Fortunatus: *Nomina vestra legat Patriarchis, atque Prophetis, cuj hodie in templo diptychus ebur edit.* Tria fuere diptychorum ecclesiasticorum genera, nempe episcoporum viventium, fidelium, & mortuorum in communione ecclesiæ. Pertractant de his Card. *Bona* L. 2. cap. 12. aliique agentes de ritibus ecclesiasticis. At fuerunt quoque diptycha consulum, Quæstorum, aliorumque majori aliquo magistratu fungentium, de quibus *codex Theodosianus.* Tabulæ item, quibus Proci suos describebant, amores (dictæ a Juvenali satyr. 9. *blandæ, assiduæ, densæque*) diptychæ a veteribus vocabantur, quoniam duobus constabant operimentis.

§. 313. S. *Hieronymum* alii ad quartum, alii ad quintum ponunt seculum, eo quod seculo quarto anno 329. in Dalmatia Stridone natus, & seculo quinto anno ætatis suæ nonagesimo primo mortuus fuerit. Romam a parente suo *Eusebio* nomine missus, ubi in gramatica celeberrimum *Donatum* magistrum habuit, at inter vastissimæ urbis corruptos mores a vitiis ætatis juvenilis immunis non fuit. At postea vitam emendavit, & Roma discedens post varias peragratas provincias in desertum quoddam in confiniis Syriæ, & Arabiæ situm se contulit. Ibi memoria delicia-

rum romanarum graves illi carnis tentationes causavit, a quibus cum jejuniis, aliisque corporum macerationibus non liberaretur, improbum studii genus suscepit, ut rerum obscænarum imaginationem opprimeret, nempe linguam hebraicam addiscere quodam judæo converso magistro adgressus est. Viro perlectis Ciceronis, aliorumque scriptorum classicorum libris humile videbatur, & indecorum ad alphabetum se rursus demittere, atque discendis aspirationibus insudare, sæpe laboris pertæsus dimisit, sæpe resumpsit opus; tandem non mediocrem hujus linguæ peritiam adeptus est. A Paulino episcopo Antiocheno in presbyterum ordinatus est, ea tamen conditione, ne vitam solitariam relinquere cogeretur [2].

1. Refragantur enim fere omnes Baronio, qui septuaginta et octo duntaxat vitæ annos Hieronymo tribuit, cum ex hoc sequeretur, eumdem Augustino nonnisi annis duodecim majorem fuisse, ut adeo se immerito toties seniorem Augustino jactaset.

2. Siquidem juxta disciplinam tunc temporis usitatam qua presbyter ministerio cujusdam ecclesiæ addici, & vitam monasticam, aut solitariam deserere debuisset, nemo enim tunc ordinabatur, nisi fuisset ecclesia, quæ presbyteri ministerio indiguit, hinc monachismus cum clericatu tunc temporis conjunctus non fuit.

§ 314. Donabat Hieronymus chronicon Eusebii Cæsareensis latinitate (nam & in lingua græca versatus erat). Dum Romam ex eremo rursus venisset, Damaso Papæ in scribendis epistolis, & in ecclesiasticis negotiis operam commodavit. Illo tempore scripsisse dicitur contra *Helvidium*, qui in libro quodam conabatur ostendere ex sacra scriptura, Mariam Christo nato ex Josepho alios liberos suscepisse. Texuit quoque cathalogum scriptorum ecclesiasticorum [1], asserens, se omnium primum esse, qui hunc laborem suscepit, quamvis fateatur percommodam sibi fuisse Eusebii historiam.

1. Initium in hoc opere ducit a S. Petro, & in se ipso finit suorum operum cathalogum usque ad hunc annum texens, id est, ad annum Theodosii septuagesimo quartum & Christi 392.

§. 315. Contra *Jovinianum* duobus scripsit libris, in quorum primo maxime cælibatus excellentiam demonstrare nititur, & ingenii sui, quod vehementissimum erat, impetu abreptus, ita virginitatem supra matrimonium, & viduitatem supra secundas nuptias extollit, ut matrimonium potius malum necessarium, & toleratum magis, quam expresse permissum videri possit. Cum nonnullos matrimonii contemptus offendisset, vidit se coactum hujus operis apologiam scribere, & expressiones quasdam mitigare [1].

1. Illud quoque in hac apologia repetit, de quo in opere contra Jovinianum mentionem jam fecerat, episcoporum, presbyterorum, & diaconorum commercium cum mulieribus cum altaris servitio esse incompatibile. Num hoc doctrinæ Christi, & ecclesiæ græcæ praxi sit consentaneum, cuilibet judicium esto. Illud universim observandum, Hieronymum in congressu cum suis adversariis sæpius limites excessisse, & pro innata asperitate sua sic in eos fertur, ut nihil in ipsis ferendum, & multo minus laudandum putet, quod sane cum mansuetudine christiana vix conciliari potest.

§. 316. Contra *Ruffinum* Aquilejensem presbyterum vehementi quoque scripsit stylo, quia libros quosdam Origenis vertit, nec obscure indicavit, placere sibi sententias in illis propositas. Acriter etiam insurgebat contra *Vigilantium*, qui honorem martyrum reliquiis exhibitum rejecit, illosque, qui eos colerent, cinerarios, & idololatras vocavit, vitam monasticam damnavit, consuetudinem, quod aliqui eleemosynam Hierosolymam mitterent, reprobavit, & clericorum continentiam rejecit.

§. 317. S. *Augustinus* natus erat *Tagaste* in Africa anno 354. parentibus Christianis *Patricio*, & *Monica*. Primum gramaticæ, & rethoricæ operam dedit usque ad annum decimum sextum, postea Carthaginem missus semper magis, & magis mulierum lenociniis capiebatur, simul tamen insigni successu studiis incumbebat, quæ se ad munia publica, & magistrum deducerent; nam ad ea tunc temporis eloquentia viam adperiebat. Inter Ciceronis opera Hortensium legit, hodie non amplius extantem. Animum juvenis tetigit illa lectio, cœpitque annos natus novemdecim vanas hujus mundi spes contemnere, atque sapientiam desiderare.

§. 318. Id unum in philosophis displicebat, quod in eorum libris non invenerit nomen Christi, nomen sibi cum lacte materno instillatum; nam in sua infantia inter catechumenos per signum crucis, & salem fuit susceptus. Igitur sacras scripturas legere cœpit, sed styli simplicitatem fastidiens abstinuit. Tunc in Manichæorum errores incidit, qui cum semper Jesum Christum, Spiritum sanctum, & veritatem creparent, virum sincerum seduxere, placere cœperunt eorum somnia, & veteris testamenti tædium subiit. Annis novem, nimirum ab anno ætatis decimo nono, usque ad vigesimum octavum dum Carthagine studiis vacasset, domi concubinam alebat, cui non aliter, ac justæ uxori fidem servabat. Absolutis studiis Tagaste in urbe, in qua natus erat, gramaticam primo, dein rethoricam docuit.

§. 319. Tandem eum fabularum, quæ Manichæi de mundi opificio, & corporum cœlestium natura narrabant, fastidium subiit, magis illi arridebant rationes, quas mathematici, & philosophi cir-

ca eclipses, solstitia, & astrorum cursum reddebant [1]. Anno ætatis vigesimo nono amici ei suaserant, ut Romam se conferret, ibidem rethoricam docturus. Romæ febri correptus in extremum vitæ periculum deductus, baptizari tamen non petiit. In domo Manichæi hospitabatur, non enim tam cito veteri hominum amicitiæ valedicere poterat, etsi veritatem inter eos inveniri posse desperabat, nec ei in mentem venit, eamdem in ecclesia catholica quærere, tanto erat contra Catholicos præjudicio. Igitur ad eam devolutus est cogitationem, forte inter philosophos Academicos, qui de omnibus dubitabant, veram residere sapientiam. Inter hæc advenere, qui jussu civitatis Mediolanensis a Symacho præfecto Romano rethoricæ professorem peterent; Augustinus hanc cathedram obtinuit, postquam pronunciata oratione dedisset eloquentiæ suæ specimen. Itaque annos natus triginta Mediolanum venit.

1. Inter Manichæos episcopus *Faustus* nomine a sectariis suis jactabatur vir incomparabilis, in omni scientiarum genere versatissimus. Ubi colloqui datum, Augustinus expertus est, virum suavis alloquii, & facundiæ singularis, qui autem ea tantum proferret, quæ alii Manichæi, & nihilo melioribus nixa fundamentis, eo solum discrimine, quod facilius, & ornatius eloqueretur; at aliud erat, quod quærebat Augustinus, & ingenium ejus solidum inani specie pasci non potuit. Omnis Fausti scientia eo absolvebatur, quod aliquas Ciceronis orationes legisset, paucas Senecæ, & libros Manichæorum, quotquot extabant, latine scriptos. dum autem Augustinus se illius opera ad causas motuum planetarum, & aliorum corporum cœlestium penetraturum sperabat. Faustus ingenue edixit, se his quæstionibus intelligendis non studuisse. Videns itaque, quam parum spei suæ satisfaceret Manichæorum famosissimus, hanc sectam anno ætatis vigesimo nono adversari cœpit.

§. 320. Erat tunc Mediolani episcopus S. Ambrosius, cujus concionibus Augustinus assidue intererat styli amænitate captus & experturus, an famæ par esset eloquentia? non eam quidem dictionis suavitatem deprehendebat, quam in Fausto fuerat miratus, sed doctior erat sermo, & omnino solidior. Initio quidem ad solum ornatum intentus ad ipsas res, quas Ambrosius proferebat, non adtendit, sensim tamen, & quasi invitus agnovit, doctrinam catholicam saltem esse probabilem. Ideo Manichæis ex integro renunciare statuit, & cathecumenus in ecclesia catholica permanere usque dum clarius veritas esset perspecta.

§. 321. Circa annum ætatis suæ trigesimum primum discussis imaginibus corporeis, quibus ejus animum manichæismus infecit, ideas nobiliores concepit, quibus Deum, naturam spirituum, & mali originem intelligeret, at mysterium Incarnationis nondum capiebat, Jesum quemdam præcellentem fuisse existimans, scripturæ autem, præsertim S. Paulus placebat. Quadam die Augustino cum Alipio amico suo domi sedente nobilis Afer, cui nomen *Pontianus*, spectabili officio in aula fungens ad eos venit, librumque, qui ante eos erat, conspexit, aperit, & cernit esse Pauli epistolas, miratus hunc

solum librum præ manibus esse iis, quos totos scientiis humanis occupari putabant. Tum ad Augustinum conversus, & subridens admirationem, & gaudium non dissimulabat (erat enim Christianus). Augustino dicente, se modo hujusmodi lectionibus serio mentem adplicare, sermonem ad S. Antonium eremitam deflexerunt, cujus vitam Pontianus narravit. Nova hæc erant Augustino, & Alipio, dein Pontianus conversionem duorum aulicorum narravit, qui cum Imperatore Treviris ambulantes inventa apud monachos S. Antonii vita ejus lectione eo permoti sunt, ut sicut ibi stabant, vitam monasticam fuerint amplexi.

§. 322. His colloquiis Augustinus animo commotus, Pontiano discedente mutato vultu surgens[1] ex Alipii domo ad hortum se conferens, & cœlesti voce audita[2] deposito rethoricam docendi munere ad agros secessit, comitante eum matre, *Navigo* fratre, filio *Adeodato* (ex concubina suscepto) Alipio, aliisque amicis. In illo secessu primos scripsit libros[3] polite quidem, sed qui, ut ipse agnoscit, adhuc scholæ jactantiam redolent.

1. Turbatus, & insolito vocis sono ad Alipium ajebat, "Quid est hoc? quid „agimus? surgunt indocti, & cœlum rapiunt, dum nos cum nostris scientiis in„sani in carne, & sanguine volutamur. An pudet istos sequi, an non majus „probrum est, istos ne quidem audere nos sequi?"

2. In horto sub fico procumbens, clamabat: *Usquequo Domine? usquequo non auferetur ira tua? Quare cras, quare non modo?* Tunc ex vicina domo vox quasi infantis ad aures ejus adlapsa sæpius canendo repetere videbatur: *Tolle, lege.* Serio reflectere mentem cœpit: num infantes alicubi talia canere solerent, sed nunquam se hæc verba audivisse meminit, credens, a Deo sibi præcipi, ut librum legeret, quicunque se ei textus primo obviam daret. Ad locum, ubi Alipius remanserat, rediens Pauli librum ibi prius relictum tollit, & conjectis in obvium textum oculis submisse legit hæc verba: *Non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, sed induimini Dominum nostrum Jesum Christum.*

3. Primus est contra *Academicos*, qui omnia dubia, & nihil certum esse affirmabant, secundus est *de vita beata*, quam in perfecta Dei cognitione reponit; tertius est tractatus *de ordine*, in quo proponit quæstionem: an ordo providentiæ divinæ omnia, nempe bona & mala comprehendat? Librum quartum conficiunt *soliloquia*, in quibus suo intellectui tanquam personæ distinctæ respondet, quod opus imperfectum reliquit.

§. 323. Ad S. Ambrosium dedit Augustinus litteras, quibus errores suos præteritos, & præsentem animæ statum aperiebat, rogans, ut sibi indicaret, quinam libri sacræ scripturæ legendi esset ad baptismum aspiranti utilissimi. Ambrosius suasit Isaiam, paruit Augustinus, sed cum primam hujus prophetæ lectionem non intellexisset, ulterius legere distulit, donec majorem in capiendo scripturæ stylo experientiam sibi comparasset. Ubi tempus quadragesimæ advenit, quo nomen suum cum aliis candidatis traderet ad baptismum præparandis, ex agris Mediolanum rediit[4].

1. Tunc tractatum scripsit de animæ immortalitate, qui erat quasi soliloquiorum compendium. Circa idem tempus scribere cœpit de artibus liberalibus, nempe geometria, dialectica, rethorica, gramatica, & arithmetica. Sex libros composuit de musica, hunc solum post duos annos absolvit in Africa, reliqua omnia opera de his artibus permisit imperfecta (excepta gramatica, quam tamen amisit,) nullumque alium de artibus tractatum accepimus, quam opusculum de musica.

§. 324. Tandem Augustinus cum amico suo Alipio, & filio Adeodato a S. Ambrosio in vigilia paschæ anno 387. est baptizatus. Accepto baptismo cum matre, fratre, & filio in Africam redire statuit, at Monica mater ante ejus discessum Mediolani est mortua. Hinc Augustinus venit Romam, integro ibidem anno commoratus [1], dein in Africam cum quibusdam amicorum suorum rediit, ubi libros duos de *Genesi* contra Manichæos scripsit. Erat tunc *Valerius* Hipponensis episcopus, qui die quodam ad populum verba faciebat de necessitate aliquem presbyterum ecclesiæ suæ ordinandi. Cum populo doctrina, & virtus Augustini esset perspecta, manibus correptum suo episcopo ordinandum præsentarunt, atque ita presbyter factus anno 419 [2].

1. Illo tempore scripsit librum unum de *moribus ecclesiæ catholicæ*, alterum de *moribus Manichæorum*, nec non dialogum inter se, & Evodium, in quo aliquas quæstiones de anima tractat, & quia exacte discutitur, quid sit animæ magnitudo, ut demonstret non esse capacitatem corpoream, totus liber nominatur de *quantitate animæ*. Ibidem quoque scripsit libros contra Manichæos occasione quæstionis de origine mali; nam si in mali naturam inquiritur, unicam mali causam esse liberum arbitrium. In hoc opere præstans metaphysica occurrit, atque argumenta speciosissima contra Dei providentiam diluuntur.

2. Qua presbyter adversus Donatistas scribere cœpit, quorum multitudo eousque in Africa excreverat, ut ultra quadringenti episcopi numerarentur, non omisit iis objicere, quod *circumcelliones*, aliosque homines improbos apud se vivere paterentur.

§. 325. Valerius episcopus maximam Augustini esse famam perpendens, timere cœpit, ne sibi eriperetur, & alibi ordinaretur episcopus. Eam ob causam ad episcopum Carthaginensem scripsit obtestatus, ut Augustinum, cum se senio, & infirmitatibus fractum sentiret, pro ecclesia Hipponensi tanquam suum coadjutorem potius, quam successorem ordinaret. Augustinus quidem negavit, se contra ecclesiæ consuetudinem vivente suo episcopo ordinari posse, omnes vero rem usui esse conformem adfirmabant, hinc resistere non est ausus [1].

1. Post hæc autem ipse Augustinus agnovit, se contra canones fuisse ordinatum, & in concilio Nicæno fuisse prohibitum, ne alius episcopus ordinetur in ecclesia, quæ vivum haberet episcopum, tunc autem temporis nec Augustino, nec Valerio ita constitutio nota erat, quæ in fine canonis octavi Niceni transeunter, occasione reditus Novatianorum ad ecclesiam, refertur, & promulgatur (*Fleury.*)

§. 326. *Paganos aureo de civitate Dei opere confutavit, Donatistas, Manichæos, Pelagianos, ceterosque ævi sui hæreticos exagitavit libris numero, doctrina, ac pondere argumentorum magno pretio æstimandis. Conciones quoque, & epistolas conscripsit plurimas, & in sacris explanandis libris egregiam navavit operam.* (Laurent. Berti.)

§. 327. *S. Cyrillus* Alexandrinus Theophilo in ecclesia Alexandrina successit. Novæ potestatis experimentum cœpit, dum Novatianorum ecclesias clausit, & omnes thesauros abstulit. Judæos quoque Alexandria expulit ademptis eorum synagogis, eo quod conspiratione facta ingentem Christianorum numerum trucidassent. Cum Cyrillus synagogas ademerit, & Judæorum bona a plebe diripi permiserit, invisum se fecit urbis præfecto *Oresto*, tum quod ejus authoritatem usurpare videretur, tum quod urbem antiquis incolis viduaret [1].

1. Dissensione præfectum inter, & episcopum perseverante *Nitriæ* monachi circiter quingenti in urbem advolantes quasi in episcopi defensionem præfectum convitiis adgressi sunt: unus majoris audaciæ, *Ammonius* nomine, eum jactu lapidis in capite percussit. Habita de eo quæstio est, & tormentis subjectus ad necem usque. Ab Oreste, & Cyrillo contrariæ ad Imperatorem relatio es datæ, receptum interim a Cyrillo Ammonii corpus, & in ecclesia honorifice depositum, quin etiam seditiosum hunc monachum mutato nomine *Thaumasium*, id est, *admirabilem* adpellavit, & martyrem illum vocari jussit, sed sapientioribus inter Christianos episcopi factum displicebat. Nondum quievit populus, suspicio agebatur, illustrem fœminam nomine *Hypatiam*, quæ publice philosophiam docebat, causam esse, quod præfectus Orestes & episcopus in gratiam non redirent, ergo furiosorum hominum cohors duce quodam *Petro* lectore eam occidit. *Magnam Cyrillo, & ecclesiæ Alexandrinæ* (inquit Socrates hist.) *creavit invidiam, quod tanta crudelitate a spiritu christianæ religionis maximopere discedatur.*

§. 328. Præter quinque contra Nestorium libros, ac de Trinitate, de Incarnatione, de recta fide, & suimet apologias, & homilias, epistolasque permultas decem edidit libros contra Julianum, atque in Pentateuchum, in Prophetas, & in evangelium Joannis locupletissima commentaria. Obiit anno Chr. 444 [1].

1. Frustra Cyrillus carmelitici ordinis pallio ab instituti hujus professoribus pingitur, quam de Cyrilli in Carmelo monachatu fabulam exsufflat merito in annalibus suis Baronius ex silentio authorum Cyrillo coævorum, scilicet Hieronymi, Paladii, Evagrii, Cassiani, aliorumque, qui cum frequentem de monachis in Palæstina memoriam faciunt, Carmelitarum nunquam meminerunt.

§. 329. *Vincentius* natione Gallus, monachus *Lirinensis* nomine proprio suppresso, assumptoque nomine *Peregrini* scripsit duos commentarios adversus hæreses, qui sunt regulæ ab omni hæresi præcavendi. Fundamentum doctrinæ ponit, scripturam ad confutandos hæreticos non sufficere, eo quod eam quilibet pro se

interpretetur, sed inhærendum esse traditioni, & in ecclesia illud tenendum: *quod semper, quod ubique, & ab omnibus creditum.* Antequam ad monasterium Lirinense se recepit, aut militiæ, aut muneris civilis dignitatem gessit. Obiit anno 450.

§. 330. S. *Leo* episcopus Romanus, sanctitate, sapientia, & facundia, qua Attilam, & Gensericum lenivit, ac a proposito Romam vastandi deterruit, cognomentum *Magni* adeptus, plures scripsit epistolas, quibus catholicam veritatem asseruit. Sermones sunt 69 in præcipua anni festa, & epistolæ 141.

§. 331. Seculo sexto inter græcos scribendo claritatem consecuti sunt *Procopius Gazæus*, a Gaza Palæstinæ urbe, in qua fertur Cambyses condidisse thesauros, nomenclaturam sortitus, qui libros quosdam scripturæ non infeliciter interpretatus est. *Joannes Maxentius* Archimandrita monachorum Scytharum, qui sub Papa Hormisda *unum de Trinitate passum* prædicabant, suam de Christo catholicam professionem exposuit, pugnavit adversus Acephalos, & contra Nestorianos elucubravit anathematismos, duosque libros dialogorum. *Agapetus* nomen scriptoris est adeptus *scheda regia* ad Justinianum Imperatorem missa. *Eulogius* presbyter Antiochenus hæreses suorum temporum oppugnavit. *Joannes* Constantinopolitanus episcopus, cui ob austerum vitæ genus nomen jejunatoris impositum est, libellis aliquot, maxime *pœnitentiali* celebris. *Evagrius* scholasticus historiam ecclesiasticam scripsit. *Anastasius* Sinaita, monachus in monte Sinai *Hodegi* contra Acephalos author.

§. 332. E Latinis ceteris nobiliores sunt *Gregorius M.* Papa[1] *Cæsarius* Arelatensis de re morali quædam scripsit, & monialium regulam composuit. Fortiter contra Pelagianos, & Arianos multis libris in Africa pugnavit. *Fulgentius* Ruspensis[2]. *Ennodius* Ticinensis non postremus eloquentiæ tum solutæ, tum ligatæ hac ætate. *Dionysius* cognomine *Exiguus*[3] bene de sua, & sequenti ætate promeritus est suis laboribus chronologicis, & collectione veterum canonum. Demum Boetius vir illustris, philosophus, orator, poeta, theologus nulli suorum temporum elegantia, & subtilitate ingenii secundus.

1. Moshemius eum adpellat virum bonum, rectique in multis consilii, at simplicem valde, superstitiosum, & omnis eruditionis inimicum, quod *epistolæ* ejus, & *dialogus* testantur.

2. Sed dictione dura & aspera, qualis Afrorum esse solet.

3. Ita dictus aut ob animi demissionem, aut, ut alii volunt, ob pusillam corporis staturam.

§. 333. Scriptorum pauci seculo septimo nominari possunt, in quibus aliquid ingenii, & eruditionis esset. *Antiochus* monasterii S. Sabbæ alumnus superstes erat anno 629. comprehenditque homiliis 130. totius religionis christianæ doctrinam, inscripto huic operi *Pandectarum* [2] nomine, scripsit etiam exomologesim ad Deum, librumque de vitiosis cogitationibus. S. *Sophronius* ortus Damasci, monachus, electus anno 629. Patriarcha Jerosolymitanus, Cyrum Monothelitam palam redarguit, ejusque libellum satisfactionis præscriptum Severianis, refellere, & ab Honorio Papa cassari curavit, mortuus anno 659. post captam Jerosolymam ab Haumare duce Saracenorum. S. *Maximus* Constantinopolitanus natus anno 580. & in exilio defunctus anno 662. non solum Pyrrhum Monothelitam confutavit publicis disputationibus, verum etiam Monothelitis perpetuum bellum indixit; præter scripta alia ascetica, & theologica de duabus in Christo voluntatibus, de duabus operationibus, de actis cum Pyrrho, de hypostasi, & natura, aliosque tractatus hujus generis exarando. S. *Isidorus* episcopus Hispalensis, defunctus anno 636. libros scripsit etymologiarum de ecclesiasticis officiis, aliosque. De scriptoribus ecclesiasticis, de rebus liturgicis, & epigramata varia docte scripsit S. *Ildefonsus* ad episcopatum Toletanum evectus anno 657. *Anastasius* Sinaita, ab altero Anastasio item Sinaita, Patriarcha Antiocheno secernendus, litteris tradidit notitiam omnium hæresum ab initio religionis christianæ, & conciliorum, quibus damnatæ fuere, usque ad quartum œcumenicum celebratum anno 680. *Marculphi* monachi Galli libri duo formularum ecclesiasticarum hodie adhuc celebres perutiles sunt ad miserum statum rei litterariæ seculi septimi cognoscendum, quod non immerito a quibusdam seculum barbarum adpellatur.

2. Sunt πανδεκται nihil non continentia volumina a παν *omne*, & δεχομαι *capio*: unde pariter libri omne jus comprehendentes πανδεκται vocantur.

CAPUT TERTIUM

DE

SCHISMATIBUS ET HÆRESIBUS.

§. 334. Sectarum, quæ in præcedenti epocha caput extulerant, reliquiæ in orienti potissimum supererant seculo quarto. Manichæorum præ ceteris Gnosticis factio multos homines etiam insig-

nis ingenii, quod Augustini docet exemplum, capiebat. Malum hoc longe serpens gravissimi horum temporum doctores & ipse Augustinus errores hujus sectæ ejurans extirpare conabantur. Sed nec libris, nec severis legibus tolli hæc secta tunc penitus potuit. Anno 372. Valentinianus senior conventus Manichæorum vetabat, & gravem doctoribus pœnam dictabat. Theodosius M. infamia eos notabat, ne donatione, aut testamento quidquam accipere possent, statuit, eosque omnibus civium juribus privabat [1].

1. Ut vim harum legum effugerent Manichæi, varia sibi asciscebant nomina *Encratitarum*, *Apotactitarum*, *Hydroparastatarum*, *Saccophororum*, & alia. Erant hæc nomina hæreticorum antiquorum, qui non eo modo quo Manichæi omnibus erant invisi, horum itaque nomina obtendebant, ut odia vulgi, & vim legum effugerent. Encratitas, seu *continentes* se dicebant, quia matrimonium damnabant. Hydroparastatas, seu *aquarios*, quia usum vini damnabant, ob paupertatem, quam profitebantur, nomen Apotactitarum, seu *renunciantium*, & saccophororum, seu *saccos portantium* assumebant.

§. 335. Sed ab his Manichæorum reliquiis, quorum vires pœnæ, ac leges successive atterebant, reipublicæ magnum haud imminebat periculum. Alia, & formidolosior in Africa tempestas exoriebatur, quæ utramque civitatem a parvis licet initiis exorta per seculum, & ultra vehementer afflixit. Mortuo anno 311. *Mensurio* Carthaginis in Africa episcopo maxima populi, & sacerdotum pars *Cæcilianum* archidiaconum eligebat, isque statim non expectato *Numidarum* episcoporum adventu a solis Africæ episcopis consecrabatur. Numidæ, quibus præsentibus consecrari solebant episcopi Carthaginenses, moleste ferebant, exclussos se ab hac esse ceremonia, eaque re Carthaginem venientes Cæcilianum ad concilium suum vocabant. Augebant animorum commotionem partim presbyteri quidam Carthaginenses maxime *Botrus*, & *Celesius*, partim opulenta fœmina *Lucilla* inimica Cæciliani, a quo propter superstitionem reprehensa fuerat, quæ magnam argenti copiam inter Numidas istos distribuebat, quo novum episcopum fortiter oppugnarent. Igitur cum Cæcilianus judicio Numidarum sistere se nollet, hi numero septuaginta duce *Secundo* Tigestino consentiente sacerdotum, & populi parte non exigua indignum eum episcopum pronunciabant [1], & in ejus locum *Majorinum* diaconum antistitem crearunt. Ita ecclesia Carthaginensis duos inter episcopos divisa fuit.

1. Proferebant Numidæ episcopi sententiæ in Cæcilianum latæ duas rationes: 1. præcipuum episcoporum, a quibus ille consecratus est, *Felicem* Aptungitanum *traditorem* esse, 2. ipsum Cæcilianum, adhuc diaconum, durum se, & inhumanum sub Diocletiani persecutione præbuisse, & cibos in carceres martyribus adferri prohibuisse. His causis contumaciam Cæciliani addebant, quod vocatus in conventum illorum venire noluerit. Hos inter Numidas nullus vehementior, & fortior erat *Donato* a Casis nigris episcopo, a quo etiam Majorinus

ordinatus est. Ab altero tamen *Donato*, qui Majorino est suffectus adpellari postea hæc secta maluit, & eo velut suo principe gloriata est.

§. 336. Lite hac ad Constantinum M. per Donatistas delata Imperator anno 313. Papam *Melchiadem* eam dignoscere jubebat, cui tres ex Gallia episcopos addebat. Hoc in judicio Cæcilianus objectis a criminibus absolvebatur, at quæ consecratori ejus Felici Aptungitano objecta fuere, tanquam quæstio inutilis [1] intacta relinquebantur.

1. Quamvis enim *traditionis* reus fuisset, non tamen sequebatur, ordinationem Cæciliani esse nullam, cum regula certa staret, episcopum donec nullo judicio ecclesiastico damnatus, aut depositus, in suo gradu esse, & alios legitime ordinare.

§. 337. Hoc concilio Romano nihil obstante Donatistæ Constantino continuis molesti erant adcusationibus, quod Cæcilianus gradu episcopali indignus sit. Cum autem Constantinus respondisset, hanc causam Romæ a judicibus exceptione majoribus decisam fuisse, clamabant ipsi, non fuisse integram causam auditam, quia adcusationem Felicis Aptungitani Romanum concilium examini subjicere supersederat. His querelis ut finem faceret Imperator, causam Felicis anno 314. separatim *Æliano* Africæ proconsuli disceptandam comittebat [1], qui illum absolvit.

1. Quæstio, num Felix traditor fuerit, est quæstio *facti*, in quæstionibus facti vero etiam judex civilis est judex competens.

§. 338. At Donastistæ multa tum in Melchiadis, tum in Æliani judicio reprehendebant; imprimis vero paucitatem episcoporum cum Melchiade judicantium vituperabant. Quod enim septuaginta Numidæ episcopi judicassent, id sine dubio sententiæ viginti aliquot episcoporum (tot enim Romæ adfuerat) qui rerum in Africa gestarum non satis erant periti, late anteponendum judicabant. His querimoniis ut satis faceret Imperator, anno 314. convocavit numerosum concilium *Arelatense* ex variarum provinciarum Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Hispaniæ episcopis, quibus ad profectionem omnia necessaria, vecturam publicam, hospitium, & alimenta subministrari jussit. Hi episcopi, cum sicut Patres concilii Romani nullam adcusationis probationem de Cæciliano, ejusque consecratore Felice invenerint, Cæcilianus absolutus est, & adcusatores damnati.

§ 339. Quum in hoc etiam conventu causa cecidissent Donatistæ, ad ipsius Imperatoris provocarunt judicium, qui anno 316. Mediolani ipse præsentibus partibus litem hanc cognovit; at cum

ex hoc quoque judicio inferiores discesserint, ipsum Imperatorem contumaces homines adgrediebantur, & *Osium* Cordubensem episcopum amicum Imperatoris mentem ejus corrupisse, ut injuste judicaret, querebantur. Cujus rei indignitate motus Imperator templa eis in Africa eripi, & seditiosos episcopos in exilium mitti jubebat. Magni hinc in Africa motus, & tumultus, potentissima enim erat Donatistarum factio, numeroque valebat, quas quidem turbas frustra Imperator per legationem componere studebat [1].

1. Hos inter formidolosos motus nati sunt abs dubio illi, qui *Circumcelliones* vocantur, ita dicti a cellis, & tuguriis rusticorum, quæ diripere solebant. Gens furiosa ex agresti, ac rustica plebe conflata, quæ Donatistarum partes amplexa, vi & armis eam tuebatur, atque per Africam grassans cædibus, incendiis, rapinis provinciam replebat. *Este cisma devastó por mas de un siglo casi toda el Africa, y el furor ciego que monstraron sus sectarios causó mas males e hizo derramar mas sangre en aquella parte del mundo que el odio mutuo de Mario y de Sila. Seria el exemplo mas espantoso que se encuentra en la historia de los bárbaros y de las estravagancias mas torpes, con que los partidos pueden arrastrar á los hombres, si unas escenas tan lastimosas no se hubiesen visto en nuestras últimas guerras de Religion. Es muy saludable poner á la vista de los hombres estas pinturas sangrientas, y mostrarles cuan temibles son los efectos del espiritu de partido, y cuan necesario es ahogarlo en sus primeros pasos.* (*Ducreux.*)

§. 340. Mortuo Constantino M. filius ejus *Constans*, cui A frica obtigerat, anno 348. legatos duos viros primi ordinis *Macarium* & *Paulum* in Africam misit, qui dissidium hoc sanarent, & Donanistis pacem persuaderent; at princeps Donatistarum episcopus Donatus quem secta *Magnum* nominare solebat, fortiter concordiæ restitit, cujus exemplum reliqui imitabantur; Circumcelliones vero cædibus & armis pro salute factionis, quam amplexi erant, furiose pugnabant. Quos cum Macarius prælio apud *Bagniam* superasset, pacem jam non suadebat, sed imperabat. Pauci parebant, plurimi aut fugiebant, aut in exilium mittebantur, inter quos Donatus *Magnus* erat.

§. 341. Juliano gubernationi reipublicæ Romanæ anno 362. admoto Donatistæ in Africa occasionem sibi favere rati, libellum eidem obtulerunt, quo rogabant, ut episcopi sui sub Imp. Constante a Macario, & Paulo in exilium missi revocarentur. Facile quod petebant Julianus concessit, jussitque, ut in possesionem ecclesiarum suarum rursus restituantur. Veniunt ergo armata manu, possessionem invadunt, multisque in locis patratis cædibus ingentis sævitiæ specimina edunt. *Gratianus* quidem aliquas in eos leges tulit, & maxime anno 377. templa eis omnia eripi, conventusque eorum omnes, etiam privatis domibus, & agris disturbari jussit; verum Circumcelliones, qui Donatistarum erant milites, ferocia, & belli intestini metu vim legum harum sine dubio infringebant, constat enim occidente seculo quarto tantum fuisse Donatis-

tarum in Africam numerum, ut plures, quam quadringentos haberent episcopos. Sed labente ad exitum seculo duæ res haud leviter hanc factionem concutiebant, prima erat vehemens dissidium occassione *Maximini*[1] cujusdam inter illos ipsos natum, quo Catholici præclare ad oppugnandos Donatistas uti poterant, altera Augustini fervor, qui scriptis, consiliis, colloquiis[2], conventibus fortissime iis restitit, & ut ingenio erat acerrimo, non Africam modo, sed totum christianum orbem, ipsamque aulam in eos concitabat.

1. Præter corpus præcipuum Donatistarum, qui simpliciter Donatistæ dicebantur, alios invenire erat paucorum societates, quarum quælibet apud se tantum verum baptisma, & veram ecclesiam reperiri putabat. Inter hos obscuros Donatistarum schismaticos leguntur *Claudianistæ*, *Urbanistæ* in quodam Numidiæ angulo, *Rogatistæ* in Mauritania cæsaræa, præcipuum autem erat schisma *Maximiani*. *Parmeniano* Donati successore defuncto Donatistæ *Primianum* in episcopum Carthaginensem elegerunt; cum postea Maximianus diaconus a Primiano fuisset condemnatus, & excommunicatus, vicinos episcopos adiit factione contra eum concitata. Carthaginem itaque convenere episcopi quadraginta tres; at Primianus coram eis comparere renuit, nihilque tunc aliud factum, quam quod mandarent, ut liberum ei esset in concilio alio frequentiori, quod celebraturi erant, se purgare. Porro ut decreverant, *Carbosucii* in provincia Bizacena episcopi plus quam centum congregati, & Primiano tum quoque comparere renuente tanquam multorum criminum convictum condemnarunt. Primiano hoc modo damnato, & deposito in ejus locum Maximianum episcopum Carthaginensem elegerunt, illum ipsum, quem Primianus damnaverat, diaconum.

2. Colloquio *Carthaginensi* Imperatoris authoritate inter episcopos Donatistarum, & Catholicorum habito Augustinus quoque interfuit, qui provinciam respondendi objectionibus a Donatistis Catholicis factis in se suscepit, de quo coram uberius. Docet hoc exemplum, Imperantes jus exercuisse *instituendi colloquia* ad sedandas controversias circa religionem in territorio exortas.

§. 342. Cum schismate Donatistæ hos errores connectebant: baptisma extra ecclesiam collatum nullum esse, & quia ecclesiam in toto terrarum orbe defecisse, & intra suam coarctari jactabant, ideo a Catholicis ad illos venientes rebaptizabant, cujus erroris & alter fuit comes, quod sacramentum confirmationis rebaptizatis iterata vice contulerint. Error hic porro effecit, ut ritus ab ipsis dissentientium virtutis omnis expertes judicarent.

§. 343. Schisma alterum fuit *Meletianum* incunte seculo quarto a *Meletio* Lycopolitano, seu Muniensi episcopo nuncupatum, qui cum in persecutione Maximini immolasset idolis, e sede dejectus a Petro Alexandrino aram contra aram erexit, discissis Ægyptiorum ecclesiis. Tertium *Luciferianum* dictum a *Lucifero* calaritano, qui cum Antiochiæ, cujus urbis episcopatum gerebat Meletius, consecrasset Paulinum, anno 362. occasionem præbuit, ut alii Meletio, alii Paulino adhærerent[1]. His addendum schisma *Felicis*, & *Ursicini*, quorum prior misso a Constantio *Li-*

berio Papa in exilium, ejus in absentia ab episcopis Arianis clandestinis artibus in episcopum Romanum ordinari se curabat, alter vero a Maximino urbis præfecto adjutus se *Damaso* Papæ opposuit, & a Prætextato Maximino in præfectura subrogato Roma pulsus est. (Ruffin. 2. H. E.)

1. Ad ordinationem tamen Paulini impulerunt Luciferum Catholicorum dissidia, neque Lucifer, quem inter sanctos colunt Sardi, alicujus hæreseos aperte convincitur, quamquam Luciferiani quidam traderent, rationalem animam gigni ex traduce, & in codice Theodosiano *Euresius* e secta Luciferianorum vocetur hæreticus. (*Laurent. Berti.*)

§. 344. Præter Donatistarum lites eodem seculo quarto perniciosior etiam, & capitalior ex Ægypto tempestas orbem christianum adfligebat. Causa litis erat dogma de tribus in Deo personis, quod tribus prioribus seculis contra Sabellianos quidem in tantum definitum est, vere Patrem a filio, & ab utroque spiritum sanctum differre; at formulæ præscriptæ nondum erant, quibus de hoc mysterio loquendum esset. Itaque diverso modo doctores sine offensione hanc rem explicabant, & varie de distinctione personarum in Trinitate disserebat [1].

1. *Inter Christianos doctores, qui ante Nicænam floruerunt synodum, multi de Trinitatis mysterio parum caute locuti sunt. Insincera certe fuit Tatiani, & Tatiano vetustioris Justini de Trinitate doctrina. In eandem venit criminationem Pseudo-Clemens, venit & Theophilus Antiochenus. Indigna vero, & intoleranda profuderunt Tertullianus, Lactantius, Clemens quoque, Dionysius, & Petrus Alexandrini, aliique complures.* (Daniel Huetius Origenian. L. 2. Cap. 2. q. 2. §. 10.)

§. 345. *Alexander* episcopus Alexandrinus, incertum qua occasione, de hoc dogmate in consessu presbyterorum disserebat, atque inter alia filium eamdem, quam pater, non dignitatem tantum, verum etiam essentiam habere tradebat. Presbyterorum vero unus *Arius* vir subtilis ingenii, & facundus, forte odio in episcopum suum inflatus, primum vera esse negabat, quæ ipse proposuisset, eo quod Sabellianis erroribus ab ecclesia damnatis cognata essent, deinde ad alteram extremitatem delapsus filium toto genere, seu ipsa essentia differre a patre contendebat esse nimirum principem, & nobilissimam tantum creaturarum a Deo ex nihilo conditarum, instrumentum, quo pater in mundo creando usus est, & patre idcirco natura minorem [1].

1. De Spiritu sancto quomodo senserit, non æque manifestum est.

§. 346. Vix in vulgus Arii dogma exierat, quum plurimos in Ægypto, vicinisque provinciis fautores, & in his viros dignitate, & ingenio præstantes invenit. Alexander ex adverso epis-

copus convocavit suum clerum facta Ario libertate suam opinionem propugnandi. Duobus habitis colloquiis nihil actum, quod ad concordiam reducendam faceret, tandem Alexander in duplici concilio Alexandriæ habito Arium condemnabat, & ecclesiam exturbabat. Hac ille contumelia minime fractus in Palæstinam concedens variis epistolis ad summos viros missis veritatem sententiæ suæ demonstrare studebat, fortunatis adeo auspiciis, ut multos, & maxime Eusebium Nicomediensem summæ authoritatis virum in suas partes pertraheret [1].

1. Composuit enim *Thaliam*, cujus nomen, & modum a Sotade veteri poeta mutuatus est. In aulam etiam irrepsit, & Constantiam Constantini sororem suis partibus addixit: accedit ei etiam fuisse ingenium a natura ad seducendos alios factum; ætas jam senilis, virtutis, & zeli ingens species, habitus externus ad modestiam compositus, altitudo corporis supra vulgarem, vultus severus, & quasi pœnitentiæ operibus maceratus. vestitus rigidus, quæ omnia conjunctim ei asseclas pepererant. Alloquium præterea mansuetum aptum ad persuadendum, erat etiam in dialectica, & scientiis profanis peritus.

§. 347. Cum lis hæc ad Constantinum Imperatorem delata [1] fuisset, de re agitatus indiferente, dogma minime tagente [2] epistola Alexandrum episcopum, & Arium monebat, ut rixari desisterent [3]. Hac vero ratione cum nihil efficeret, gravioresque in dies motus nasci videret, anno 325. celeberrimum, & primum, quod orbis vidit, concilium generale Nicææ in Bythinia ad hanc litem dirimendam convocabat [4].

1. Nunciatum illi fuit, quanto dissensionum æstu Ægyptus vicinæque provinciæ super Arii dogmate ferverent, non episcopi solum, aut presbyteri disputabant, sed integri populi in partes ibant ingenti religionis probro & Gentilium scandalo, quibus in theatris suis ludentibus Christianorum contentionis materiam præbebant.

2. Nam nondum baptizatum, nec fidei mysteria satis edoctum Eusebius Nicomediensis, quibus voluit, opinionibus imbuere facile potuit; magna Constantino erga episcopos erat reverentia. Eusebio autem eidem colloquendi occasio quotidiana (nam devicto Licinio Nicomediæ moratus est Imperator.) Eusebius Constantino insinuabat, dissensionis non aliud esse fundamentum, quam vanas, & subtiles de vocabulis lites, quæ religionis substantiam non afficerent, maximum in toto negotio malum esse animorum acerbitatem, & nominatim episcopi Alexandrini ab Ario aversationem.

3. *Osio* episcopo Cordubensi, viro ob Christi confessionem in Maximiani persecutione per universam ecclesiam clarissimo, Imperator epistolam ferendam tradidit ad Alexandrum; & Arium conjunctim datam. ubi, postquam ideam de eorum controversia, sicut animo ejus indita fuerat, manifestasset, sequenti modo concludit: *Ergo ignoscite vobis reciproce, cum de summa religionis non agatur; nam novam introducere non vultis, idem in rei substantia sentitis. —— —— —— Eamdem tenetis fidem, lex ad opinionum conformitatem vos obligat* &c. Ita Constantinus loquebatur, aut verius, qui ipsi erat ab epistolis, cæsaris jussu hæc scribens. Interim in ista quæstione, quæ dicitur ineptissima, non sane de nugis, sed de re gravissima agebatur: an scilicet Christus sit Deus? & ex consequenti, an tot martyres, & confessores, qui eum a tempore promulgati evangelii adorarunt, fuerint idololatræ quod adorassent creaturam.

4. Testimonium, concilium Nicænum a Constantino convocatum fuisse, habetur in epistola synodica ejusdem concilii ad ecclesiam Alexandrinam data, quam describit Theodoretus Lib. I. Hist. cap. II.. quæ sic incipit: *Quoniam Dei gratia, & mandato sanctissimi Imperatoris Constantini, qui nos ex variis provinciis, & civitatibus in unum congregavit, magnum & sanctum Concilium Nicænum coactum est, &c.*

§. 348. Intererant concilio Nicæno episcopi tum Catholici, tum cum Ario sentientes [1]. Catholici ab exiguo Arianorum numero quærebant: an dicturi essent, filium esse per omnia Patri similem, immutabilem, & semper in eo subsistentem? Tergiversabant Ariani, hinc episcopi eorum dissimulatione, & mala fide cognita clarius loqui adacti in unam vocem sensum scripturarum de filio loquentium coarctarunt, dicentes, filium esse patri *consubstantialem*, usi vocabulo græco ὁμοούσιον, quæ filium non modo patri similem, sed ita similem esse significat, ut una, eademque res, una eademque substantia cum patre sit.

1. Ad mentem antiquorum Historicorum concilio intererant episcopi 318., aderant & presbyteri, diaconi, aliique, qui episcopos comitabantur, innumeri. Aderant etiam laici in arte dialectica experti, quorum opera episcopi utebantur; horum enim plerique in sacris scripturis magis, quam scientiis profanis erant versati. Aderat quoque Imperator Constantinus. Etiam nonnulli Gentiles philosophi concilio adfuisse dicuntur super religione disputare volentes. Episcoporum cum Ario sentientium viginti duo erant præsentes, quos inter notissimus *Eusebius Nicomediensis*.

§. 349. Ariani alii murmure, risu alii vocem ὁμοούσιον exceperant, quod dicerent, eam in scripturis non inveniri, esse novam, & pessimum de Deo conceptum involvere [1]. Nonnulli in voce ὁμοούσιον rejicienda persistebant, quod in Concilio Antiocheno contra Paulum Samosatenum acto fuisset damnata [2].

1. Nam, ajebant, aliquid cum alio ejusdem substantiæ esse dicitur tribus modis, videlicet *divisione*, sicut duo vel tria pocula ex eadem auri massa efformata, *effluxu*, sicut liberi cum Parentibus, *productione*, sicut planta ejusdem cum radice sua est substantiæ.

2. Damnata quidem fuit hæc vox, at in sensu Pauli Samosateni, non vero in sensu catholico.

§. 350. Postquam de hac voce, aliisque exprimendæ fidei catholicæ aptissimis inter Patres convenit, *Osius*, formulam fidei concepit profitendi fidem, quæ *symbolum Nicænum* dicitur. Damnatus est Arius, ejusque Thalia, & in exilium ad Illyricos demandatus. Edictum præterea tulit Constantinus, quo tum Arius, tum ejus fautores notantur ignominia, jubens eos in posterum *Porphyrianos* adpellari (a Porphyrio Apostata, qui contra religionem christianam scripsit, ut in epocha præcedenti est dictum).

§. 351. Ano Christi 330. *Constantia* Constantini M. sorore, ut erat morti proxima, Arii revocationem ab exilio singularis beneficii loco ab Imperatore postulante [1], in aulam ab ipso vocatus est. Ab exilio revocatum Athanasius non recepit [2], nec ut Alexandriæ restitueretur, permisit, itaque Ariani, cum eum hostem implacabilem agnoscerent, perdendum esse decernunt [3].

1. Id factum est presbyteri cujusdam occulte Arianis addicti industria, qui familiaritate apud Constantiam valens eidem suggessit: Arium plus justo invidia fuisse oneratum, atque ejus episcopum æmulatione ardentem, quod Arius populi amorem sibi surriperet id proprii honoris vindicatam prorupisse.

2. Adfuit enim Athanasius in concilio Nicæno qua diaconus, & cum Episcopus Alexander quinto mense, ex quo a concilio Nicæno domum redierat, mortuus est, eidem in episcopatu Alexandrino Athanasius successit.

3. Eusebius Nicomediensis tum ad Meletianos schismaticos in Ægyptum, arcana cum iis iniens fœdera, tum ad S. Athanasium scripsit hortans, ut Arium reciperet, rogans in epistola, coram autem per eos, quos submittebat, minas intentans. Athanasius respondebat, æquum non esse, a concilio generali damnatos recipere. Eusebii industria effectum, ut ipse Imperator Athanasio scriberet, & sequentes in epistola minas poneret: *Cum ergo meam scias voluntatem, liberum ecclesiæ ingressum omnibus, qui ingredi volunt, relinque, si enim audiero, quod alicui ingressum desideranti denegaveris, mittam, qui te deponant, & longius in exilium deducant.* Nam Arius Constantinopolim cum Euzojo discipulo, ecclesiæ Alexandrinæ quondam diacono, profectus est. Interrogati ab Imperatore, num Nicænæ fidei assensum præberent? se eam amplecti asseruerunt. Tum jussi, ut fidei professionem scriptis mandarent, & subscriptione munirent, formulam obtulerunt principi in speciem catholicam sed æquivocam, & quæ errorem non excluderet, & ita formula fidei ad speciem catholica deceptus Imperator Athanasio depositionem, & exilium minatus est, ni Arium recipiat. Athanasius ad has minas imperterritus Imperatori respondit, nihil ei cum Ecclesia catholica commune esse posse, qui Christum oppugnat.

§. 352. Anno Christi 335. cum Hierosolymam ad dedicationem templi, munificentia Constantini extructi, frequentes convenissent episcopi, rogatique fuissent, ut formulam fidei, quam Arius Imperatori obtulerat, expenderent, jussique ab eodem Principe, ut si recta videretur, illum restituerent communioni Eusebianorum factio, quæ in illo concilio prævaluit, formulam prædictam adprobavit, & admissit in Ecclesiam tum Arium, tum ejus asseclas.

§. 353. Anno sequenti 336. urgentibus Arianis, qui ad concilium Constantinopolitanum contra Marcellum Ancyranum fidei Nicænæ defensorem convenerant, ut Arius, quem plebs Alexandrina ab ingressu in ecclesiam arcebat, in communionem Constantini mandato reciperetur, gratiaque frueretur, quam illi concesserat Hierosolymitana synodus, Imperator ipsum vocavit Constantinopolim. Oblata Principi fidei formula, quam symbolum Nicæ-

num fuisse dicunt, ita se credere juramento firmavit, simul vero sub brachio aliam formulam pressisse, ad quam suum juramentum restrictione mentali referre voluit, *Socrates* testatur. Statuta fuit dies Dominica, qua ad communionem recipi Arius debuisset, at die sabathi præcedentis improvisa obiit morte [1]. Paulo post Constantinus quoque obiit.

1. Dum enim ad alvum lavandum secessisset, ibidem magna sanguinis copia emissa mortuus inventus est. Causa mortis & repentinæ, & extraordinariæ pluribus est miraculum, quo Deus viri improbitatem ultus fuit, paucis contra contendentibus, infelicem hominem hostili arte periisse, atque veneno interemptum fuisse.

§. 354. Post Constantini M. obitum unus filiorum ejus *Constantius* orientis Imperator una cum uxore, & aula factioni Arianæ impense favebat, (§. 245. 1) *Constans* vero, & *Constantinus* in occidentalibus, quas regebant, partibus Nicæni concilii decreta tuebantur. Hinc nec modus, nec finis erat rixarum, motuum, & insidiarum, conciliaque conciliis ab utraque parte dissidentium opponebantur. Constante vero 350. mortuo occidentis magna pars Italia, & Roma in ditionem fratris ejus Constantii veniebat, quæ rerum conversio Nicæni concilii amicis funestissima erat. Mortuo Constantio de Arianæ sectæ felicitate actum erat. *Julianus* indifferens nec Arianis patrocinabatur, nec Nicænis unice intentus idololatriam reducere, cui consilio dissensio Christianorum ei favens videbatur. Alia vero rerum scena sub fratribus *Valentiniano*, & *Valente*, qui anno 364. imperium consecuti. Valentinianus Nicænæ synodi decretis stabat. Valens contra sequebatur Arianos, hinc in orientis partibus multæ Catholicis calamitates subeundæ erat, cum vero hic Princeps in bello cum Gothis anno 378. obiisset, *Gratianus* pacem Catholicis reddebat. Post hunc *Theodosius M.* Arianis ex omnibus ecclesiis ejectis, & severis contra eos legibus promulgatis efficiebat, ut Nicæni concilii decreta ubique triumpharent, & nulli præter barbaros populos Gothos, Wandalos, Burgundos ariana dogmata publice profiteri possent.

§. 355. Inter Arianos alii Filium creaturam Patri *dissimilem* asserebant, uti Aetius, Eunomius, Eudoxius, atque hi adpellati sunt *Anomei*, ανομοιος enim idem est, ac *dissimilis*. Alii *similem* quidem, sed non *consubstantialem* dicebant, ut *Narcyssus* Demophilus, ceterique episcopi semi — Ariani tertiæ synodi Sirmensis, a quibus adprobatum est ὁμοιούσιον *substantia simile*, non probatum ὁμοούσιον *consubstantiale*. Hi *semi — Arianorum* nomen tulere [1].

1. Non tamen omnes continuo semi — arianismi incusari possunt, qui *homousion* rejiciunt, & adprobant *homoiusion*; contendebant enim quidam episcopi, quod licet vox homoiusion varie fuerit accepta, per eam tamen Nicæna fides exprimi æque possit, ac per homousion. Ita Nicænæ fidei defensores erant Basilius Ancyranus, Meletius Antiochenus, Eusebius Samosatenus, Acacius Cæsaræænsis, aliique, qui tamen contendebant, voce *homoiusion* fidem Nicænam exprimi, quibus proin a S. Epiphanio semi — Arianorum nomen frustra, & injuste datum.

§. 356. *Photinus* natione Galata a Marcello Ancyrano episcopo instructus est, cum junior esset, ejusque diaconus postea fuit. Ad Sirmiensem dein episcopatum est promotus. Eruditione præstabat, & facundia. Anno 343. errores suos divulgare cœpit; nam ipsius opinione solus pater Deus erat, Spiritus Sanctus personaliter non subsistebat, Christus, & filius Dei ante Mariam non erat, nec Deus, sed purus homo, attamen ex virgine per operationem Spiritus Sancti natus, cui se junxit *verbum*, radius quidem divinus, ideoque filium Dei adpellatum fuisse. Castigabant hominis temeritatem cum recte sentientes in conciliis, tum ipsi quoque Ariani.

§. 357. *Audianis* nomen dedit *Audeus* e Mesopotania oriundus, vir bonis moribus, & zelo inter suos notissimus, qui adeo fervidus fuit, ut neglecto personarum respectu cuilibet veritatem ingesserit, episcopis, & presbyteris in faciem resistebat, si quid contra leges facerent. Sic omnibus, quorum vita aliquatenus reprehensibilis erat, importunus eorum odium in se concitavit; multo tempore injurias, & contemptum inimicorum tolerans ab ecclesia se non separabat. Tandem ad verbera ventum est, quibus ipse, suique affecti, eo compulsus, ut ab ecclesia evaneret, quem multi secuti sunt. Initio simplex schisma fuit severos mores servantium, & in fide non errantium, labore manuum laici, presbyteri, & episcopi vivebant, quippe Audeus, vel ut alii ajunt, Audius a quodam episcopo, qui ob similes quoque dissensiones ab ecclesia secesserat, in episcopum fuit ordinatus.

§. 358. At paulo post in errores lapsi sunt. Pascha decimaquarta lunæ sicut Judæi celebrabant, dicentes, hunc usum ab antiquitate probatum quod ut demonstrarent, librum constitutionum apostolicarum, sed ab eo, quem hoc nomine habemus, diversum allegabant. Ruditer etiam illud in sensu litterali explicabant, quod de homine dicitur, eum factum esse ad imaginem Dei, non distinguentes, an hæc imago in corpore, vel anima consistat, ex textus adducentes, in quibus Deo oculi, manus, aures &c. tribuuntur, sibi Deum corporeum fingebant.

§. 359. Arii errorem de filio excepit hæresis *Macedonii* de

Spiritu sancto. Illi adhærentes dicti sunt *Macedoniani*, a dogmate autem, quod Spiritus Sancti divinitatem impugnassent [1] adpellati *Pneumatomachi* απο πνευμα, και μαχομαι, id est Spiritus *impugnatores* [2], per Thraciam, Bythiniam, & Helespontum, maxime vero in urbem Cyzicenam diffusi, ut plurimum vitæ erant irreprehensibilis, & mores non multum a monastica disciplina abludebant. Sed concilium, quod secundum est inter *œcumenica*, Constantinopoli congregatum teneram hanc sectam dissipavit [3].

1. Dicebant enim, vel Spiritus Sanctus est genitus, vel non. Si primum, duo filii, si alterum duo patres essent in Trinitate.

2. Fortissima hujus sectæ columna fuit *Marathonius* discipulus Macedonii, episcopus Nicomediensis, vir opulentus, in pauperes liberalis, & integris moribus, hinc tanta ejus apud populum, & monachos fuit authoritas, ut secta hæc a quibusdam de ejus nomine *Marathonia* diceretur.

3. Convocatum est hoc concilium a *Theodosio* Magno anno 381. Episcopi aderant numero 150. (juxta alios 180.) Symbolum Nicænum pro asserenda Spiritus sancti divinitate clarius est expositum a Patribus hujus concilii, unde symbolum *Nicæno Constantinopolitanum* dictum est, quod ad nostram usque diem in missa recitari solet.

§. 360. *Apollinaristarum* secta ab utroque Apollinari patre, & filio nomen traxit. Pater Laodicenæ ecclesiæ presbyter, & filius ejusdem ecclesiæ lector fuit. Ambo humaniorum magistri, gramaticæ pater, filius rethoricæ. Uterque eodem tempore Laodiceæ fuit, quo ibidem floruit sophista quidam Gentilis *Epihanius* nomine, quocum magna utroque Apollinari intercessit familiaritas. Tunc episcopus Laodicenus fuit *Theodotus*, qui ipsis sophistæ Epiphanii colloquium, & consuetudinem interdixit, metuens ne hominis Ethnici familiaritas ipsis in perniciem verteretur. His sui episcopi monitis non paruere; nam cum Epiphanius hymnum in laudem Bachi ediderat, ad eum audiendum tum e Christianis plurimi, tum etiam uterque Apollinaris confluebat. Id cum accepisset Theodotus laicis objurgatis veniam tribuit, Apollinarem utrumque segregabat ab ecclesia. Elapso quodam intervallo cum lachrymis, & jejuniis veniam exorassent, peracta pœnitentia denuo recepti sunt in communionem.

§. 361. Theodoto defuncto in episcopatu Laodiceno successit *Georgius* sectæ arianæ deditus. Athanasio Laodiceam forte transeunti obvius factus est junior Apollinaris, cujus sibi devincivit amicitiam. Id ægre ferens Georgius episcopus (utpote tanquam Arianus Athanasio inimicus) Apollinarem a communione ecclesiastica exclusit. Ejectus Apollinaris Georgio non semel, ut restitueretur, supplicavit, sed frustra, quam repulsam contumeliæ lo-

co ducens, novam excogitavit sectam. Ceterum errores suos diu dissimulabat [1]; neque enim sub Constantio, neque sub Juliano apostata, neque prioribus annis Valentiniani, & Valentis innotuit, imo sub Juliani imperio ecclesiæ profuit plurimum [2].

1. Hæc dissimulandi suos errores vafrities in causa fuit, quod multi Patres cum ipso non modo communicarent, sed etiam amicitiam foverent, hinc cum eo communicavit *Basilius*, eodem familiariter usus *Hieronymus*, qui & ipsum in sacris litteris habuit præceptorem, etiam *Athanasio*, & *Epiphanio* fuit charissimus.

2. Cum enim edicto prohibuisset Julianus, ne Christiani adolescentes Gentilium imbuerentur disciplinis, seu artibus, quas liberales vocant, Apollinaris in gratiam juventutis Christianæ hebræorum historias usque ad regnum Saulis descripsit, aliosque edidit humanioris litteraturæ libros. Scripsit quoque contra Julianum, & philosophos Gentiles librum, cui titulus erat *de veritate*, ut illorum errorem de divinitate monstraret nullo scripturarum testimonio usus, quod Julianum libros sacros irridere sciebat. Opus hoc irridens Julianus scripsit ad episcopos; *legi*, *intellexi*, *damnavi*, ad quæ ipsi responderunt, *legisti, sed non intellexisti*, *nam si intellexisses*, *non damnasses*.

§. 362. Apollinaris divinitatem Christi contra Arium mascule adserebat, at liberius philosophando humanam ejus naturam prope destruebat. Contendebat enim Christi corpus anima solum sensitiva, non item rationali instructum fuisse, & divinitatem vices animæ rationalis supplevisse [1].

1. Hausit hunc errorem ex immoderato philosophiæ platonicæ studio, siquidem philosophi sectæ platonicæ teste *Nemesio* aliud esse *animam*, & aliud *mentem* statuebant, & ex tribus constare volunt hominem, e corpore, anima, & mente. Christum carnem ex Maria non sumpsisse, sed ex cœlo detulisse, non ipsius Apollinaris, sed verisimilius error ab ejus discipulis assumptus fuit.

§. 363. Profligata toties veterum Gnosticorum secta in Hispania seculo quarto reviviscebat. Adferebat eam seculo ineunte *Marcus* quidam ex Ægypto, & paucis primo instillabat. Longius vero progrediebatur, & viros doctrina celebres invadebat quum eam *Priscillianus* vir nobilis, & dissertus in animum admisisset. Mundum aspectabilem non Dei, sed dæmonis, seu mali principis opus esse docebat æones, seu emanationes ex Deo prædicabat, corpora hominum carceres esse, in quibus animæ ob peccatum commissum includuntur. Nuptias damnabat, dæmonum enim opera semina conceptionum in utero mulierum in formam corporis componi putabat, & propterea resurrectionem carnis non esse credendam. Mendacium etiam cum perjurio junctum Priscillianistas licitum agnovisse, hocque dogmate, *jura*, *perjura*, *secretum pandere noli*, usos fuisse fertur.

§. 364. *Colyridianorum* [1] hæresis, seu potius idololatria exorta est in Arabia, qui Mariam ut Deum colebant. Secta hæc fœmi-

nis sacerdotum munia deferebat, imo solæ fere fœminæ eam conflabant.

1. Ita dicti sunt, quia Mariæ *placentas*, græce *collyrides* offerebant.

§ 365. Novam conflavit sectam seculo quinto *Nestorius* gente Syrus, antistes Constantinopolitanus, discipulus Theodori Mopsuesteni, vir facundus quidem, nec indoctus, verum arrogans, & imprudens. Occasionem huic hæresi dedit, *Anastasius* presbyter Nestorii familiaris, qui die quadam in ecclesia Constantinopolitana pro concione dicens his verbis usus est: *Nemo Mariam Matrem Dei adpellet, mulier fuit, nec possibile est, ut Deus ex creatura humana nascatur* [1]. Quod Anastasius presbyter edixerat, Nestorius defendit, pluresque sermones hac super materia habuit [2].

1. Hinc volebat nomen Θεοτοκος (*Deipara*) Mariæ tribui, eamque solum χριστοτοκον *Christiparam* esse nominandam.

2. Primum sermonem habuit vigesima quinta. Dec. anno 428., cujus initium ducit a Dei providentia, inde ad humani generis redemptionem transit, & adductis illis Pauli verbis: *quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum*, subjungit: „Illi S. Paulum audiant, quærunt, an „Maria mater Dei vel mater hominis, *Theotocos*, vel Antropotocos dicenda sit? „num Deus Matrem habeat? ergo Gentilibus excusatio est. dicentibus. Deos „suos matribus genitos? ergo Paulus mentitur, dum de divinitate Christi di„cit, sine patre, sine matre, sine genealogia? neutiquam, sed Maria Deum „non peperit; nam quod natura est ex carne, caro est. Creatura non peperit „creatorem, sed hominem divinitatis instrumentum."

§. 366. Dum ita prædicasset Nestorius, *Eusebius* tunc jurisconsultus, & postea episcopus Dorileensis edito scripto refragatus est. Jam tum multi a communione cum Nestorio separari, & hæreticum adpellare cœperunt, fuere, qui in mare projiciendum minitarentur. Proclus, qui episcopus Cyzicenus dicebatur. & Constantinopoli ministerio presbyteri fungebatur, in ea urbe sermonem ad populum habuit de Incarnatione, in quo viriliter doctrinam catholicam reducit, nimirum Mariam vocandam esse Theotocos, nullamque inde Gentilibus ridendi causam nasci. Nestorium concioni præsentem hæc libertas valde offendit, & continuo Proclo respondit [1].

1. Usus quippe ferebat, ut si quis presbyter, aut alius episcopus in ecclesia verba fecisset episcopo præsente, is aliqua ad ædificationem adderet.

§. 367. Nestorii sermones in unum librum collecti brevi tempore in omnes orientis, & occidentis provincias sparsi ad monachos Ægypti quoque delati disputationibus ansam dedere. Cum vero *Cyrillus* episcopus Alexandrinus timeret, ne error radices

ageret, epistolam encyclicam ad omnes Ægypti monachos dedit, (quæ alias vocatur epistolas *ad solitarios*) in qua eos jubet ad ejusmodi difficilibus quæstionibus, num Maria Theotocos, aut Christotocos sit dicenda, penitus abstinere, jamque se illis scribere, non ut disputandi pruritum augeret, sed veritatem monstraret, & ostendit, Mariam Theotocos esse adpellandam.

§. 368. Epistola ad solitarios Ægypti data brevi Constantinopolim delata multis profuit, plures enim magistratu spectabiles datis litteris Cyrillo gratias egerunt. Nestorius contra hanc epistolam impatientissime ferens cuidam, cui nomen Photius, præcepit, ut responderet, de cœtero nihil intentatum relinquens quo Cyrillo noceret. Ei a viris fide dignis Alexandriam pervenientibus relatum, quantum Nestorius irascatur. Exinde Cyrillus data epistola Nestorio indicavit, se ultra cum eo, nisi sermonem, & mentem mutaret, communicare non posse. Nestorius ad hanc epistolam respondere nolebat, at presbytero Alexandrino, cui eam Cyrillus ferendam dederat, vehementer instante respondit: "experientia docebit, quem inde fructum tulerimus, ego quidem patientiam, & charitatem fraternam conservo, quamvis eamdem ne quid gravius dicam, in me læseris."

§. 369. Nestorius interim ad *Cœlestinum* Papam data semel, ac iterum epistola ipsius animum occupare tentavit, nihil tamen respondebat Nestorio Cœlestinus, eo quod idiomate græco, cujus Cœlestinus ignarus erat, ad eum scripserit. Cyrillus veritus, ne Papæ Nestorius imponat, ipsum de ejus erroribus certiorem fecit & de iis, quæ in ipsum hucusque egerat, quæ cum idiomate latino ad eum prœscripsisset, a Cœlestino lecta sunt [1].

1. Duo in hac Cyrilli epistola notanda sunt: primo quod dicat, *vetus ecclesiarum consuetudo suadet, ut ejusmodi res sanctitati tuæ communicentur.* Secundo quod ait: se ausum non fuisse inconsulto Cœlestino, & inexpectata episcopi Romani sententia se a Nestorii communione subtrahere.

§. 370. Acceptis Cyrilli epistolis Cœlestinus Romæ synodum habuit, in qua excommunicationis, & depositionis sententia lata est in Nestorium, nisi intra decimum a denuntiatione diem doctrinam suam aperte, & scripta confessione damnaret. Scriptæ etiam a Cœlestino epistolæ ad Cyrillum, Nestorium, Joannem, Antiochenum; aliosque omnes numero septem; Nestorio quidem ut retractaret, Cyrillo vero tanquam executori sententiæ contra Nestorium latæ, nisi revocaret [1].

1. Epistolæ Cœlestini ad Joannem Antiochenum adjunxit Cyrillus suam ad eumdem, quibus acceptis Joannes Antiochenus Nestorium amice monuit, ut confessione Θεοτόκου ecclesiæ totius offensionem tolleret, erroremque retractaret.

§. 371. Epistola Cœlestini ad Nestorium, ut depositus sit, nisi intra decem dies revocaret, non ad Nestorium, sed ad Cyrillum est missa, ut ipse eam Nestorio extraderet qua *executor* hujus sententiæ, si renuerit revocare. Antequam tamen hanc Cœlestini epistolam Nestorio emiserit Cyrilus, concilium Alexandriæ convocavit. Inde epistola synodica ad Nestorium est missa cum litteris Cœlestini per quatuor legatos episcopos [1].

1. Quatuor puncta hæc epistola synodica continebat: 1 denuntjationem sententiæ a Cœlestino contra Nestorium latæ, 2 Cyrillus, & ceteri Patres significabant, se cum omnibus communicare, quos Nestorius propter fidem communione vel ordine moverat, 3. jubetur Nestorius non tantum symbolum Nicænum profiteri, sed etiam dogmata sua in specie ejurare, 4 fidei professio ei proponitur, cui consentientibus ceteris concilii Patribus Cyrillus subnectebat duodecim *anathematismos* (seu duodecim propositiones anathemate damnatas) quibus subscribere debeat Nestorius. Anathematismi Cyrilli hæreseos Apollinaris, & eutychianæ aliqui incusant, ostendit autem Nat. Alex. prolixa dissertatione, eos ab hæresi prorsus immunes esse, cum adprobati sint a concilio generali Ephesino, quod in causa Nestorii est convocatum, ut mox dicetur.

§. 372. Nestorius accepta epistola Cœlestini, Cyrilli anathematismis, & epistola synodica concilii Alexandrini dogmata sua non tantum non revocavit, sed potius duodecim anathematismos edidit anathematismis Cyrilli e regione oppositos, & ad Joannem Antiochenum episcopum datis litteris Cyrilli anathematismos hæresi Apollinaris infectos esse traducebat.

§. 373. Dum vidisset Theodosius junior, Cyrillum anathematizare Nestorium, & hunc vicissim Cyrillum putans non aliud liti componendæ esse remedium, concilium generale *Ephesi* convocavit [1]. Est hoc tertium inter generalia, ad quod, si Mario Mercatori credimus, convenerant episcopi 274. Venit Ephesum & Nestorius cum decem suarum partium episcopis. Celebrata est synodus anno Christi 431, Theodosii 24.

1. Convocatum fuisse concilium hoc a Theodosio Imp., & non a Cœlestino Papa testantur 1. ipsi Patres Ephesini, qui actione prima ajant: *Synodus congregata in Ephesiorum Metropoli ex decreto religiosissimorum, & christianissimorum Imperatorum*, nulla facta Pontificis Cœlestini mentione, 2. Cyrillus in apologetico ad Theodosium Imp. ita loquens: *Cum sancta nostra Synodus in Ephesiorum Metropoli juxta vestræ Majestatis decretum undique convenisset*, 3. Cœlestinus in epistola ad Theodosium: in qua Papa dicit: *Huic Synodo, quam esse jussistis, nostram præsentiam in his, quos misimus, exhibemus*. Porro Imperator comitem Candidianum tanquam suum legatum ad concilium misit, ut ordinem servari curaret, seculares, & monachos, qui spectandi concilii gratia Ephesum confluxerant, ex urbe exire compelleret, ut suffragium libertati consuleret.

§. 374. Indixit Imperator initium Synodi in festo pentecostes. Ad condictam diem non venit Ephesum Joannes episcopus Antiochenus cum suis orientalibus [1]. Diebus sedecim frustra ex-

pectatus. Additi sunt dies sex, sed nec tunc venientem non amplius expectarunt. Nestorius fuit citatus, sed ex duplici ratione comparere noluit, primo quia concilio, donec legati Pontificis missi sunt, Cyrillus præsidebat, quod fieri non posse ajebat Nestorius, eo quod Cyrillus non tantum sit actor, & adcusator, sed etiam simul inquirendus, num duodecim ejus anathemasti sint immunes ab hæresi Apolinaris, secundo quia non expectabat Cyrillus adventum Joannis Antiocheni, & episcoporum orientalium ideo etiam non tantum Candidianus legatus Imperatoris, sed etiam sexaginta octo episcopi concilium ante adventum orientalium non esse inchoandum contendebant. His tamen nihil obstantibus Cyrillus, & *Memnon* episcopus loci Ephesinus non expectato adventu orientalium concilium inchoarunt.

1. Sive eam ob causam, quod episcopos suos ob locorum distantiam tam cito cogere non potuerit, quod *Evagrius* testatur, sive ex industria, ut gratificaret Nestorio amico suo, quod asserit Ephesina synodus in relatione ad Cœlestinum Papam.

§. 375. Lecto in inchoatione concilii symbolo Niçæno, sacra Imperatoris, epistola Cœlestini, & Cyrilli ad Nestorium, & hujus ad illum, & aliquibus Patrum sententiis, quibus doctrina Nestorii refellitur, lata est in eum tanquam contumacem cum comparere noluerit, & hæreseos convictum sententia excommunicationis, & depositionis, quæ postridie ei erat significata hac cum inscriptione: *Nestorio novo Judæ* [1]. Scripta est epistola synodica ad clerum Constantinopolitanum, qua ipsi nunciabatur Nestorii depositio, & cura ecclesiæ Constantinopolitanæ ad novi usque episcopi consecrationem commendabatur. Missæ sunt pariter relationes gestorum synodalium ad Imperatorem, & Cœlestinum Papam.

1. Cyrillus hanc depositionis sententiam publice affigi jussit, Candidianus tamen rursus aufferri, in quibus affixæ erant, curavit.

§. 376. Joannes Antiochenus cum episcopis orientalibus Ephesum adveniens ægre tulit, Cyrillum, & Memnonem ejus adventum non expectasse, & quod anathematismi Cyrilli, quos orientales erroneos judicarunt [1], saltem tacite a synodo Ephesina sint adprobati. Itaque in suis ædibus cum episcopis orientalibus egit concilium, & damnatis Cyrilli anathematismis tanquam hæresi Apolinaris infectis eum una cum Memnone deposuit, cui sententiæ subscripserunt episcopi quadraginta tres.

1. Orientales, & Syri post ortam Apollinaris sectam, ne duæ in Christo naturæ confusæ videantur, in Christo adsumptum hominem a Deo distinguebant, formulasque adhibebant, quæ duas in Christo personas statuere videbantur.

Alexandrini contra, & Ægyptii loquendi modis assueti erant, quæ Apollinarismo præsidia suppeditare, atque naturarum confusionem importare videri poterant. Ideo Cyrilli anathematismi orientalibus hæresi Apollinaris infecti videbantur.

§. 377. Misit Joannes relationem gestorum in sua synodo. Vidit jam Imperator, contrarias esse relationes, nimirum a Cyrillo depositum Nestorium, & a Joanne Antiocheno Cyrillum, malam proin opinionem Imperator de Synodo, de Cyrillo, & Memnone concepit. Misit novum legatum Imperator comitem *Joannem* eo mandato, ut tres depositos esse juberet Nestorium, Cyrillum, & Memnonem, omnesque tum Cyrilli, tum Joannis Antiocheni episcopos in unam cogeret synodum, & res agendas reliquas pacifice curaret. Is, ubi pervenit Ephesum, episcopis ad se vocatis legit Imperatoris litteras, & post depositionis denunciationem Nestorium Candidiano comiti custodiendum tradidit, Jacobo vero comiti Cyrillum, & Memnonem. Synodus Ephesina his auditis ad Imperatorem litteras misit, quibus manifestabat, se cum Joanne Anthiocheno uniri non posse, nisi Nestorii damnationi subscriberet, datæ sunt etiam ad clerum Constantinopolitanum, & ad Dalmatium monachorum Archimandritam, seu præfectum litteræ [1].

1. Hæc omnia arundine conclusa mendicus detulit, cum prohibitum fuerit per Candidianum comitem Imperatoris legatum, ne quid a Cyrilli asseclis Constantinopolim adferretur.

§. 378. Interim Joannes comes partium concordiam frustra tentavit. Clerus vero Constantinopolitanus libellum supplicem pro synodo Imperatori porrexit quo obtinuit, ut septem ex utraque parte legati Constantinopolim mitti juberentur, qui de omnibus in Synodo gestis certiorem Principem facerent. Missi utriusque partis legati ubi Chalcedonem venerunt, jussi sunt ibidem subsistere. Hac transiens in villam Rufinianam Theodosius ipsos aliquoties audivit. Rediens Imperator Constantinopolim relictis Chalcedone orientalium legatis legatos Ephesinæ synodi comitari jussit, ut episcopum in locum Nestorii ordinarent. Ab his *Maximianus* episcopus Constantinopolitanus consecratus, & Nestorius in exilium missus, instigante etiam Joanne Antiocheno, qui conversa veteri erga ipsum amicitia cum Cyrillo pacem iniit [1].

1. Culpant satis multi Cyrillum, quod etsi veram fidem defendisset, attamen *personæ Nestorii* inimicus fuerit, scribit enim de eo Socrates: *ipsum quibusdam quasi sermonum velitationibus pugnam excitatum esse, ut Nestorium perterreret, quippe qui infenso erga illum animo esset*, idque fors propterea, quod Constantinopolitani Patriarchæ autoritas creverit, cum ex concilii Nicæni decreto Constantinopolitanus primum post sedem Romanam habuerit locum, atque ideo Alexandrinus tertium. Et revera cum *personæ* Nestorii infensum fuisse, illud suspi-

cionem præbet, quod adventum Joannis Antiocheni expectare noluerit, etsi Theodosius jusserit, episcopos orientis expectandos esse; quod si enim Cyrillus unice intendisset causam fidei defendere, ita rationes subducere debuisset: causa veræ fidei nunquam periclitari potest, etsi per aliquod dies adventus episcoporum orientalium expectetur, & concilii initium differatur, saltem si concilii initium non adeo accelerasset, non dedisset ansam Joanni Antiocheno separatum agere concilium.

§. 379. Nihil tamen hæc impediebant, quo minus amici Nestorii dogma ejus per orientis provincias circumferrent, & ubique cœtus colligerent ab Ephesinæ synodi decretis alienos. Idque negotium tanto felicius cessit, postquam in celebrem Persarum scholam, quæ Edessæ a longo tempore floruit, scita Nestorii, & *Theodori* Mopsuesteni, itemque *Diodori* Tarsensis introducta sunt: ex hac enim schola per universam Assyriam ea disseminata sunt Imprimis vero *Barsumas* Nisibenus e schola Edessena ejectus, & anno 435. episcopus Nisibensis creatus ab anno 440. usque ad annum 485. incredibilem adhibuit solertiam, ut firmum in Persia ei domicilium, favente ipsi fortuna, pararet. *Pherozem* enim Persarum Regem adduxit, ut Christianos Græcorum sententiis addictos expelleret, in eorumque locum non modo Nestorianos reciperet, sed & illis sedem Persiæ primariam in urbibus Seleucia, & Ctesiphonte traderet; quam *Patriacha*, seu *catholicus* eorum ad nostram usque memoriam occupat. Hic celebrem etiam scholam Nisibenam erexit, ex qua egressi sunt illi, qui quinto, & sexto seculo in Ægiptum, Syriam, Indiam, Tartariam, ipsamque Chinam dogmata Nestoriana intulerunt [1].

1. Antequam sectæ hujus res ratione componerentur, nonnihil dissensionis in ea extitit. Aliqui modum, quo utraque in Christo natura coaluit, ignotum prorsus esse dicebant: alii vero aliam, quam voluntatis, operationis, & dignitatis communionem in Christo esse, quemadmodum quidem *Assemanus* disciplinam eorum explicat, negabant. Hæ vero altercationes, ex quo rite constituta fuit Nestoriana civitas, plane cessarunt. Sancitum nimirum est in conciliis Seleuciæ coactis credendum ab omnibus esse, Christum e binis constare personis, seu ὑποστάσεσιν, utriusque vero hujus personæ unum tantum esse *adspectum*, *Barsopan*, seu πρόσωπον: neque tamen naturæ, aut personæ esse conjunctionem, sed tantum voluntatis. Mariamque tantum *Christiparam* esse habendam: & in hac illi opinione permanent. Nestorium quidem ut hominem sanctum colunt, dogma vero suum eo antiquius esse multo statuunt, eaque re Nestoriani nuncupari nolunt. (*Millerus*, in compend. *Moshemii*)

§. 380. Nestorius duas in Christo personas propugnabat, in contrarium e diametro vitium prolapsus *Eutyches* [1], qui nimio fervore impugnans errorem Nestorii, adfirmabat, unam esse in Christo *naturam*. Episcopus Dorileensis *Eusebius* (idem ipse, qui qua laicus, ac causidicus contra Nestorium, dum errores suos propagare cœpit, scriptis pugnavit) cum æque ac Eutyches Nestorianis infensus fuisset, inter utrumque arcta necessitudo nata est, tandem ex continuis colloquiis agnovit, Euty-

chem in hac quæstione nimium dicere, & in alterum extremum incidere. Diu amicum ad saniora reducere conatus est, sed cum jam constaret, esse obstinatum, non modo amicitiæ renunciavit, sed & vices actoris in eum suscepit. Occasione usus est concilio triginta episcoporum qui Constantinopoli ob causas alias commorantes conventum agebant.

1. Presbyter erat Eutyches, & monasterii trecentorum monachorum prope Constantinopolim Archimandrita, seu Abbas. Septuagenarius fuit, dum hanc hæresim excitavit. Homo imperitus, & indoctus, nimioque, christiano non digno, odio erga Nestorium adfectus.

§. 381. Præfuit huic concilio *Flavianus*. Postquam causa inter Florentium episcopum Sardensem, & duos alios episcopos finita fuit (hac enim de causa dictum concilium celebratum) Eusebius Dorileensis unus ex Patribus præsentibus de sede sua surrexit, & concilio libellum contra Eutychem obtulit [1]. Quamobrem Patres Joannem, & Defensorem presbyteros, ac Andream diaconum ad Eutychem miserunt, qui eum ad synodum citarent.

1. Libelli audita lectione Flavianus rogavit Eusebium, ut pro jure amicitiæ adiret Eutychem, ipsique persuaderet meliora. Renuit Eusebius, se nihil neglexisse asserens, ut eum ad rectam fidem revocaret, monuisse, docuisse, increpasse, omnia vero frustranea fuisse.

§. 382. Referebant hi Synodo, ipsum se sistere renuisse hoc sub prætextu, quod a monasterio, quo velut in sepulchro esset inclusus nunqam exire propositum fecisset, Eusebii adcusationem detractionis, & injuriæ loco habendam tanquam ab homine veteres inimicitias fovente fabricatam, paratum se esse decretis Nicænæ & Ephesinæ synodi subscribere, neque tamen se subscribere Patrum placitis, & expositionibus, si in aliquo ipsos erasse contigisset, solas autem scripturas sectari tanquam firmiores Patrum expositionibus, & se post Incarnationem unicam Dei incarnati naturam adorare. His synodo renunciatis placuit Patribus, eum denuo citare ad concilium, quam citationem sicut & priorem elusit, sibi constitutum asserens non egredi e monasterio, citra mortis necessitatem. Tertio tandem vocatus sui loco *Abrahamum* presbyterum, & monachum cum aliis monachis ad concilium misit, qui ægrotare se Eutychen mentiti sunt, & dixerunt, se habere ab ipso in mandatis, quæ sui loco synodo responderent [1]. Memnon autem presbyter, qui missus fuit tertiam citationem Eutychi deferendam ulterius retulit, quod dilationem petiisset usque ad finem illius septimanæ, & promisisset, se in concilium proxima die lunæ venturum.

1. Misit Abrahamum Eutyches hac instructione, ut ejus nomine in ea omnia consentiat quæ Patres concilii Nicæni, & Ephesini, ac beatus Cyrillus docuerunt; nam Eutyches, ejusque discipuli nihil frequentius in ore habuerunt, quam Cyrillum, quo velut patrono suo ubique gloriabantur. Eumdem errorem Cyrillo imponunt quidam ex Reformatis, imprimis autem *David de Redone*, qui non alia de causa videtur librum suum de *supposito* scripsisse, quam ut Cyrillum Eutychianæ hæreseos notaret.

§. 383. Constituto tempore, nempe die lunæ, Patres septimam, quæ ultima fuit, celebrarunt sessionem. Cum ad hanc diem usque concilium Eutychi inducias concessisset, is ad Imperatorem Theodosium confugit, eique per *Chrisaphium* eunuchum commendatus ab eo obtinuit, ut cum patricio *Florentio, & Magno* silentiario concilium ingrederetur, timere enim se dicebat Flaviani calumnias. Misit Imperator Florentium patritium cum mandato, ut synodo interesset, venit ad concilium & Eutyches cum magna monachorum phalange, prætorianorumque militum manu. Examinarunt eum Patres, at errorem suum dissimulare conatus est cavillationibus, & æquivocis responsionibus eorum interrogationes eludens. Tandem ut in obstinatum Flavianus nomine concilii depositionis, & excommunicationis pronunciavit sententiam, cui episcopi triginta duo & Abbates viginti unum suscripserunt [1].

1. Abbatum suscribentium quatuor erant laici. Alia tamen formula episcopi alia abbates suscripsere; illi enim suscribebant: *Basilius episcopus N. judicans suscripsi*, hi vero: *N. Archimandrita suscripsi in depositione Eutychetis*, unde colligitur, episcopos in concilio adesse ut *judices*, ut spectatores, & consultatores ceteros.

§ 384. Scripsit Eutyches ad *Leonem* Pontificem, & conquestus est, se injuste fuisse damnatum [1]. Leo Papa de his, quæ Constantinopoli fiebant, non admonitus fuit a Flaviano, huic Leo scripsit ad Theodosium & Flavianum [2]. Protinus rescripsit ad Papam Flavianus, & una cum epistola acta Synodi Constantinopolitanæ contra Eutychen misit, quibus acceptis duas rescripsit epistolas unam ad Theodosium, in qua Eutychis dogmata damnat, & synodum intra Italiam congregari postulat, alteram ad Flavianum, in qua ampliores litteras promittit.

1. Antequam ad Leonem scripserat, patrocinium Petri Chrysologi Ravennatis episcopi implorabat, ut ipsi faveret apud Pontificem, vel ut causæ ipsius etiam ut judex esse vellet. Respondit Chrysologus: *Se pro studio pacis, & fidei extra consensum romanæ civitatis episcopi causas fidei audire non posse.*

2. Hoc inter cetera hæc scripsit: *Miror, quod tu de his scandalis nihil ad me perscripseris.* Itaque tum putabatur Pontifici jus competere petendarum, & recipiendarum relationum, qui circa fidem ubivis agatur?

§. 385. Cum vidisset Eutyches, se Leonem Papam ad suas

partes pertrahere non posse, novas Constantinopoli turbas excitavit adjuvante illo Chrysaphio. Contendebat nimirum Eutyches, acta concilii Constantinopolitani, in quo damnatus est, a notariis fuisse falsata, nec non Flavianum, antequam ipsius causa in concilio agi cœpisset, & antequam auditus fuisset, condemnationis sententiam in eum jam concepisse. Hac de causa oblato Imperatori libello acta synodi retractari obtinuit favente Chrysaphio. Edixit itaque Theodosius, ut iidem episcopi Constantinopolim convenirent, & præsente legato Imperatoris Florentio acta prioris synodi rursus examinarentur[1].

1. In hoc examine inventum, falsum esse, ut contendebat Eutyches, acta synodi fuisse imminuta, & falsata. Quod autem alterum adtinet punctum, testatus est Silentiarius Magnus, se accepisse a Flaviano, antequam de Eutychetis damnatione, in synodo ageretur, jam scriptum fuisse damnationis libellum, quem synodo porrecturus esset. His modis infirmata est de damnatione Eutychetis lata sententia faventibus ei magistratibus in gratiam Chrysaphii.

§. 386. Provocavit Eutyches ad concilium universale, idque ope Chrisaphii a Theodosio impetravit. Dedit etiam Chrisaphius litteras ad *Dioscorum* episcopum Alexandrinum, ut Eutychetis defensionem in se susciperet, & Flaviano adversaretur, inde Chrisaphii opera factum, ut præsidentiam in concilio Dioscoro præbuerit Imperator speciali rescripto. Jussit Theodosius quoque adesse concilio *Barsumam* e Syria Archimandritam omnium monachorum vices agentem, cui Imperator & *jus suffragii* in concilio concessit[1].

1. Quoad utrumque Imperatori a Chrysaphio fuit impositum, tum quod Barsumæ *jus suffragii* juxta regulam solis episcopis proprium concesserit, tum quod concilii præsidentiam, quæ Romano episcopo competit, Dioscoro detulerit. Primum fecit, quia ecclesiæ regulas ignorabat, & quia ei a Chrysaphio insusurratum, Barsumam puritate fidei, & vitæ esse probatissimum. Quoad secundum punctum suggestum ei fuit, primum post Romanum episcopum locum juxta concilii Nicæni canones episcopo Alexandrino deberi.

§. 387. Etsi Imperator Dioscoro dederit concilii præsidium, attamen ad id invitavit Leonem Papam. Excusavit se apud Theodosium Pontifex tum propter temporis angustias, tum propter imminens Romæ ab Hunis periculum, tum quod consuetudo non est, Romanum episcopum extra Italiam concilio interesse, quod tamen si celebrandum videretur, congruentius esset, ut congregaretur in Italia.

§. 388. Cum obtinere non potuisset Leo a Theodosio, ut concilium aut omnino revocaret, aut in aliquam Italiæ urbem transferret, decrevit legatos mittere Ephesum, qui suo nomine concilio interessent, nimirum *Julium* episcopum Puteolanum, *Rena-*

tum presbyterum, qui autem in itinere defunctus est, & *Hilarium* diaconum. Imperator quoque suos misit legatos *Elpidium*, & *Eulogium* [1]. Aperta synodo Eutyches introductus oblato libello incœpit diluere suam hæresim, & confessionem fidei proponere plenam simulatione, & ambagibus verborum perplexam. Hac Eutychetis defensione perlecta Flavianus dixit: *Adcusator ejus fuit Eusebius, jubete, ut ingrediatur*, at comes Elpidius Imperatoris legatus protestationem interposuit [2].

1. Misit legatos suos hac cum instructione, ut tumultus prohibeant, authores turbarum, si qui extiterint, carceri mancipent, voluit præterea Theodosius, excludendos esse a suffragii jure Flavianum, & ceteros antistites, qui Eutychem Constantinopoli damnarunt.

2. Reponebat enim Elpidius: Imperator jussit, ut qui prius judices fuere, nunc partes agant, adcusator vice sua functus est, dicit, se causa vicisse, itaque judex jam gerit personam actoris, quod & in tribunalibus civilibus usitatum. Hodie convenistis, ut judices judicetis, non ut adcusatorem admittatis, & causam a principio repetatis, sed ut acta concilii Constantinopolitani examinetis.

§. 389. Examen actorum concilii Constantinopolitani institutum, & cum ad illum locum deventum est, quo Eusebius Dorileensis ab Eutychete exegit, ut duos in Christo naturas post Incarnationem confiteatur in clamorem erupit concilium, vociferando, Eusebium Dorileensem qua calumniatorem vivicomburio afficiendum. Minæ atroces Dioscori, & præsentia militum episcopos congregatos adeo terruit, ut omnes Eutychetis partes arripuerint, & unanimiter pronunciaverint: *anathema ei, qui duas in Christo naturas adfirmat.* Eutyches itaque rursus in presbyteratus gradum, & monasterii regimen restitutus est. His non contentus Dioscorus insuper Flavianum, & Eusebium Dorileensem deposuit [1]. Episcopi, qui Flaviano fidem servantes damnationi ejus subscribere noluerunt, in exilium missi, ipse vero Flavianus verberibus adfectus vitæ discrimen subiit, inde in carcerem primo deductus, & dein in exilium missus, ubi tertia die obiit. Soluto concilio Dioscorus illico discessit [2].

1. Pronunciata a Dioscoro in Flavianum sententia plures episcopi genua ejus amplexi rogabant, ut condemnationem revocaret, ipse exiliens, & stans in pedaneo dixit: *Etsi scirem, linguam mihi e gutture exscindendam, non aliud loquerer.* Episcopis porro preces geminantibus, & repugnantis genua tenentibus clamavit: *Luc comites* (vocans nimirum Elpidium, & Eulogium cæsaris legatos). Tunc proconsul stipatus maxima coh rte militum partim gladiis, partim fustibus armatorum, & præparatas catenas gestantium intravit. Ita plerique episcoporum, cum viderent, vim adhiberi, metu fracti, vique adacti in Flaviani damnationem subscripserunt.

2. Hoc concilium communiter adpellant *synodum prædatoriam* (συνοδον ληστρικην), quia omnia vi gesta sunt.

§. 390. Verum scena paulo post mutabatur. Flavianus, & qui eum secuti erant, ad Leonem Pontificem adpellarunt. Cupiebat Leo Papa, ut synodus generalis convocetur; verum Theodosius non tantum noluit ea, quæ in Ephesino latrocinio gesta sunt, retractari, sed etiam lege lata illud firmavit. Theodosio defuncto Marcianus, qui ipsi successit, concilium generale tantopere expetitum quantocyus celebrari curavit *Chalcedone* [1], quod est inter concilia generalia quartum [2].

1. Edixit ab initio Imperator, concilium Nicææ in Bythinia celebrandum fore, ipsum quoque præsentem futurum concilio promisit, cum autem inter hæc perturbari Illyricum ob metum barbarorum imminentium Imperator ex litteris præfectorum accepisset, neque Nicæam se posse conferre, concilium transtulit.

2. Incepta est synodus anno 451. Præfuit Leo Papa per legatos, episcopi interfuere fere 636., ut adeo duplo major fuerit Chalcedoniensium, quam Nicænorum Patrum numerus.

§. 391. Actione prima concilii petentibus legatis Pontificis, decernentibus magistratibus Dioscorus ut judex in synodo sedere prohibitus est, jussus in medio stare, ut reus. Actorem egit Eusebius Dorileensis. Relata sunt acta pseudo — synodi Ephesinæ, dein & concilii Constantinopolitani sub Flaviano. Flavianus, & Eusebius Dorileensis ab hæresi absoluti, Dioscorum Alexandrinum, aliosque latrocinii Ephesini authores deponendos esse pronunciatum ea conditione, *si placuerit divinissimo, & piissimo Domino nostro*, id est, Imperatori, ad quem referendum esse, quid in actione prima actum sit, statuerunt Patres [1].

1. Inde manifestum est, *Marcianum* initio synodi non adfuisse, ut Baronius, & Bellarminus putarunt, non enim necesse fuisset gesta primæ actionis ad eum refferre, si jam tum præsens fuisset.

§. 392. In secunda actione magistratus dixerunt: in sessione præcedenti Flaviani, & Eusebii depositio ad examen vocata est, & probatum ambos contra jura ecclesiastica depositos, nunc vero fidei veritas stabilienda. Nullam aliam regulam fidei recipiendam a Nicæna, in concilio Constantinopolitano adprobata, & explicata, patribus visum est [1]. Lectum itaque symbolum Nicænum, & Constantinopolitanum, duæ epistolæ synodicæ S. Cyrilli, una ad Nestorium, altera ad Joannem Antiochenum, & epistola Leonis Papæ ad Flavianum, in qua mentem suam de duabus in Christo naturis exposuit [2].

1. Cum enim judices interlocuti essent, ut fidei expositio fieret, Patres responderunt: *In scriptis expositionem non facimus, regula est, quæ prædicat, sufficere, quæ sunt exposita. Regula vult, aliam expositionem non fieri. Ea, quæ sunt Patrum, teneantur.* Spectabant prohibitionem factam in Ephesino concilio, in

quo Nestorius damnatus, ne conderetur aliud symbolum fidei, cum symbolum Nicænum a concilio Constantinopolitano magis explicatum sufficiat.

2. Cum hæc Leonis epistola legeretur, episcopi ex Illyrico, & Palæstina ter objectiones in medium adtulerant contra Pontificis verba, sed ad locum primum, & secundum Ætius illis respondit, ostendendo, in variis locis Cyrillum similima adfirmasse, ad locum tertium id ipsum Theodoretus demonstravit. Hæc lectione finita episcopi exclamarunt: „Hæc Patrum, hæc Apostolorum fides est. Hæc omnes credimus, omnes orthodoxi hæc credunt, qui hæc non credit, anathema sit, hæc Petrus per os Leonis locutus est, hæc Apostoli docuerunt." Ex his verbis perperam aliqui theologi Pontifici infallibilitatem vindicare conati sunt.

§. 393. Actione quinta definitio fidei lata est, quæ omnibus Patribus non placuit. Legati Pontificis, & aliquot orientis episcopi multa ad profligandam hæresim, eutychianam deesse contestati sunt; ad id enim satis non esse, ut Christus *ex duabus naturis* diceretur, *sed necesse esse, ut in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, & indivise subsistere diceretur.* Hinc non levis inter Patres orta est dissensio, quam senatores compresserunt decernentes, ut ex diœcesi orientis sex episcopi, & ex qualibet alia diœcesi tres eligerentur, qui cum *Anatholio* in sede Constantinopolitana Flaviani successore, & legatis de definitione scribenda statuerent. Repugnantibus aliis, & tumultuatim vociferantibus nihil definitioni deese, nihil penitus addendum, tandem jussu Imperatoris id perfectum est, & conscripta, receptaque fidei formula hujus tenoris: „*Unum eumdemque Christum, filium, Dominum, unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum* [1]".

1. Lata hac concilii definitione Marcianus leges aliquas contra Eutychianos edidit. Imprimis prohibuit publice de Religione disputare adjectis pœnis, ut clerici deponantur, alii officio, quo funguntur, priventur, alii urbe ejiciantur, addita hac ratione: *quia injuriam infert concilio, qui in disceptionem vocat, quod judicatum est.* Hoc edictum ad cives Constantinopolitanos directum, cum tamen necdum turbulenta ingenia adquiescerent, & quidam publice de mysteriis litigare non cessarent, secuta est prohibitio altera similis priori, & præceptum, ut omnes Concilio Chalcedonensi obediant. Alia lege jubet, ut Eutychiani easdem dent pœnas, quas Apollinaristæ, quorum errores secutus est Eutyches. Eutychinianis nec presbyteros, nec clericos habere liceat, & si spretis legibus episcopos, presbyteros, aliosve clericos ordinaverint, ordinantes, & ordinati bonis eorum fisco addictis proscribantur. Eutychiani nihil testamento legatum sibi adquirere valent, non officio publico fungi, non Constantinopoli degere, aut in quacunque alia Metropoli liceat. Speciatim monachi monasterii Eutychis comprehendantur, & toto Romano imperio ejiciantur. Libri de hac secta tractantes flammis tradantur, qui hanc hæresim alios docuerint, capitis pœna tollantur, discipuli decem libras auri pendant.

§. 394. Non tamen nec per concilium Chalcedonense, nec per leges Marciani Imp. Eutychianorum secta continuo extirpata est, magna enim orientalium, & Ægyptiorum pars concilium Chalcedonense, & epistolam Leonis Papæ, quam concilium adprobavit,

vehementer oppugnabat. Hinc motus funestissimi, & bella civilia fide fere majora. Movebant se contra concilium monachi Alexandrini pro suo in Dioscorum studio, quos tamen datis ad eos litteris blandioribus verbis Marcianus ad officium revocare tentavit. Atrocior fuit monachi in Palæstina *Theodosii* commotio, qui indigne ferens Archimandritam Eutychen, cui erat addictissimus, condemnatum, monachorum Palæstinorum mentes contra synodum excitavit fidem in ea pessumdatam mussitans. In Juvenalem Hierosolymitanum episcopum vesani hominis factio exarsit, mortemque ipsi minata est, nisi fidem catholicam ejuraret. Juvenale, ceterisque episcopis Catholicis depositis suæ factionis homines intruserunt, & instar ferocium belluarum grasati sunt in omnes, qui anathema dicere in synodum Chalcedonensem renuerent. Marcianus Imp. contumaces hos monachos partim mansuetudine mitigare conatus est, partim imperio ad ordinem redegit datis *Dorotheo* Palæstinæ præfecto mandatis, ut Theodosium factionis authorem in vincula conjiceret.

§. 395. Hæc vivente Marciano contingebant. Eo mortuo in Ægypto plebs incitata *Proterium* Dioscori succesorem trucidabat, & *Thimoteum Ælurum* unius naturæ incarnatæ defensorem in ejus locum substituit, qui licet jussu *Leonis* Imperatoris munere pelleretur, tamen sub *Basilico* Imp. illud recuperabat [1]. In Syriam Barsumas Abbas, qui opera Chrysaphii a Theodosio jus suffragii in latrocinio Ephesino obtinuit, quum a Chalcedonensi synodo damnatus fuisset, Eutychis errorem inferebat: idem finitimos Armenos circa annum 460. per discipulum suum *Samuelem* hac imbuebat opinione, quamvis Syri ab errore Eutychis postea aliquantulum deflexerint.

1. Cum enim Basilicus fugato Zenone anno 476. imperium invasisset, eodem Thimotheo Æluro, quem ab exilio revocavit, authore litteras encyclicas ad omnes ubique episcopos misit, quibus & synodum Chalcedonensem, & Leonis epistolam damnavit. Decrevit hac sanctione, ut episcopi omnes anathema dicerent in sacram synodum, ejusque exemplaria ubivis reperta flammis absumerentur, & ut omnes episcopi huic epistolæ encyclicæ subscriberent. Eadem sanctione renovavit Basilicus Theodosii junioris legem acta latrocinii Ephesini confirmantem, & pœnas decernit in eos gravissimas, qui novitatem Chalcedonensem vel nominare præsumpserint, tales enim velut seditioni tum in ecclesia, tum in imperio authores, si episcopi sint, aut clerici deponi, si monachi sint, exilio & confiscatione bonorum puniri jubet. Eamdem pœnam in laicos statuit. Subscripserunt huic epistolæ episcopi circiter quingenti. At Patriarcha Constantinopolitanus *Acacius* subscribere recusavit, recusarunt & quidam monachi Constantinopolitani, plebs quoque Constantinopolitana graviter tumultuare cœpit urbis, ac palatii incendium minitans, si Imperator vim inferre Acacio, & Catholicis perseveraret, quare tertius Basilicus ex urbe regia aufugit. Et cum didicisset, Zenonem adversus se, ex Isauria expeditionem movere, & urbi regiæ cum copiis imminere, metu perculsus una cum uxore, & liberis in ecclesiam venit, se Acacio, & clero excusans, priorem que adversus synodum chalcedonensem latam sanctionem rescindens aliis litteris, quas *anty-Cyclicas* vocavit.

§. 396. *Petrus Gnapheus*, seu *Fullo* (quia qua monachus artem fulloniam exercuit) sedem Antiochenam invadebat, & licet sæpius ex eo dejectus, & damnatus, ideo præcipue, quod synodum Chalcedonensem fortiter oppugnarent, eum tamen authoritate Zenonis, & Acacii episcopi Constantinopolitani denuo obtinuit. Homo ad lites, & turbas serendas natus novæ contentioni locum dabat, & sectam *Theopaschitarum* condidisse dicitur; verbis enim hymni celeberrimi, qui *trisagium* a Græcis adpellatur, *sanctus Deus*, *sanctus fortis*, *sanctus immortalis* hanc formulam addidit: *Qui crucifixus est pro nobis*. Faciebat id absque dubio eo consilio, ut dogma de una natura Christi, cui addictus erat, mentibus hominum altius infigeret. Verum alii, maxime *Felix* Papa, mentem ejus deterius interpretabantur, atque significari ab eo contendebant, omnes tres personas divinas in crucem actas fuisse, qua de causa, qui hanc ejus formulam probabant, Theopaschitæ dicebantur [1].

1. Disputatio hinc nata id efficit, ut occidentales Christiani formulam hanc rejicerent, quam ad totam Trinitatem pertinere judicabant, verum orientales eam perpetuo post hoc tempus sine offensione usurparunt, quia ad unum e Trinitate, Christum, eam referebant.

§. 397. Tot dissensiones, quæ utramque rempublicam misere lacerabant, ut componeret Zeno Imperator, anno 482. *pacis formulam* græce dictam *Henoticum*, Acacio episcopo Constantinopolitano suadente, dissidentibus proponebat. Repetebat hæc pacis formula, & inculcabat, ea omnia, quæ in quatuor hucusque celebratis conciliis generalibus contra Arianos, Macedonianos, Nestorianos, & Eutychianos sancita erant: concilii vero Chalcedonensis nullam mentionem faciebat, persuasit enim Acacius Zenoni, bellum non contra decretum hujus concilii, quo Eutyches damnatus, sed contra ipsum tantum concilium geri.

1. Inde evidens fit, Henoticon Zenonis Eutychianum errorem non adstruere, imo potius damnare, itaque Baronius ad annum 482. false asserit, Zenonem semper fuisse hæreticum, qua in re eum recte emendat Natalis Alexander. Non tamen in eo Natali Alexandro assentiri possum, quod Henoticum eo ex capite reprehensione dignum existimet, quia Imperator qua laicus decretum de fide edidit; nam ad jura pertinet majestatica dogmata fidei ab ecclesia, & conciliis generalibus definita, ac declarata legibus confirmandi. Politica œconomia usus videtur Zeno, quod Eutychen quidem damnaverit, concilium vero Chalcedonense tacite reprobare visus fuerit, quod illud enim reipsa non rejecerit, ostenditur ex epistola illius post promulgatum Henoticum ad Papam Felicem data, in qua ita loquitur: *Pro certo habere debes, & pietatem nostram — — —, & universas sacrosanctas ecclesias sanctissimum concilium Chalcedonense amplecti, atque venerari, quod cum fide Nicæni concilii prorsus consentit.*

§. 398. *Monophysitarum* haud modica pars *Petrum Moggum*

Alexandrinæ sedis Patriarcham, qui *Henòticum* receperat, magnum admisisse facinus putabat, & novam idcirco factionem condebat, quæ *Acephalorum* vocabatur, eo quod capite orbata erat, cum nullum agnosceret Patriarcham[1]. Felix autem II. Papa (vel III. hujus nominis, si ille Felix, qui Liberio exulante romanam tenuit sedem, Pontificibus adnumeratur) *Acacium* Constantinopolitanum antistitem *Henotico* faventem ecclesiæ communione ea de causa ejecit, quia Monophysitis, eorumque ducibus favebat, decreta vero concilii Chalcedonensis contempserit.[2]

1. Acephali alio quoque nomine ab eorum authore Severo *Severiani* dicebantur, & in sectam *Barsanuphytarum*, *Esaianistarum*, quia in plures nomine tantum inter se divisas sese dividebant.

2. Alii tamen hoc tantum peccasse Acacium contendunt, quod principatum Romanum atterebat, Constantinopolitani contra Antistitis dignitatem præter omnem modum proferre studebat. Sed quidquid interim sit, vicit tamen Romanorum constantia, ejusque nomen de sacris sublatam est tabulis.

§. 399. Cum ultimis seculi quinti annis imperium adeptus fuit *Anastasius* Eutychianorum sectæ adictus, persequi Catholicos cœpit, Monachi, ceterique, qui se iis jungebant, patrocinio aulæ nixi nemini, qui concilium Chalcedonense venerabatur, parcebant. At cum nec Catholici suis defuissent partibus, seque adversariis opposuissent, sæpius ad arma ventum est, quibus in tumultibus etiam ædes sacræ cædibus prophanabantur[1].

1. *En el siglo siguiente en tiempo de Justino el mozo y Justiniano continuó el eutichianismo haziendo progresos en la iglesia y turbando el reyno. Extendiose por la Persia y otras regiones del Oriente, donde dió origen á una nueva secta que mas adelante se acrecentó y todavia, aunque sin consideracion, se mantiene con el nombre de Jacobitas. Los Eutichianos de Persia y de la Siria tomaron este nombre de Jacobo Baradeo, por otro nombre llamado Zangales ó Zanzales, el cual era un obispo de Edessa, fundador que fue de esta secta, despues que en tiempo de Justiniano fue expelido de su obispado. (Ducreux)*

§. 400. Pelagius in Britania parentibus obscuris natus hinc non statim in primis annis bonis litteris imbutus. Institutum monasticum amplexus ex eorum tamen monachorum genere, qui non cœnobiticam in monasterio quodam, aut eremiticam in dissertis locis, sed suis in ædibus vitam monasticam agebant. Laicus mansit multo tempore Romæ moratus, & plurimis notus magnæ virtutis opinionem aliis de se creavit, & ipse S. Augustinus eum magni fecit. Viris doctis quoque accensebatur[1]; nam nonnulla opera utilia conscripsit, scilicet tres libros de Trinitate, & textuum ex scriptura ad mores pertinentium collectionem. Dum Romæ versaretur, in hæresim contra gratiam incidit.[2] Inter Pelagii discipulos eminuit præprimis *Cœlestius*; tantam enim propagandæ pelagianæ hæresis dedit operam, ut illius sectæ homines *Cœlestiani* quoque dicerentur[3].

1. De Pelagii, ac Cœlestii ingenio, doctrinaque dissentiunt inter se Augustinus, & Hieronymus. Hic Pelagium vocat *indoctum calumniatorem*, & ejus stylum *putidum*, & *elinguem*, Augustinus vero tum Pelagii, tum Cœlestii ingenium plurimum dilaudat, Pelagium vocat *acutissimum*, & Cœlestium *hominem acerrimi ingenii*, *qui si corrigeretur, plurimis profuisset*. Paulo acerbior videtur Hieronymus, dum contra adversarios agit, & pro innata asperitate sua sic in eos fertur, ut nihil in ipsis ferendum, & multo minus laudandum putet. Pelagii ingenium eruditionem, ac sermonis elegantiam a S. Augustino non temere laudari testatur epistola Pelagii ad *Demetriadem* virginem data, quæ digna quibusdam visa est, ut Ambrosii, Hieronymi, aut Augustini censeretur, & inter eorum opera extaret.

2. A quodam Syro, cui nomen Rufinus seductus; nam error iste jam in oriente serpebat, hunc *Theodorus* episcopus Mopsuestensis docebat, cujus initium ad Origenis tempora referebatur.

3. Nobilis fuit Cœlestius genere, eunuchus natus. Postquam aliquamdiu in foro causas dixerat, monasterium ingressus est, unde tres ad parentes epistolas dedit, nihil aliud, quam exhortationem ad virtutem continentes.

§. 401. A quibus poterat episcopis litteras amicas Pelagius suffurabatur. Ad S. Augustinum epistolam dedit honorificam, qua in ejus amicitiam irreperet, eaque posset aliquando gloriari. Tempore collationis Chartaginensis cum Donatistis Pelagium viderat, & ex facie noverat Augustinus, & jam aliquid de ejus hæresi inaudierat, ut ipse testatur *L. de gestis Pelagii C.* 22. Epistolam ad ipsum rescripsit Augustinus urbanitate, & christiana charitate plenam, qua sine comotione quæstionis ipsum de gratia recte sentire admonet.

§. 402. Julianus quoque hæresis pelagianæ sectator, & defensor acerrimus fuit. Scripsit duodecim libros pro sua hæresi; quatuor nimirum, quibus impugnat opus S. Augustini de nuptiis, & octo contra librum Augustini de *concupiscentia* [1].

1. In Apulia ex illustri genere natus erat. Lectoris officio in ecclesia paterna fungebatur, dein adhuc juvenis ordinatus in episcopum Eclanensem, fuit in profanis, & sacris litteris eruditus, præferebat pietatis speciem, elemosynas liberali manu erogabat, & hac miserationis specie multos viros nobiles, & religiosos ad suas partes traxit.

§. 403. Duo Pelagianorum erant errores: primus, contra peccati originalis propagationem, quam inficiabantur, contendentes, Adamum, & Evam sua transgressione sibi tantum nocuisse, & nulli alteri. Alter fuit circa necessitatem gratiæ supernaturalis [1] ad opera salutaria.

1. Identicam, & ridiculam de gratia definitionem communiter proferunt Theologi dicendo, *gratiam esse dona gratis nobis a Deo collata* (Gazzaniga Theol. dogm. Tom. 3 de gratia) quo in luto omnes de grege scholasticorum hærent, *gratia* enim, & dona *gratis data* identica sunt. Genuinam gratiæ notionem in mea Theol. dogm. Tom. 2. §. 128. seq. ex notionibus ontologicis ita evolvi Gratia in genere *est beneficium, cujus conferendi ratio sufficiens non est in eo cui*

confertur, beneficium autem est omne id ab alio nobis collatum, quo status noster sive internus, sive externus perficitur. Quod quidem eo ex fine hic loci monendum esse duxi, quia genuina gratiæ notio ad profundius perspiciendum systema, & periodos hæresis pelagianæ non parum confert.

§. 404. Error Pelagianorum de gratia in plures *status*, seu variationes distingui solet. In primo, & secundo statu nullam gratiam interiorem agnoverant, nec ulla circa hoc est eruditos inter dissensio, constat enim Pelagium tantas enim post lapsum Adæ libero arbitrio tribuisse vires, ut quemadmodum ad malum, ita & ad bonum sibi abunde sufficeret, adeo ut possit homo si vellet, ad perfectam *αναμαρτησιαν* (*impeccabilitatem*), & *απαθειαν* (*immunitatem a passionibus*) pervenire, atque in primis hujus hæreseos incunabulis nulla invenitur gratiæ mentio, post autem ad declinandam Catholicorum invidiam Pelagius gratiam confiteri cœpit, sed hoc nomine nihil aliud significabat, quam liberum arbitrium nobis a Deo concessum, quod sicut creatio est gratia naturalis tantum[1].

1. Vix tamen credendum, Pelagium in hoc primo hæresis suæ exordio exclusisse quamcunque legis cognitionem, neque enim adeo stupidus erat, ut non videret ad malum declinandum, bonumque operandum necessariam omnino esse cognitionem legis sive naturalis, sive positivæ, illius quidem per lumen naturæ, istius autem per revelationem, quamvis fortasse hanc legis cognitionem gratiam non adpellavit, nisi postquam clamoribus Catholicorum se ut inimicum gratiæ ubique adcusari agnovit. Ab hoc primo hæreseos pelagianæ statu non differt ille, quem alii *semi-ethnicismum*, vel ad summum *judaismum* vocant, eo quod non alia in eo statuatur gratia, quam vel ipsi Ethnici fatebantur, nempe liberum arbitrium, & legem naturalem nobis a natura ipsa inditam, vel addebatur lex revelata, qua nec Judæi carebant.

§. 405. Alter pelagianæ hæresis status videtur fuisse, quando a Catholicis premebatur, ut veram Christi gratiam admitteret, quæ nec natura, nec legis cognitio esset. Tunc recte sentire visus est, imo palam dicere non dubitavit: "Anathema, qui vel sentit, „vel dicit, gratiam Dei, qua Christus venit in hunc mundum „peccatores salvos facere, non solum per singulas horas, aut per „singula momenta, sed etiam per singulos actus non esse necessariam." His autem verbis, ut Augustinus observat, tria intelligebat, in quibus gratiam Christi reponeret, nempe continuam memoriam remissionis peccatorum per Christum factæ, ut semper in memoria tenentes, & reminiscentes, dimissa nobis esse peccata, non peccemus ulterius, secundo, doctrinam evangelicam, quam Christus nos docuit, & suis miraculis confirmavit, & tertio exempla, quibus idem salvator, legislator, ac magister nos ad omne opus bonum informavit.

§. 406. Inde adparet, quod omnes gratiæ, quas in primo, & secundo statu admisit, exteriores tantum sint. Cum Catholicorum argumentis pressus fuerit, ut gratiam internam admittat,

tandem aliquam fassus est, & hic est tertius status hæresis Pelagii. Porro cum duplex sit gratiæ internæ effectus, nempe intellectus illustratio, & voluntatis motio, Pelagius solam intellectus illustrationem admisit [1].

1. Exorta est inde inter eruditos quæstio, num istam gratiam *necesariam* esse dixerit ad bonum operandum, an vero solum *utilem*? qua de re pronunciare est difficile, cum Angustinus ipse, quo nemo melius mentem Pelagii intelligere potuit, se hac in parte dubium ostendat.

§. 407. In ultimo tandem statu, seu periodo (quam *semi-christianismum* quidam cum Jansenio vocant), aliquam gratiam voluntatis admisisse, non tamen ut omnino necessarium, neque etiam mere gratuitam *probabile* est [1], certam enim veritatem hac in re eruere admodum est arduum.

1. Fere constat apud eruditos, Pelagium ante solemnem ejus hæresis condemnationem nunquam gratiam voluntatis, & actionis fuisse confessum. Nempe ut Augustinus refert: Pelagius tria distinguebat in divinis mandatis implendis *possibilitatem*, *voluntatem & actionem* „*possibilitatem* scilicet, qua *potest* homo esse „justus: *voluntatem*, qua *vult* esse justus; *actionem*, qua *est* justus: horum trium „primum confitebatur datam naturæ a creatore, nec esse in nostra potestate, „sed eam nos habere, etiamsi nolimus, duo vero reliqua nostra esse asserebat. „ Porro possibilitatem non solum a Deo esse, sed etiam divina gratia continuo adjuvari Pelagius non invitus docuit, scilicet legis cognitione, memoria remissionis peccatorum, doctrina, & exemplo Christi, nec non internis quibusdam intellectus illustrationibus, ut supra explicatum est. Talis fuit pelagianæ hæresis status usque ad ejus condemnationem, ut colligitur ex libro *de gratia Christi*, in quo Augustinus, quidquid Pelagius ante damnationem sui erroris scripsit, diligentissime examinavit. Post vero condemnationem conciliorum Pelagiani deterriti quasi quibusdam gradibus a primo systemate recessisse videntur ita, ut præter gratiam possibilitatis etiam quamdam internam voluntatis, & actionis gratiam admiserint, quamquam in hoc etiam statu a veritatis tramite aberraverint, putantes, hanc voluntatis, & actionis gratiam nec necessariam, sed solum valde utilem, & nostris meritis præcedentibus redditam. Porro probabile esse Pelagianos post eorum condemnationem, seu in ultimo statu gratiam voluntatis, & actionis, seu gratiam voluntatem moventem admisse, hæc sunt fundamenta: Augustinus in suis contra Pelagianos scriptis usque ad universalem hujus hæreseos condemnationem in id potissimum insudavit, ut gratiam voluntatis, & actionis adstrueret, postea autem totus esse videtur in ea gratia adserenda, quæ merita nostra prævenit, ex quo luculenter colligitur, totam belli sumam in eo postea fuisse, non utrum admitti debeat gratia voluntatis, sed an hæc gratia merita nostra præveniat? Sane Augustinus Lib. de dono persever totam disputationis molem cum Pelagianis ad hæc tria capita revocat: de gratiæ *gratuitate*, de vita Sanctorum *sine quibuscunque peccatis*, & de peccato *originali*. „Tria sunt „(ait Aug.) quæ maxime adversus eos catholica defendit ecclesia, quorum „est unum gratiam Dei non secundum merita nostra dari, — — — alterum „est in quantacunque justitia sine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibile „corpore neminem vivere, tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi „hominis.„ Omisissetne Augustinus illud ecclesiæ dogma, gratiam non solum intellectum illustrare, sed etiam voluntatem movere, si illud adhuc negare perexissent Pelagiani? His accedit, quod nulla videatur ratio cur Pelagiani interiorem gratiam admitterent, qua intellectus illustratur ad *cognoscendum* bonum, negarent autem gratiam, qua voluntas ad ipsum bonum *amplectendum* moveretur. Homines enim acutissimi, cujusmodi erant Pelagiani, ignorare non poterant, multo esse difficilius bonum amare, & amplecti, quam cognoscere juxta illud poetæ: *Video meliora, proboque, deteriora sequor.* Neque ea argumenta, quæ Tournelius profert, ut probet, Pelagium gratiam voluntatem moventem nunquam

admisisse, nos commovere debent, omnia enim desumpta sunt ex libro Augustini de *gratia Christi*, in quo non loquitur, nisi de scriptis Pelagii, quæ generalem illam ejus hæresis condemnationem præcesserunt.

§. 408. Pluribus in conciliis Pelagiani damnati sunt. Prima synodus contra Cœlestium habita est Carthagine anno 412. actore *Paulino* S. Ambrosii diacono, qui illum ut hæreticum ad Aurelium episcopum Carthaginensem detulit. Sex erroris capita Cœlestio objecta, qui convictus anathemate confixus, & excommunicatus est, quam sententiam ut declinaret, ad romanam sedem appellavit, inde in Africam profugit, ubi per obreptionem presbyter ordinatus est [1].

1. Augustinus huic concilio non interfuit, neque ante hoc concilium contra Pelagi annos scripsit.

§. 409. Anno 415. celebratum est concilium quartuordecim episcoporum in urbe *Diospoli* (quam ex scriptura sub nomine Lidda novimus), in quo duo episcopi Gallicani *Eros*, & *Lazarus* obtulerunt adcusationis libellum contra Pelagium , & Cœlestium, quem latine conscriptum *Eulogio* concilii præsidi tradiderunt , ipsi vero constituta die comparere non poterant, quod alter eorum in gravem morbum incidisset. Econtra Pelagius adfuit ut objecta dilueret, quod eo facilius potuit, cum nullum actorem sibi haberet oppositum; ut enim Catholicum se probaret, objecta sibi capita dubia, & ambigua responsione exposuit, qua in re eo faciliorem habuit exitum, quod a judicibus Græcis linguæ latinæ ignaris nonnisi per interpretem caperetur. Ita aut favente sibi interprete, aut quod in ejusmodi occasionibus est frequens , obscurum per se sermonem obscurius interpretante Patres Diospolitanos fefellit, & ab iis non rite intellectus Catholicus pronunciatus est [1].

1. Post synodum Pelagianorum cohors conspiratione facta in monachos Hieronymi curæ subditos scelerat issima cæde grassata est, diaconum occidit, ignem admovit monasteriis, vixque incolumis Hieronymus ipse evasit in turrim munitiorem se recipiens, ut testatur Augustinus Libro de gestis Pel. cap. ult.

§. 410. Missis ad Aurelium Carthaginensem episcopum ab *Orosio* Gallicanorum episcoporum Erotis, & Lazari litteris, & Palæstinorum Diospoli gestorum facta relatione Aurelius Carthagine synodum congregavit anno 416. cui episcopi sexaginta octo intererant. Recensita sunt, quæ ante quinquennium in causa Cœlestii gesta fuerant in priori synodo Carthaginensi. In ipsum, ejusque magistrum Pelagium lata est damnationis sententia, datisque ad Innocentium Papam litteris eum Patres roga-

runt, ut Synodi gesta confirmaret. Eodem anno Synodus *Milevitana* sexaginta unius episcoporum contra Pelagianos celebrata est, nihil tamen in ea contra Pelagium, & Cœlestium fuit decretum, quamquam eorum causa discussa sit, sed eos ut hæreseos authores ad Innocentium Papam detulerunt. Innocentius itaque acceptis horum synodorum relationibus duos palmares Pelagianorum errores damnavit, alterum de necessitate gratiæ, alterum de infantum baptismo ob peccatum originale [1].

1. Acceptis Innocentii rescriptis pronunciavit Augustinus, serm. secundo de verbis Apostol. *causa finita est.* Qui Pontificem in fidei quæstionibus infallibilem putant, inde argumentum suæ sententiæ deumunt, ac si Augustinus ideo, quod Papam infallibilem putavit, dixisset: *causa finita* est; verum longe aliam, ac isti volunt, Augustini fuisse mentem, ex his patet S. doctoris verbis: „Fuit aliquando de baptismo dubitatio: *qui diversa senserunt, in unitate manserunt.* „Ea dubitatio procedente tempore (plenario nempe concilio) sublata est. Quæs„tio, quæ tum *nondum finita* Cyprianum non deterruit, ut recederet, vos fi„nita ut recedatis, invitat" (Vid Bossuet in defens. declarat. cler. gallic.)

§. 411. Pelagius auditis iis, quæ tum in Synodis acta, cum ab Innocentio rescripta erant, ad eumdem Pontificem epistolam scripsit, missoque fidei libello, quem symbolum inscripsit ab hæresis labe se purgare conatus est. Interim Cœlestius quoque Constantinopoli, quo confugerat, ejectus, Romam tota festinatione perexit. Sedebat dum Romam venit, in sede Petri Zozimus, cui querimonias detulit contra Erotem, & Lazarum suum, ac Pelagii accusatores, & contra Africanorum synodorum judicium, ipsique fidei libellum obtulit. Zozimus congregato Romæ concilio libellum Cœlestii legi jussit, peccatum quidem originale Cœlestius in eo libello negavit, sed ut hæreseos invidiam declinaret, professus est se paratum emendare errorem, si quis ex ignorantia obrepsisset. Isti tam sinceræ, ut videbatur, fidei professioni credens Papa libellum ejus Catholicum existimavit. Itaque Cœlestium calumniis impetitum, & innocentem esse suspicatus litteras dedit ad Aurelium, aliosque Africanos episcopos, eos increpans, quod solis litteris Erotis, & Lazari facinorosorum antistitum, exauthoratorum, & absentium quidem tantam fidem in re tanti momenti adhibuissent. Post duos menses cum epistolam Pelagii ad Innocentium datam, & ejus fidei professionem Zozimus recepisset, easque publice convocato clero legi jussisset, magnam de Pelagii æque, ac Cœlestii orthodoxia concepit opinionem, & alteram ad eosdem episcopos Africanos epistolam dedit non minus acrem.

§. 412. Acceptis litteris Zozimi Aurelius episcopus Carthaginensis anno 417. ex omnibus Africæ provinciis synodum convocavit, ex qua Africani Patres litteras ad Zosimum dederunt,

quibus ipsum rogabant, ut nihil de antecessoris sui Innocentii, & Africanarum synodorum contra Pelagianos sententia immutaret, sed omnia in eodem relinqueret statu, donec e suis aliquem Romam mitterent, cum idoneis causæ instrumentis, quibus hæreticorum artes detegerentur. Acceptis his Africanarum synodorum relationibus Zozimus Cœlestium ad pleniorem audientiam vocavit, ut hæretici dogmatis capita ab Africanis missa palam, & absque tergiversatione damnaret, at ille videns artes suas hæresim occultandi detectas se subduxit examini, ac Roma fugit, quare Zozimus ipsum, & Pelagium damnavit, tractorias ad totius orbis episcopos mittens litteras, quæ summo totius orbis Christiani consensu sunt acceptæ, & hæresis Pelagii ubique damnata [1].

1. Non solum Pontificum constitutionibus, & synodorum decretis, verum etiam legibus Imperatorum Pelagiani prostrati sunt. *Honorius* Imp. Ravennæ anno 418. statuit Cœlestium, & Pelagium Roma expelli, eorum vero sectatores ubique, & a quocunque legitime adcusatos, & convictos exilii deportatione damnari. Statuit etiam, ut Pelagii, & Cœlestii damnationi suscribere nolentes episcopi deponantur, & in perpetuum communione priventur. ita Imperator synodorum decreta executioni mandavit. Anno Christi 421. *Constantius* in consortium imperii ab Honorio adscitus. Cœlestium, qui Epheso ejectus, & in Italiam reversus se urbi insinuaverat aliosque Pelagianos Roma expelli jussit. Anno 425 *Valentinianus* III. a Theodosio designatus, sed nondum inauguratus Imperator constitutionem contra Pelagianos edidit, seu potius ejus nomine Placidia Augusta mater ejus imperium occidentis regens (nondum enim septennis Princeps erat) ut episcopi Pelagii dogmata sequentes conveniant. & nisi intra viginti dies ex conventionis tempore errata corrigerent, expellerentur, in eorum vero locum episcopi Catholici subrogarentur.

§. 413. Erumpebant circa annum 427. subtiles quidam, & acuti homines, qui se damnare Pelagii errores quidem profitebantur, Augustino tamen plene subscribere recusantes [1] mediam quamdam inter Pelagii, & Augustini dogmata viam sibi aperire tentabant. Et quia re diligenter excussa adparuit, eos saltem *ex parte* Pelagio consentire, inde *Semi-Pelagiani* dicti.

1. Discededi ab Augustino nulla alia ipsis causa fuisse videtur, quam prædestinatio gratuita ad gratiam, & gloriam, quæ sit independenter a prævisis meritis, quam Augustinus contra Pelagianos fortissime defenderat; hanc enim removere industriam, incremento sanctitatis valde obsistere, atque hominum securitatem nutrire, lapsisque curam resurgendi adimere arbitrabantur.

§. 414. Semipelagiani a Pelagio in duobus punctis dissentiebant: primo quod peccati originalis transfusionem confitebantur, secundo quod gratiæ actualis, & interioris necessitatem ad opera perficienda prædicabant, at econtra cum Pelagio in eo conveniebant, quod crederent, aliquod initium boni operi in nobis præcedere gratiam, cujus intuitu Deus conantibus, volentibus, merentibus gratiam suam abunde largiretur, hoc enim

posito omnes illæ difficultates evanescebant quibus ab Augustini doctrina absterrebantur [1].

1. Hoc tamen boni operis initium aliqui plus, aliqui minus extendebant, quidam enim Pelagio propius accedentes in oratione ponebant, quam soli liberi arbitrii viribus ad gratiam promerendam a quolibet posse adhiberi censebant, alii vero non nisi quædam pia desideria salutis, aut pios credulitatis affectus gratiam præcedere dicebant.

§. 415. Quod de fidei, bonorumque operum initio, idem de perseverantia usque in finem docebant. Siquidem & perseverantiam finalem sic in nostra esse potestate docebant, ut eam donum Dei esse non putarint, quod quidem erat eorum doctrinæ congruentissimum [1]. Negabant ulterius, certum, & definitum esse salvandorum numerum [2]. Demum cum exemplo parvulorum premerentur, quorum alios sine baptismo perire justo Dei judicio, alios salvari gratuita Dei bonitate sine ullis eorum meritis luculenter adparet, illud excogitarunt absurdum: *tales perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus scientia divina præviderit* [3].

1. Si enim perseverantiam usque in finem a Dei voluntate pendere cum S. Augustino docuissent, iterum difficultates omnes recurrebant, nempe in teporem, & desperationem homines induci, cum nec ille possit ullo modo excidere, cui Deus ab æterno perseverantiæ donum gratuito concedere decrevit; nec ille salutem adipisci, qui ad tale donum prædestinatus non fuerit. Hinc consequenter quemadmodum *initium* boni operis, ita *perseverantiam* usque in finem a nostra libertate pendere volebant. Cujus naturale erat consectarium, prædestinationem tum ad gratiam, tum ad gloriam non esse gratuitam, sed fieri dependenter a prævisis meritis.

2. Quod tamen solummodo intelligendum est de certitudine orta ex prædestinatione, quæ humanas præveniret voluntates, non autem certitudidem ortam ex præscientia futurorum.

3. Cum Augustinus ad hunc errorem convellendum usus fuisset testimonio ex Lib. Sap. Cap. 4. v. 14. *Raptus est ne malitia immutaret intellectum ejus*, quo declaratur, tantum abesse, ut futura mala Deus in parvulis puniat, quin potius eos rapiat, ne in mala labantur, Semipelagiani eum librum ut apocryphum respuebant.

§. 416. Primi, quibus Semipelagianismus in mentem venit, erant presbyteri Massiliæ congregati, qui propterea *Massileenses* primum dicti, quibus accedebant monachi *Adrumetini* [1]. Imo & S. Augustinus, antequam episcopus esset, quo tempore hæresis Pelagii nondum erat exorta, Semipelagianus fuit, ut ipse fatetur in Lib. de prædest. sanct. cap. 3. *Fidem, qua in Christum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis in nobis esse* putabat. Si Jansenio credimus, ipse Hieronymus, dum contra Pelagianos pugnabat, in Semipelagianismum incidit, quod ex his ejus verbis L. 3.

dial. advers. Pelag. init. colligit: »ut nostrum sit rogare, illius »tribuere, quod rogatur, nostrum incipere, illius perficere, nos»trum offerre, quod possumus, illius implere, quod non possumus.» qua de re tamen ulterius inquirere non vacat.

1. Nam in monasterio Adrumetino monachus nomine Florus cum monacho Felice Uzalam profectus ibidem invenit S. Augustini epistolam ad *Sixtum* datam, quam descripsit, eamque Carthaginem ex Uzala commigrans socio suo Felici reliquit. Felix epistolam in monasterium Adrumetinum adlatam confratribus suis prælegere cœpit, hanc cum Adrumetini monachi perlegissent, nec ejus sensum assequerentur, plerique eam in sensus ab Augustini mente prorsus alienos deturquebant putantes per gratiam ab Augustino assertam liberum arbitrium tolli. Abbas horum monachorum *Valentius*, ut motus eorum sedaret, quosdam ad *Evodium* episcopum Uzalensem mittere statuit, qui ad Valentinum, & monachos ejus rescripsit pacem suadens, nec tamen inquietis fratribus hac ratione factum est satis, Augustinum adire, & præsentem consulere voluerunt. Qui itineri se dederant, duo juvenes erant *Cresconius*, & *Felix*. Hi advenientes Hipponem statum quæstionis Augustino exposuerunt, qui ut totam horum monachorum dissensionem componeret, ipsis concordiam liberi arbitrii cum gratia exponere statuit. Ideo librum ad illos scripsit de *gratia*, & *libero arbitrio*, quem Cresconio, & Felici una cum epistola ad Valentinum & omnibus instrumentis causam pelagianam spectantibus tradidit perferendam. Hujus libri lectio novo dedit occasionem errori; cum enim omnia opera bona Dei dona esse in eo sæpius inculcet Augustinus, quidam monachorum id legens in eum prolapsus est errorem, ut neminem corripiendum esse diceret, si Dei mandata non facit, sed pro illo, ut faciat, tantummodo orandum. Id Augustino Valentinianus nuntiavit per Florum monachum, quo comperto Augustinus elucubravit librum *de correptione & gratia* ut plenius Adrumetinos fratres instrueret, in eo necesitatem, ac utilitatem, correptionis exponit, tametsi bona opera dona Dei sint.

§. 417. At majori libertate Semipelagianismus prodivit in Gallia authore *Cassiano* Abbate monasterii S. Victoris ab ipso Masiliæ constructi. Hic in lucem edidit famosas *collationes Patrum* in quibus & præcipue in collatione decima tertia Semipelagianismum docuit. Sub hoc duce Semipelagiani in sectam coaluisse videntur. Inter eos autem omnium maxime excelluit *Faustus* Rejensis episcopus antea Lyrinensis Abbas [1]. Hunc sequitur *Gennadius* Massileensis presbyter, magnus Semipelagianorum fautor [2], aliique [3].

1. Is in primis S. Augustini doctrinam ut erroris suspectam ausus est vellicare, deinde eam aperta fronte impugnavit in duobus libris de gratia, & libero arbitrio. Hac de causa illius opera non minus quam Cassiani fuerunt a Pontificibus Gelasio, & Hormisda confixa.

2. Gennadius in suo libro de *viris illustribus* Fausti libros semipelagiana labe infectos tanquam opus *egregium* extollit, opuscula autem Cassiani a Gelasio damnata ab ecclesia *ut salutaria adprobari* mentitur. Augustino autem obloquitur, cui multa scribenti illud adaptavit: *In multiloquio non deerit peccatum.*

3. Numeratur quoque in Semipelagianorum factione *Vincentius* quidam, quem bene multi existimant esse celebrem illum Vicentium Lirinensem (§. 329.) doctrina, & sanctitatis fama celebrem, duplicis adversus hæreticos com-

mentarii authorem. *Honoratus* etiam Masileensis episcopus multa Semipelagianismi suspicione laborat.

§. 418. Semipelagianorum non minus quam Pelagianorum impugnator præcipuus habendus est S Augustinus, tum propter duos illos egregios libros, quos a Prospero, & Hilario rogatus elucubravit *de prædestinatione Sanctorum*, *& de dono perseverantiæ*, in quibus prudentum judicio se ipsum superasse dicitur, tum quia etiam post Augustini mortem nonnisi ejus scriptis impugnata, & post centum fere annos extincta est post Augustinum præcipui contra eos pugnarunt *Prosper*, *& Hilarius*, laici quidem, attamen doctrina nemini secundi, quorum prior multis operibus tum ligata, tum soluta oratione contra illos inclaruit. His jungendus *S. Fulgentius* Ruspensis episcopus, ac præcipue *Cæsarius* episcopus Arelatensis, quo maxime curante ultimam Semipelagianismus cladem accepit [1].

1. Advertens enim hic egregius gratiæ defensor, Semipelagianos viribus quotidie augeri, Felicis IV. Papæ auxilium imploravit, qui nihil moratus quædam capitula suam, & Romanæ ecclesiæ fidem continentia ei misit, tunc Cæsarius occasione. qua plures episcopi Arausicæ ad novi templi dedicationem conveniebant, concilium celebravit, in quo contra Semipelagianos canones expressis ferme Augustini verbis concepti sunt. Itaque anno 529. in hac synodo *Arausicana* Semipelagianorum hæresis damnata est. *Este nombre de Semipelagianos es muy moderno, lo mismo que el partido de donde trae su origen. Lo usaron los teólogos escolásticos y ha adquirido importancia en las controversias teológicas.* (*Mosheim.*)

§. 419. Hæresi Pelagianæ, & Semipelagianæ e diametro opponitur *prædestinatiana.* Ut enim Pelagiani, & Semipelagiani in extollendis plus æquo viribus liberi arbitrii, & gratia deprimenda errabant, ita ab opposito Prædestinatiani talem vim gratiæ prædicabant, ut nihil libertati in negotio salutis tribuerunt, unde fatalis consequebatur necessitas, ex qua radice & ille pullulabat error, quod sicut aliqui absoluto Dei decreto ad salutem prædestinati sunt, sic contra alii ineluctabili decreto sint prædestinati, ut necessitate ad damnationem pertraherentur. Sunt, qui existimant, nullam unquam extitisse hæresim prædestinatianam, sed a Semipelagianis S. Augustini discipulos invidiose Prædestinatianorum nomine traductos fuisse, alii contra putant, eam in monasterio Adrumetino erupisse [1].

1. Jacobo *Sirmondo* visum est. jam ab anno 424. Augustino adhuc vivente hæresim prædestinatianam in monasterio Adrumetino erupisse; post autem ex Africa migrasse in Gallias, ac contra ipsum Prosperum, & Hilarium ab Augustino opem implorasse, eosdemque post Augustini fata Romam se contulisset ut contra illam adhuc in Galiis grasantem *Cœlestini* zelum accenderent (*in hist. hæres. prædest. cap. primo seq.*) sed hæc scripsit Sirmondus *effœta jam ætate*,

inquit Norisius, & admodum paucis potuit suam sententiam probare nec etiam difficile est ostendere, monachos Adrumetinos non fuisse Prædestinatianos, sed Semipelagianos; nam ad eos erudiendos Augustinus scripsit librum *de gratia, & libero arbitrio*, ergo illi errori adhæserunt quem Aug. in citato libro refutat, jam vero Aug. non refutat errorem Prædestinatianorum, sed Semipelagianorum. Nam cum legissent ejus epistolam ad Sixtum, putarunt sic defendi Dei gratiam ut negetur libertas, illi contra sic defendebant liberum arbitrium, ut Dei gratiam negarint, adserentes eam secundum merita nostra dari, & hac de causa Augustinus ad illos scripsit librum de gratia, & libero arbitrio, ut ipse testatur in L. 2. Retract. cap. 66. Massilienses quoque presbyteros in Gallia Semipelagianos fuisse, non Prædestinatianos ut aliqui putant, colligitur ex epistolis Prosperi, & Hilarii ad Augustinum, tum ex duobus libris *de prædestinatione sanctorum*, quos hac occasione scripsit Augustinus. Prosper enim, & Hilarius in suis ad Augustinum epistolis contra Massilienses qua Semipelagianos, non qua Prædestinatianos loquuntur, quod nimirum in Augustini scriptis reprehendant prædestinationem gratuitam, *qua videtur rem veri industria, tolli virtutes, & fatalis induci necessitas*, contra quos Augustinus in libro de prædest. Sanct. gratiæ gratuitatem *demonstrat*, & etsi pro libertatis defensione aliqua admisceat, ita non agit ad Prædestinatianos confutandos, sed ad hujus erroris suspicionem a se removendam. Inde autem deducitur, seculo quinto nullam fuisse hæresim prædestinatianam, quamvis enim *Lucido* presbytero sex tribuisset dogmata prædestinatiana Faustus Rejensis episcopus Semipelagianus, ac in Synodo tum Arelatensi, tum Lugdunensi idem Lucidus eam ob causam damnatus fuerit, quia non tantum prædestinationem ad gloriam, sed etiam ad damnationem omnino gratuitam ante prævisa demerita prædicabat, minime tamen inde conficitur, sectam prædestinatianam jam tum extitisse, *sectæ enim* formandæ non unus, vel alter sufficit. (*Nat. Alex. Card. Ursius, Norisius &c.*)

§. 420. Seculo sexto ortæ sunt *lites origenianæ*, quæ novam rursus contentionem post se trahebant. Multis enim licet decretis confixus esset Origenes, nullus tamen modus multorum, præcipue monachorum, amori in eum poni potuit. In oriente, Syria imprimis & Palæstina, quæ præcipua Origenismi sedes erat, adeo vehementer monachi, adsentiente iis præprimis *Theodoro* Cæsareæ Capadociæ episcopo, pro veritate dogmatum ejus pugnarunt, ut incredibile dictu sit. Inde lites exortæ inter monachos novæ, & antiquæ *lauræ* in Palæstina [1]. Aliqui horum monachorum, uti *Nonus*, *Leontius &c.* Origenis doctrinam, præsertim de animarum præexistentia, adoptarunt, quos quidem primitus Abbates, & præsertim *Sabas* ad viam veritatis reduxerant, attamen crescente successive Origenistarum numero reliqui monachi Origenistis adversantes libellos contra illos ad *Justinianum* Imperatorem detulerunt, quibus romanæ ecclesiæ diaconus *Pelagius*, & Constantinopolitanus patriarcha *Menas* operam suam apud Imperatorem commodarunt. Justinianus, quem delectabat causarum hujusmodi cognitio, decretum de damnatione Origenis, errorumque illius scribi jussit, cui Menas, Pelagius, & quotquot in regia urbe tunc degebant episcopi, tum ipse *Vigilius* Romanus Pontifex, ceterique Patriarchæ, ad quos encyclicas dedit Justinianus litteras, anno 541. Subscripserunt, sicque per totum orbem Christianum conclamata est Origenis damnatio.

1. Per *lauram* intelliguntur hinc inde dispersæ cellulæ illorum eremitarum, qui quidem uni Abbati suberant, non tamen in communitate simul vivebant. Lauræ opponitur *cœnobium*, ubi fratres simul cohabitabant, & antequam licentiam obtinuerint in separatis habitandi cellulis, tempus probationis sustinere debebant.

§. 421. Origenis damnatio celeberrimam de *tribus capitulis* peperit controversiam; nam *Theodorus* Cæsareensis, qui monachis Origenistis favebat, damnatione Origenis vehementer offensus, ut de damnationis ejus authoribus ultionem repeteret, Justiniano persuasit, facile conciliari posse cum Catholicis illos Monophysitas, qui se Acephalos adpellant (§. 398.) si tria duntaxat, quæ ipsis erant offensioni, corrigeret, nempe si prohiberentur libri *Theodoreti* contra duodecim Cyrilli anathematismos, nec non si damnaretur *Theodorus* Mopsuestenus episcopus, Nestorii magister, & epistola *Ibæ* Edesseni episcopi ad Marim Persam, in qua Theodorus Mopsuestenus laudatur [1].

1. Hæc sunt celeberrima illa tria capitula, Theodoreti, Theodori, & Ibæ, quorum frequens in historia ecclesiastica mentio. Tria hæc capitula in synodo Chalcedonensi in causa Eutychis celebrata non tantum non sunt damnata, sed insuper Theodoretus, & Ibas a Patribus Chalcedonensibus in communionem recepti sunt. Hinc Theodorus Cæsareæ Capadociæ episcopus Imperatori Justiniano persuasit, Monophysitas Acephalos non tam propterea concilium Chalcedonense rejicere, quod in eo damnatus sit Eutyches, sed vel maxime propterea, quod in eo tria capitula Theodoreti, Theodori, & Ibæ, etsi Nestorio faventia, non tantum non sint damnata, sed etiam authores eorum duo Theodoretus, & Ibas in communionem sint recepti. Quod si itaque tria hæc capitula damnarentur, Acephali Synodo Chalcedonensi subscriberent, & ita cum Catholicis unirentur.

§. 422. Justiniano spe concordiæ redintegrandæ Theodori propositio valde placuit. Intercessere vero Catholici complures, rati tribus capitulis damnatis labefactari concilii Chalcedonensis authoritatem. Pervicit tamen Imperator, & anno 545. edictum adversus tria capitula promulgavit, quod ad Patriarchas misit subscribendum [1].

1. *Mennas* Constantinopolitanus Patriarcha ea conditione subscripsit, ut suum reciperet chyrographum si hæc Romanus episcopus non probaret. Ceteri Patriarchæ *Zoilus* Alexandrinus, *Ephremius* Antiochenus, & *Petrus* Jerosolymitanus subscribebant exauthorationis metu. *Stephanus* tamen Romanæ sedis legatus Constantinopolitanus, qui Pelagio successit, publice edicto Imperatoris restitit, apud quem plures episcopi libellis depositis ad *Vigilium* Papam mittendis contestati sunt, quod a Constantinopolitano Patriarcha coacti subscripserint.

§. 423. Occidentales autem episcopi, & præcipue Africani omnibus conatibus edicto Justiniani sunt adversati, & legatis ad Vigilium Papam missis eum rogarunt, ne in synodi Chalcedonensis injuriam edictum Imperatoris contra tria capitula authoritate

sua roboraret. Venit Vigilius Constantinopolim summo honore a Justiniano receptus quidem, eo tamen perduci non potuit, ut trium capitulorum damnationi subscriberet. Tandem anno 548. obtinuit a Vigilio Justinianus, ut in conventu septuaginta episcoporum Constantinopoli causam trium capitulorum discuteret, quorum dissensionem animadvertens Pontifex, statuit per se ipsum seorsim a synodo sententiam dicere, & cum singulorum suffragia ad se scripto delata sint, sententiam suam edidit, quam *Judicatum* nominavit [1].

1. Judicatum damnabat quidem tria capitula, attamen hac addita clausula: *ut salva sit in omnibus synodi Chalcedonensis reverentia.* Qua quidem contestatione Latinorum scrupulo mederi voluit, qui trium capitulorum damnationi ideo refragabantur, quod inde authoritas synodi Chalcedonensis lædatur.

§. 424. Ut primum occidentalibus ecclesiis innotuit Vigilii judicatum, plurimos habuit adversarios. Africani vero, & Illirici episcopi judicatum non solum improbabant, sed insuper ejus adprobatores ecclesiastica privarunt communione, imo ipsum Vigilium Papam anathemate percusserunt, datisque ad Justinianum litteris trium capitulorum defensionem suscepere [1].

1. Ipsi *Rusticus*, & *Sebastianus* Romanæ ecclesiæ diaconi doctissimi a Vigilio defecere, & eum tanquam synodi Chalcedonensis prævaricatorem infamarunt, quos Vigilius propterea deposuit.

§. 425. Tot ob quæstionem de tribus capitulis exortas in Ecclesia turbas sedari non posse nisi concilii generalis authoritate cum Vigilius, & Justinianus intelligerent, utrique quidem indicendum visum est, de loco tamen non convenerant. In Italia, aut Sicilia Pontifex, in urbe regia Constantinopoli celebrari illud voluit Imperator, qui singularum provinciarum episcopos etiam evocavit Constantinopolim. Vigilius interim suum judicatum retractavit, omnemque usque ad concilium de tribus capitulis quæstionem interdicens.

§. 426. Imperatori ad concilium evocanti cum ægre, ac ne vix quidem occidentales episcopi parerent, neque Vigilius quidquam sine illis decerni vellet, ipsi persuadere conatus est Imperator, ut si nollent occidentales, ipse solus cum Græcis tria capitula damnaret. Renuente Vigilio Theodorus Cæsareensis apud Imperatorem effecit, ut edictum adversus tria capitula tum in Ecclesia Constantinopolitana, tum alibi publice affigi juberet, quod gravissime tulit Vigilius, accitisque Græcis pariter, ac Latinis episcopis communionis suæ suspensionem minatus est, si assensum præberent edicto.

§. 427. Incensus ita Justinianus Vigilium custodiæ tradi jussit, qua de re clam monitus in basilicam S. Petri confugit. Missus prætor, qui illum inde per vim educeret, populi tumultu repulsus est. Accepta per Imperatoris legatos securitatis suæ fide, ex loco confugii ad domum suam rediit, sed cum præter fidem datam novis afficeretur injuriis, Chalcedonem fugit. Semel, atque iterum ab Imperatore ad eum Chalcedonem missi legati, qui illum data iterum publica fide Constantinopolim revocarent, sed re infecta redierunt. Itaque Vigilii constantia victus Justinianus edictum sustulit, ac integram futuræ synodo reliquit trium capitulorum cognitionem [1], quam etiam anno 553. Constantinopoli convocavit. Est hoc concilium inter generalia quintum, aderant universim episcopi 165., sessiones illius collationes adpellantur, quorum octo [2] erant.

1. Tunc Mennas, & Theodorus, aliique ejus factionis episcopi oblatis fidei, & pœnitentiæ libellis veniam Pontificis sunt deprecati, quibus peractis Chalcedone relicta venit Constantinopolim Vigilius. Obiit paulo post Mennas, cui successit *Eutychius* monachus post electionem suam Vigilium rogans, ut mota de tribus capitulis controversia finiretur in concilio generali.

1. In *prima* collatione lecta est sacra Justiniani jussio, quæ episcopos ad examen trium capitulorum exhortabatur, nec non Eutychii Patriarchæ ad Vigilium missa fidei confessio. Dein tres Patriarchæ Constantinopolitanus, Alexandrinus, & Antiochenus cum decem septem episcopis missi sunt, ut Vigilium ad concilium invitarent, qui tamen valetudinem causatus responsum distulit in crastinum. In collatione *secunda* rursus Vigilius, ut ad concilium veniat rogatus, respondit, se venire non posse, eo quod occidentales episcopi sibi adhærentes ab orientalibus numero vincerentur, promisit autem, se suam in hac causa sententiam seorsim in scriptis dicturum. In *tertia* collatione fidem a quatuor synodis generalibus expositam confessi sunt, omnesque hæreticos a dictis quatuor synodis damnatos & ipsi damnarunt. In collatione *quarta* examinata doctrina Theodori Mopsuesteni, quod in collatione *quinta* continuatum fuit, prælegebantur simul loca quorumdam Patrum, quæ illi vel contraria erant, vel faventia videri poterant, deinum quæstio celebratissima agitari cœpta: an liceat anathemate damnare mortuos? Licite hoc fieri posse Eutychius Patriarcha probavit Regis Josiæ exemplo ossa idololatrarum humata effodi, & cremari jubentis (L. 4. Reg. cap. 23. v. 16.) Neque obest, damnationem mortui nullum in ejus statum habere influxum; non enim ex hoc motivo damnantur mortui, sed ut magis confundantur eorum asseclæ, ceterique a delictis magis absterreantur, quam ob causam etiam ecclesia ob varia crimina sepulturam ecclesiasticam privat. Adferebantur hac de re in concilio plura exempla, nam Augustinus ad Donatistas dicebat: *si probare potestis, Cæcilianum, ceterosque, quos accusatis, fuisse traditores, vere reos esse, ipsos etiam mortuos anathematizabimus.* Ita ecclesia anathematizavit Valentinum, Marcionem, Basilidem jam defunctos. Origenes etiam jam mortuus paullo ante hoc concilium damnatus est. Idem quoque in tribunalibus civilibus usitatum est. *Carolus II.* Rex Angliarum circa annum 1660. cadaver *Cromwellii* exhumari, & in patibulum agi jussit, non quidem eum in finem, ut statum animæ ejus deteriorem redderet, sed ut ceteri inde exemplum sibi sumant. In collatione *sexta* examinata epistola Ibæ ad Marim. In collatione *septima* acta concilii una cum scriptis Vigilii, in quibus tria capitula damnavit, Imperatori transmissa, & tandem in collatione *octava* duodecim anathematismis damnati omnes hæretici in primis quatuor conciliis generalibus jam damnati, nec non tria capitula una cum eorum authoribus, tandem etiam Origenes condemnatus est.

§. 428. Durantibus adhuc collationibus Vigilius Papa, ut promissis staret, traditurum se sententiam suam separatim, amplissimum decretum scripsit, quod *constitutum* adpellatur, ut eo facilius a priori, quod *judicatum* dicitur, discernatur. In constituto Vigilius doctrinam trium capitulorum quidem damnabat, non tamen authores eorum, putans incongruum esse eos, qui in communione ecclesiastica defuncti sunt, damnare. Itaque cum aliam a concilio dedisset sententiam, ab Imperatore in insulam *Proconesum* relegatus est. Peractis quinque mensibus in exilio tandem Vigilius mentem mutavit, & sententiam concilii adprobavit, quod & fecit *Pelagius* Vigilii successor, aliique Pontifices. Verum in occidente multæ ecclesiæ hoc concilium rejecerant, quod crederent damnationem trium capitulorum authoritati concilii Chalcedonensis nocere [1]. Tandem ex ista de quinto concilio opinionum diversitate ortum est schisma, quod post annos centum vix extinctum.

1. Latini enim linguam græcam ignorantes Theodori Mopsuesteni errores nesciebant, & ob locorum distantiam videre non poterant, quantum scandalum ipsius, & Theodoreti libri in oriente crearent. occidentales præterea timebant, ne Eutychianis occasionem præberent calumniandi concilium Chalcedonense, & Vigilii Papæ inconstantia haud parum authoritati ipsius detrahebat, magis vero istud, quod fere ex solis orientalibus episcopis constaret.

§. 429. Anno 518. Justino imperante Scythiæ monachi Constantinopoli tumultum non mediocrem excitarunt. Horum duces erant *Leontius* affinis comitis aulici *Vitaliani*, & Joannes *Maxentius* vir eruditione clarus. Hi hanc propositionem: *unus de Trinitate* in carne est crucifixus non solum propugnabant, sed etiam ab omnibus recipiendam, & credendam contendebant ad seditionem usque. *Victor* diaconus, & plures alii novitate propositionis offensi iis restiterunt, cum videbatur, synodi Chalcedonensis decreta non sufficere, si hæc propositio ab omnibus recipi deberet. Monachi decisionem hujus litis legatis Pontificis *Hormisdæ* anno 519. Constantinopolim ob ecclesiæ orientalis negotia venientibus oblata simul fidei professione, ut hæreseos notam emollirentur, commiserunt. Legati monachos audire nolebant, quia in mandatis acceperant a Papa, ne se aliis causis immisceant, nisi ob quas in regiam urbem missi sunt. Sed ab Imperatore, & Vitaliano militum magistro persuasi hoc tandem cum responso importunos monachos dimisserunt: *extra synodos quatuor, extra Leonis Papæ epistolam nec aliquid dicimus, nec admittimus.*

§. 430. Monachi repulsam legatorum ægre ferentes, selectos socios Romam ad Hormisdam miserunt, qui illos primitus Constantinopolim remittere, causæque illorum cognoscendæ delegare

Joannem Constantinopolitanum episcopum decrevit, disuaserunt illius legati, quibus Joannes in monachos nimis propensus videbatur, itaque Pontifex causæ hujus cognitionem ad reditum legatorum suorum usque suspendit. Pendente hac controversia monachi interim causæ suæ patronos, & suffragatores quæsierunt Africanos episcopos, qui a *Trasamundo* Wandalorum Rege Ariano in Sardiniam exules sunt deportati. Horum episcoporum consensus monachos non parum elatos fecit; verum cum legatos Pontificis, quos sibi parum faventes sciebant, Romæ propediem adfuturos accepissent, seque illorum authoritate apud Hormisdam intelligerent supprimendos, ex urbe evaserunt appensis ad Principum statuas libellis, quibus eorum fides de persona Christi, & de gratia continebatur [1].

1. Dedit quidem post hæc Hormisdas epistolam ad *Possessorem* episcopum Africanum, in qua horum monachorum superbiam, in novis quæstionibus movendis pertinaciam, & proclivem ad turbas indolem describit, verum Joannes Maxentius unus ex his monachis eam stylo petulanti refutare est aggressus, callide prætendens, quod non Hormisdam, sed hæreticum quemdam ementito Hormisdæ nomine authorem habeat.

§. 431. Lis monachorum Scythiæ hoc modo certe sopita fuisset, nisi post mortem Hormisdæ a monachis *Acæmetis* [1] resuscitata fuisset. Hi enim propugnabant sententiam sententiæ monachorum Scythiæ e diametro oppositam [2], qui error ut reprimeretur, duos misit Justinianus imperator Romam episcopos, qui a *Joanne II.* Papa peterent, ut propositionem ab Hormisda non adprobatam adprobaret, quod & fecit, Acæmetas vero ut contumaces excommunicavit.

1. Dicti sunt Acæmetæ (Ἀκοίμητοι) quasi *Insomnes*, quod in tres turmas distributi, ac per vices sibi succedentes diu, noctuque in ecclesia canerent. *Achimitenses* eos quoque vocat Liberatus diaconus in Breviario cap. 18.

2. Monachi Scythiæ hanc propositionem: *unus de Trinitate passus est* ideo propugnabant, quia si dici non posset, unum de Trinitate passum fuisse, necesse est quartum, & extraneum assumere, qui pro nobis est passus, atque ita duæ cum Nestorio personæ in Christo ponuntur, legati vero Pontificis Hormisdæ dictam propositionem ideo recipere nolebant, quia, præter quam quod nihil opus fuisset synodo Chalcedonensi aliquid addere, inde naturarum in Christo confusio, ac si in divinitate passus fuisset, poni videbatur. Cum ergo hæc propositio ab Hormisda non fuerit adprobata, Acœmetæ ita concludebant: si nullus ex Trinitate in carne passus est, & nullus ex Trinitate in carne natus, ergo Maria *Dei genitrix* in sensu proprio dici nequit. En! Nestorianismus.

§. 432. Anno circiter 519. *Corrupticularum*, & *Incorrupticularum*, seu Phantasiastarum secta emersit. Cum enim a *Severo* Antiocheno Patriarcha duce Acephalorum (§. 398. 1.) sciscitatus esset monachus quidam, an corpus Christi corruptibile esset? ille

corruptibile a SS. Patribus asseri respondit. Hoc audito quidam *Julianum Halicarnasseum* interrogarunt, quid de hac sentiret quæstione? hic Patres e contrario corpus Christi incorruptibile asseri respondit. Uterque suam sententiam statuere, & adversarium scriptis lacessere cœpit, hinc secta Corrupticularum, & Incorrupticularum [1] nata. Mediam velut inter has factiones viam iniit *Xenajas* seu *Philoxenus* Maubugensis, qui cum sociis docuit, vere Christum quidem ea perpessum esse, quæ naturæ nostræ accidere solent, at non natura, sed voluntate.

1. Incorrupticulæ (ἀφθαρτοδοκῖται ab ἄφθαρτος incorruptibilis) alio nomine etiam dici solent *Phantasiastæ*, eo quod juxta eorum sententiam, si corpus Christi fuit incorruptibile, sequatur, eum non reipsa passum fuisse, esuriisse, sitiisse, dormivisse, sed visum tantum fuisse pati, esurire, sitire, sicut post resurrectionem non vere, sed specie tenus manducavit.

§. 433. Dum quæstio hæc de Christi corpore Alexandriæ agitaretur, *Timotheum* episcopum Alexandrinum *Themistius* diaconus unus Acephalorum interrogabat, an Christus ignorasset aliqua, siquidem fuit corruptioni obnoxius? Id Timotheus negavit, at subiit in mentem Themistio, sicut passionem in corpus, ita ignorantiam in mentem Christi irrepere potuisse, & minime assecutus quod legitur Marc. cap. 13. [1], illi adtribuit diei extremi judicii ignorantiam. Qui ita sentiunt, ab authore *Themistiani*, a dogmate *Agnoetæ* (ἀγνοηταὶ ab ἀγνοέω *ignoro*) dicuntur [2].

1. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque filius, nisi Pater.* Similia Matthæus cap. 24.

2. In eo tamen non fuit illorum error, quod ignorantiam Christo, ut homo est, tribuerent, sed quod Christum penitus ignorasse dicerent, quæ ejus nescivit humanitas, quia unam tantum in Christo naturam compositam agnoscebant.

§. 434. *Tritheitarum* secta orta est authore *Joanne Acusnage* philosopho Syro, & Monophysita. Homo is in Deo tres numero ponebat naturas, seu substantias inter se æquales. Inter opinionis hujus patronos nullus celebrior est *Joanne Philopono* gramatico, & philosopho Alexandrino maximi nominis, unde accidit, ut author ejus a plerisque habeatur, & *Philoponistæ* vocati sint eam profitentes [1].

1. Aiunt, Philoponum errorem hunc ex philosophia Aristotelis hausisse: docet enim Aristoteles, individuorum unam esse substantiam particularem, & unam communem, sic igitur & Philoponus ajebat, esse tres particulares in Trinitate substantias, & unam communem.

§. 435. Seculo septimo ex antiquis hæresibus Nestorianorum, & Monophysitarum conditio sub novis orientis Dominis Saracenis

longe fuit lætior, quam ante. *Jesujabus* supremus Nestorianorum Patriarcha fœdus cum Machumede primum, deinde cum *Omaro* fecit, & suis multa beneficia impetravit. Extat enim *præceptum*, seu ut vulgo vocant *testamentum* ipsius Machumedis, sive diploma, quo plenam Christianis omnibus securitatem sub ditione sua viventibus pollicetur, de cujus veritate tametsi viri eruditi dubitent, ipsi tamen Machumedani fidem ejus in dubium haud revocant. Celebre hoc Machumedis testamentum ex oriente *Bonifacius Scaliger* Capucinus superiori seculo in Europam adtulit, & *Gabriel Sionita Fabricius* latine ediderunt [1].

1. Qui post Hugonem Grotium testamentum hoc rejiciunt, suspicantur, id a monachis in Syria, & Arabia habitantibus fictum esse, ut duros dominos suos Machumedanos fallerent; nam & monachi Sinaitæ, seu in monte Sinai versantes talem Machumedis legem ostendebant olim, quam ab eo ut homine adhuc privato scriptam esse contendebant, rebus quidem suis maximopere utilem, at sine omni controversia ab ipsis dolose compositam. Originem hujus doli *Demetrius Cantemir* in historia imperii ottomanici ita exponit: Abbas quidem montis Sinai Machumedem in aliquo suorum itinerum, quæ mercaturæ causa peragebat, in monte Sinai dormientem, & super caput ejus nubem pendentem vidit. Omen hoc cum magnam aliquando Machumedis potestatem futuram innuere videbatur, eum ad se vocatum magnis reverentiæ signis exhibitis interrogabat: quid ab eo expectandum haberent monachi, si istarum regionum dominus evaserit? Respondit Machumedes se monachos, utpote vitam puram agentes, ab omnibus tributis exempturum, & in magno honore habiturum, quod promissum ipsi in scripto arabico dedit. Longo post hæc tempore elapso Abbas quidam montis Sinai hoc Machumedis scriptum ostendebat Sultano *Selim*, dum in Ægypto moraretur, qui illud a monachis emit mittens ipsis exemplar transsumptum, exemptionem vero a tributis edicto publico confirmavit, in cujus privilegii possessione usque ad tempora *Solimani II.* monachi permanserunt. Fraus satis manifesta erat; at Machumedani tamen homines ab omni eruditione relicti vere Machumedis sui sanctionem hanc esse credebant.

§. 436. Inter Græcos seculo septimo ingens controversia est exorta, cujus causa intempestivum erat studium concordiam in religione inducendi. *Heraclius* Imperator insigne illud detrimentum considerans, quod respublica ex Nestorianorum ad Persas transitione caperet, vehementer Monophysitas ad ecclesiam græcam reducere cupiebat, ne novum ex horum emigratione vulnus Græcorum regnum acciperet. Itaque primo in bello contra Persas anno 622. cum *Paulo* quodam magno inter Armenos Monophysitas viro, deinde Hierapoli anno 629. cum ipso Monophysitarum antistite *Athanasio* de modo concordiam restituendi deliberabat. Uterque Imperatori respondebat, fieri posse, ut unius naturæ in Christo defensores concilium Chalcedonense amplecterentur, & certamen cum Græcis tollerent, modo hoc dare, & confiteri velint Græci: *in Christo unam esse post naturarum conjunctionem voluntatem, & voluntatis operationem.* Heraclius, quod ex his acceperat, cum *Sergio* Patriarcha Constantinopolitano ex parentibus Monophysitis nato communicabat. Is salva veritate, & concilii

Chalcedonensis authoritate doceri posse censebat, unam esse in Christo voluntatem, & voluntatis operationem. Igitur Heraclius edicto anno 630. proposito sic esse credendum, & docendum proposuerat, quo hac ratione discordiam in ecclesia, & republica tolleret.

§. 437. Res belle primum procedere videbatur; ut enim nonnulli obtemperare Imperatori recusabant, duo tamen orientis Patriarchæ Alexandrinus *Cyrus* [1], & Antiochenus *Athanasius* parebant Imperatoris voluntati. Qui jam cum Sergio, & Cyro unam in Christo voluntatem, unamque operationem admittebant, *Monothelitæ* dicebantur [2].

1. Cyrus quidem ab initio hæsitabat, at a Sergio permotus tandem consensit; nam concilium cogebat, novemque edidit capitula, in quorum septimo asseruit: *Eumdem unum Christum. & filium operari Deo decibilia & humana una Dei-virili operatione.* Celebrata synodo hæc scripsit ad Sergium, epistolæque suæ novem concilii capitula adnexit. Rescripsit gratulatoriam epistolam Sergius.

2. Vox hæc composita est e μονος *unus* &, θελημα *voluntas.* Unicam, quam in Christo admittebant operationem adpellarunt θεανδρικην *Dei-virilem* nomine derivato a Θεος *Deus*, & ανηρ *vir*, cujus genitivus est ανδρος.

§. 438. Cyrum, & Sergium frustra ad errorem male conceptum deserendum hortatus est *Sophronius* monachus, & mox Patriarcha Jerosolymitanus, frustra septimi capituli a Cyro statuti abrogationem flagitavit, frustra ad Honorium Papam, & Sergium dedit epistolam encyclicam, cum Hierosolymitanus antistes inauguratus est, qua duas operationes in Christo disserte professus Monothelitas anathemate confixit; non enim propterea deposuit errorem Sergius, sed texit. Accepta siquidem Sophronii synodica litteras dedit ad Honorium Papam, in quibus hac œconomia utendum proposuit, ut neque una, neque duæ in Christo operationes deinceps dicerentur ob emergens ex illarum vocum usu scandalum. Litteras vicissim ad Sergium dedit Honorius, quibus laudavit ipsum vocabuli novitatem auferentem, quod scandalum simplicibus parere possit [1].

1. Epistola hæc insigni controversiæ præbuit materiam: num Honorius Monothelita fuerit? nam laudat in ea Sergium, *quod novas voces sustulerit, quæ simplicibus scandalo esse poterant. Unicam in Christo Jesu voluntatem confitemur, quia divinitas non peccatum nostrum assumpsit, sed naturam nostram, & talem, qualis fuit creata, antequam peccatum eam corrupit. Nihil in scripturis, aut conciliis invenit, unde nobis ad docendum unam, vel duas operationes authoritas colligatur, sed forte aliquis balbutiendo ita locutus est, ut* [illegible] *auditoribus* [illegible]*. Nam Jesum Christum unum* [illegible] *operatum tam per divinitatem, quam humanitatem scripturæ in omnibus paginis* [illegible]*; at scire, an propter opera divinitatis, aut humanitatis unam, vel duas operationes dicere,*

vel concipere debeamus, nostra parum interest, idque gramaticorum judicio relinquimus (Videtur Honorius litem de una, aut duabus in Christo operationibus inter logomachias retulisse). *Rejiciamus has voces novas, quibus ecclesiæ scandalizantur; ne rudes duarum operationum voce offensi Nestorianos nos putent, aut Eutychianos, si in Jesu Christo unicam operationem confiteamur. Istud nobiscum doce, sicut illud etiam unanimi tecum consensu docemus.*

§. 439. Vulgata Sophronii synodica Heraclius anno 639. *Ecthesim* [1] a Sergio compositam promulgabat, qua omnes disputationes de hac quæstione, utrum una, aut duplex in Christo esset operatio, vetabat, at clare tamen unam in Christo voluntatem prædicabat.

1. Est Ecthesis idem, ac *expositio* a verbo εκτιθημι *expono.*

§. 440. Post Sergii obitum in sede Constantinopolitana ei successit Pyrrhus defensor itidem Monothelitarum, siquidem coacto concilio ecthesim adprobavit. Mortuo Heraclio successit *Constantinus* filius ejus, at post quatuor menses *Martinæ* novercæ insidiis sublatus est, cujus cædis participes existimatus est Pyrrhus. Cum dein imperium *Constanti* alteri Heraclii filio delatum esset, populus in Patriarcham gravi suspicione conspirationis in Constantinum cum noverca Martina initæ laborantem commotus in sacrarium irrupit. Quo tumultu perterritus Pyrrhus, pejoraque metuens sequenti nocte templum ingressus est, ubi sacra omnia exosculatus, detractoque pallio in sacra mensa deposito: *non sacerdotio*, inquit, *me abdico, sed contumaci populo abrenuncio.* Inde opportunitatem nactus navigavit Chalcedonem. In Pyrrhi locum ab Imp. Constante suffectus est *Paulus* & ipse Monothelita.

§. 441. Consentiente Paulo Imperator Constans novum edictum, quod *Typus* dicebatur [1] anno 648. rogabat. Per typum ectesis tollebatur, & utrique contendentium parti silentium tam de una Christi voluntate, tam de operatione ejus imponebatur. At *Martinus* Papa in concilio 105. episcoporum anno 649. tam ecthesim, quam typum omisso tamen Imperatorum nomine cum omnibus Monothelitarum patronis diris devovit [2].

1. Quamvis τυπος idem sit ac forma, notaque impressa a verbo τυπτω *percutio* illo tamen vocabulo non semel in Novellis Justiniani constitutio, & lex designatur. Corripendus hic *Vasquezius*, qui ex ignorantia, per typum quando aue antiquitus legem designatam fuisse, ex lege Constantis hominem hæreticum Pauli Patriarchæ discipulum fecit.

2. Commotus Imperator, quod Papa leges ejus rejecerit, eum per *Calliopam* Exarchum comprehendi, & in Insulam *Naxiam* deportari jubebat.

§. 442. Per aliquot annos lis hæc quiescebat, at cum occulte tamen eadem serperet, novique semper motus reipublicæ perniciosi metuendi essent, *Constantinus Pogonatus* filius Constantis in concilium vocato *Agathone* Papa anno 680. Constantinopoli concilium generale, quod est Constantinopolitanum II. & *sextum* œcumenicum convocavit [1], in quo Monothelitæ damnati sunt [2].

1. Imperatorem hoc concilium convocasse ostendi potest ex omnibus illius actionibus, quod se ubique profitetur congregatum *secundum imperialem sanctionem* & ex synodica ad Agathonem Papam epistola, cujus hæc est inscriptio: *Sanctum & universale concilium, quod per Dei gratiam, & jussionem piissimi, ac fidelissimi Imperatoris Constantini congregatum &c. &c.* Imperator interfuit concilio cum selectis judicibus, quin etiam celebratum illud dicitur *præsidente piissimo, & Christo amabili magno Imperatore Constantino*, quod non in eo sensu est intelligendum, ac si Imperator illi cum jure suffragii præfuerit. jus enim conciliis generalibus præsidendi Papæ competit, & reipsa huic Agatho per legatos *Theodorum & Georgium* presbyteros, ac diaconum *Joannem* præfuit. Dicendum itaque præfuisse Imperatorem ut *defensorem* fidei non vero ut *judicem*. Porro cum gloriosissimos judices passim in synodo nominari audis, ne existimes, laicos magistratus ab Imperatore assumptos esse, qui de rebus fidei decernerent, sed qui conservatores, & defensores essent synodi unde in græco habetur ἄρχοντες *proceres*, non δικασταὶ *judices*. Discrimen inter Imperatorem, & episcopos etiam ex formula subscriptionis adparet. primi enim subscripsere concilio legati Agathonis, dein ceteri episcopi hac formula: *N. episcopus definiens subscripsi*: Imperator vero post episcopos hac subscripsit formula: *Constantinus in Christo Deo Rex, ac Imperator Romanorum legimus, & consensimus*, id est, non ut judex, sed ut defensor fidei.

2. Singulare aliquid in sessione decima quinta accidit. Nimirum introductus est in concilium *Polychronius*, & fidem suam adperire jussus est. Respondit: *fidei meæ confessionem operibus patefaciam. Date mortuum, & per hoc filium Dei, ut eum resuscitet, nisi ad vitam redeat, tenetis me.* Proceres, & magistratus statuerunt, ut mortui resuscitatio publice fieret, & palatio egressi ad aream thermarum sequente frequente populo se conferunt. Mortuus in lecto argento exornato sternitur. Polychronius fidei suæ confessione cadaveri imposita multa per aliquot horas submissa voce mortuo ad aures insusurrat, & tandem dicit: *non possum mortuum suscitare*. tunc populus præsens exclamavit: *anathema Simoni alteri, anathema Polychronio Sycophantæ!* Proceres, & Patres ad palatium redeuntes Polychronio præceperunt, ut duas admitteret voluntates, quod cum noluisset officio sacerdotali depositus, & anathemate confixus est (*Fleuri*).

§. 443. De Honorio Papa, num qua Monothelita in synodo sexta sit damnatus? varii varia sentiunt. Aliqui acta synodi sextæ corrupta fuisse contendunt [1]. Ceteri qui admittunt eum reipsa damnatum fuisse, rursus inter se dissentium, num qua *hæreticus* [2], vel qua hæreseos *fautor* [3] sit damnatus? Demum sunt alii, qui nihil hac in re certi statui posse putant [4].

1. His ducem se præbuit Baronius, qui actorum corruptionem adscribit *Theodoro* sede Constantinopolitana primo dejecto, postea verum iterum restituto, hunc, cui in post sui restitutionem in [illegible] archivo positum [illegible] ex actis synodi conjunxisse, eumque hac Honorii nomen intrusisse contendit, quam suam opinionem [illegible] motivis fulcire est conatus: 1) Sextæ synodi patres in epistola ad Agathonem profitentur, se damnasse Monothelitas [illegible] sententiæ ab ipso in eos latæ, at Papa in sua sententia contra eos lata Honorium

non nominat. 2) Agatho legatorum suorum authoritatem eo restrinxit, ut nihil proferre, augere, minueri, aut immutare præsumant, nisi in quantum iis injunctum est. Debuissent itaque reclamare, si de Honorii damnatione actum fuisset, utpote qui non fuit inter illos, quos Agatho ante synodum sextam damnavit. 3) Martinus Papa in concilio Romæ in Laterano habito, in quo *Ecthesim* Heraclii, & *Typum* Constantis damnavit una cum omnibus Monothelitis, eorumque scriptis, nullam Honorio, aut ejus epistolis inussit notam. 4) In actis synodi sextæ reticetur nomen alicujus hæretici in illa *nominatim* damnati, nempe *Theodori* Patriarchæ C. P., acta itaque sunt interpolata, in eaque deleto nomine Theodori intrusum nomen Honorii. At paucis hanc suam sententiam persuadere potuit; ad primum) enim respondent, verba patrum in epistola ad Agathonem non esse in sensu adeo stricto sumenda, quasi nullam præter illos, quorum mentio fit in Agathonis epistola, damnassent; constat enim in hac eadem synodo anathema dictum fuisse *Macario* Antiocheno, *Stephano*. *Polychronio*, tametsi damnationis illorum non meminit Agatho. Ad secundum) Agatho prohibuit legatis, ne aliquid immutent, aut innovari sinant circa *dogmata*, non circa *personas*. Unde Macarii. Stephani, & Polychronii damnationem legati Romani cum ceteris episcopis decreverunt, etsi antea ab Agathone non fuerint damnati. Ad tertium): Non quæritur hic loci, utrum Honorius in concilio Lateranensi a Martino fuerit damnatus? quis enim ita argumentari legitime potest. factum A. in synodo priori B. non contigit, ergo idem factum A neque in synodo posteriori C. contigit? Ceterum Honorius a Martino saltem *tacite* damnatus est; etenim ubi recitata est Pauli Constantinopolitani synodica, qua Honorium ut Sergio consentientem laudat, ne verbum quidem protulit Martinus, aut quivis alius episcoporum in defensionem Honorii. Ad quartum): In synodo nominatos quidem fuisse Patriarchas, qui obivissent vel Catholici, vel hæretici, ut horum nomina ex sacris diptychis expungerentur at nominati non sunt, qui adhuc vixerant, nisi qui [illegible] jam a synodo vera fide manserunt in errore pertinaces, cujus pertinaciæ probationem in Theodoro nullam profert Baronius. Sane absentem fuisse a Synodo constat, citatum ad synodum fuisse ne levis quidem indicat conjectura, neque ullum in synodo prolatum instrumentum, quo probaretur hæreticus. Sed etsi detur Baronio, Theodorum interpolasse acta, quæ Constantinopoli in scriniis patriarchicis. & imperialibus asservabantur quomodo fieri potuisset, ut acta illa. quæ legati romanæ sedis secum Romam detulerant — —. omnia item exemplaria ceteris Patriarchis emissa (ut legere est Act. 18.) corrumpere potuisset? cum tribus annis post concilium effluxis primo restitutus fuerit sedi Constantinopolitanæ.

2. Hi sequentibus nituntur momentis: 1) In Actione 13. synodi sextæ Patres dicunt: *Omnes, quorum Agatho Papa in suggestione ad Imp. data mentionem facit, & anathemate percussit, pariter anathemate percussos declaramus. Una cum ipsis ecclesia ejicendum, & anathematizandum esse Honorium olim antiquæ Romæ Papam existimamus, quod ab ejus ad Sergium epistola cognovimus, quod omnino illius errorem sequatur, & doctrinam impiam sua authoritate confirmet.* 2) Leo II. Papa Agathonis successor in Ep. ad Constantinum Imp. ita loquitur: *Damnamus novæ hæresis inventores Sergium, Pyrrhum, Paulum — —, nec non & Honorium, qui hanc apostolicam ecclesiam non apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit.* 3) Duo sequentia concilia generalia Nicænum II., & Constantinopolitanum IV. Honorium damnatum agnoscunt, denuoque damnant, nihil suspicando acta synodi sextæ corrupta fuisse, quin imo usque ad Baronii tempora nemo de eorum genuitate dubitavit. 4) In Actione decima sexta non semel dictum fuit, *Honorio hæretico anathema.* Vel ergo si Honorius. tantum ut fautor Monothelitarum damnatus esset. etiam reliqui Sergius, Cyrus, Pyrrhus &c. tantum ut fautores hæreseos sunt damnati, quia damnatio singulorum ejusdem est tenoris. vel si hi damnati sunt ut hæretici, etiam Honorio dictum est anathema ut hæretico.

3. Horum sequentes sunt rationes: 1) Honorius non negavit duas in Christo voluntates unam divinam, humanam alteram, sed duas voluntates humanas sibi contrarias, ortas ex pugna inter appetitum sensitivum, & rationalem (vid. ejus

Ep. §. 438. adscriptam), & quæstionem de duabus, aut una in Christo voluntate inter logomachias retulit nolens admittere duas operationes, aut actiones *personales* in sensu Nestorii, neque unam operationem *naturalem* in sensu Eutychis, quod illum non facit Monothelitam, sed fautorem eorum, quia expressam duarum voluntatum prædicationem supprimi permisit, quod & Leo II. in Ep. ad Imp. adtendisse videtur, quia non dicit, Honorius romanam sedem *maculavit* sed maculari *permisit.* 2) Producunt apologias pro Honorio confectas, quibus ab hæresi liberatur. Hos inter est *Joannes IV.* Papa Honorii post *Severinum* succesor, qui in apologia Honorii ad Constantinum Imp. ejus epistolas in sensu catholico explicat. S. Maximus Honorio coevus in dialogo cum Pyrrho eum vocat Pontificem magnum, pietate eminentem, maxime orhodoxum. *Joannes* Abbas qui amanuensis Honorio epistolam ejus ad Sergium composuit, & quo proin nullus esse potest luculentior ejusdem interpres, post Honorii mortem in testem super ea vocatus, ita scripsit ad Imp. nomine *Joannis IV.* Papæ: *unam voluntatem Domini diximus non divinitatis ejus, & humanitatis. sed solius humanitates. Cum enim Sergius scripsisset, esse qui dicerent, in Christo fuisse duas voluntates contrarias, diximus, Christum non habuisse duas voluntates contrarias carnis inquam, & spiritus, sed unam tantum &c.* 3) Veteres scriptores de hæresi Honorii silent. Nunquid *Photius* Romanis Pontificibus infensissimus, Honorium, si Monothelita fuisset, pro more suo vellicare omisisset? Alii præterea scriptores, uti *Anastasius* Bibliothecarius, venerabilis *Beda*, *Naucleus* Honorium quotiescunque de eo ocurrit sermo, laudant ut Pontificem apprime *Catholicam.*

4. Hos inter est *Moshemius* adfirmans, difficile prorsus non esse, Honorium aut adcusare aut excusare; ipse enim quid senserit nescivisse, nullumque certum sensum verbis suis in hac lite subjecisse videtur.

§. 444. Fugatus per concilium generale sextum Monothelitismus ad montes Libani, & Antilibani se recepit, atque in gente *Mardaitarum* asylum invenit, quæ a primo antistite suo *Jo. Marone* Maronitarum nomen accepit, nec ante annum 1192. in gratiam cum ecclesia Romana rediit [1].

1. Reliquas seculo septimo exortas hæreses, uti *Christolytarum Gnosimachorum Paremmenitarum &c.* utpote vix notatu dignas, & obscuri nominis silentio prætereo (videatur de his Laur. Berti in Brev. H. E.)

CAPUT QUARTUM.

DE

CONCILIIS.

§. 445. Duplex celebrandi concilia est finis; vel enim hæreses damnandæ, vel disciplinaria determinanda. Sex in hac epocha concilia generalia in causa hæresium convocata enumerata sunt. Superest ut inquiratur, quid tum hæc generalia, tum alia particularia notatu digniora circa disciplinaria statuerint?

§. 446. Notatu digniora sunt sequentia: Nicæni Patres post damnatam Arianorum hæresim finitaque de tempore celebrandi paschatis controversia *viginti* canonibus disciplinam ecclesiasticam sanxerunt [1], nec enim plures admittendi, siquidem canones arabici a *Turriano* editi ab eruditis rejiciuntur. Anno Christi 314. sub Papa Sylvestro celebratum fuit concilium *Ancyranum* Ancyræ Galatiæ urbe. Canones editi vigintiquatuor tam ad congruam lapsis sub persecutione pœnitentia præscribendam, tam ad alia disciplinæ capita stabilienda [2]. Non diu post Ancyranam synodum celebrata est alia *Neocesareæ*, quæ Cappadociæ est urbs. Canones quatuordecim conditi [3].

1. In *primo* canone decernitur, eum, qui a chyrurgis in morbo, vel a barbaris eunuchus factus est, in clero permanere posse, qui autem ipsos exsecuerunt, aut exsecari sponte passi sunt, tum ab ordinum susceptione, tum a susceptorum exercitio arceantur. Ceterum mutilatio æque legibus civilibus, & quidem sub capitis pœna vetita erat, quod tamen non impediebat, quin secta *Valesianorum* se hac crudeli operatione insigniret, suosque non modo discipulos, sed hospites etiam volentes nolentes eunuchos redderent. *Secundus* prohibet neophytorum ordinationem, *tertius* mulieres sinysactas, seu subintroductas clericis interdicit, solius matris, sororis, amitæ, vel aliarum personarum suspicionem fugientium cohabitatione ipsis permissa. Canone isto haudquaquam, ut contendunt Baronius & Bellarminus, prohibitum fuit clericis uti uxoribus ante ordinationem ductis; quamvis enim Nicæni Patres uxores ab earum numero mulierum, quibuscum in eadem domo versari clerici non debent, *nominatim* non exceperint, attamen exceptæ eo ipso satis intelligebantur, quod e numero subintroductarum mulierum non essent (§. 311.1). ac inter eas quæ suspicionem omnem effugiunt, merito censerentur. Extra omnem vero dubitationem hanc rem ponit historia *Paphnutii a Socrate L. I. cap. 8.* sequenti modo relata: *Visum erat episcopis legem novam in ecclesiam inducere, ut qui essent sacris initiati, cum uxoribus, quas cum erant laici in matrimonium duxissent, minime dormirent. Et quoniam illis erat statutum de hac re consilium inire, in medio eorum consessu surrexit Paphnutius, ac vehementer vociferatus est, non grave jugum cervicibus illorum imponendum esse, qui erant sacris initiati. Honorabile esse conjugium inter omnes, & thorum immaculatum. Videndum ne nimis exquisita præscriptione ecclesiam gravi incommodo afficerent. Omnes enim non posse ferre tam austeram disciplinam, neque a singulorum uxoribus fortasse eam castimoniæ normam posse servari. Viri autem cum uxore legitima consuetudinem castimoniam appellavit. Istam in episcoporum conventu orationem habuit Paphnutius cum ipse non modo nuptias non expertus esset, sed nec mulierem aliquando cognovisset; nam a puero in monasterio severo vitæ generi totum se dederat, cujus quidem propter singularem castimoniam præ ceteris magnæ famæ celebris vixit. Itaque cum totus episcoporum, presbyterorum & diaconorum conventus verbis Paphnutii consensisset, controversia hac in re exorta sedata est, potestasque permissa cuique pro arbitrio ab uxorum consuetudine abstinendi.* Frustra Baronius, & Bellarminus Paphnutii historiam eo ex capite ut fictam a Socrate rejiciunt, quia *Epiphanius*, & *Hieronymus* asserunt ad majores ordines non fuisse electos, nisi aut virgines aut viduos post ordinationem perpetuo continentes: nam præterquam quod Epiphanius, & Hieronymus octoginta circiter annis a tempore concilii Nicæni fuerint remoti, intra quod tempus variari potuit disciplina, ex eorum testimoniis non colligitur, continentiam conjugatorum ad clerum assumptorum fuisse *lege præceptam*, sed ex pietate servatam. *Quartus* canon episcoporum ordinationes ab omnibus episcoporum comprovincialibus, vel saltem tribus de ceterorum assensu fieri decernit, asserto Metropolitanis jure confirmandi. *Quintus* excommunicatum ab uno episcopo vetat ab aliis recipi. Hic canon conditus est occasione *Eusebii Nicomediensis*, qui Arium ejusque sectatores ab Alexandro episcopo Alexandrino excommunicatos recepit. Ne vero sive clerici sive laici levibus de causis ab episcopis excommunicentur, sancitum eodem canone, ut ad hujusmodi causas dijudicandas *bis* in anno con-

cilia provincialia celebrentur. Canon *sextus*, & *septimus* privilegia Patriarcharum sarta tecta esse jubet. Canon *decimus sextus* presbyteros, aliosque clericos ecclesiis suis, ad quas ordinati sunt, addictos esse jubet, vetat etiam episcopis, ne alienos clericos ordinent. Canones reliqui aut de receptione hæreticorum ad ecclesiam redeuntium, aut de pœnitentia lapsis injungenda decernunt.

2. Canones pœnitentiam lapsis in persecutione imponendam concernentes hodie nullius sunt usus. Circa disciplinam statutum est canone *nono*, diaconum, qui ante ordinationem fuit contestatus, quod velit nuptias inire, uxorem post ordinationem ducere posse, qui autem in ordinatione contra continentiam protestati non sunt, & nihilominus post ordinationem uxorem duxerint, a ministerio deponantur. Inde adparet, sacros ordines tunc temporis impedimentum dirimens non fuisse. Canon *decimus* puellas post sponsalia initia raptas, etsi a raptore corruptæ fuerint, ei cui primo desponsatæ fuere, restitui jubet. *Decimusquartus* eos, qui continentiam voverant (nullo facto inter votum *simplex* & *solemne* discrimine) si postea nupserint, *bigamis* adnumerat, eorum tamen nuptias irritas non pronuntiat, hinc tum continentiæ votum non erat dirimens impedimentum matrimonii. Canon *decimusquintus* res a presbyteris sede episcopali vacante venditas rescisso contractu ad ecclesiæ jura revocari præcipit.

3. Canon *primus* depositionis pœnam statuit in presbyteros, qui post ordinationem uxorem acceperint, nec tamen eorum nuptias irritas decernit, aut ab uxoribus separari jubet. *Secundus* mulierem, quæ duobus fratribus nupsit, nec non virum, qui duas sorores duxit, ad mortem usque a communione removet. *Octavus* illum, cujus uxor adulterii est convicta, ad clerum vetat promoveri. *Undecimus* prohibet, nec quis in presbyterum ante trigesimum annum ordinetur. *Duodecimus* eum, qui fuerit in ægritudine baptizatus, seu *clinicum* ad sacerdotium promoveri prohibet. *Decimustertius* presbyteris ruralibus in ecclesiis urbis episcopo aut presbyteris præsentibus sacrificium offerre, vel eucharistiam porrigere prohibet. Canon ultimus septem diaconos in qualibet urbe esse debere decernit, ut sacratus ab Apostolis numerus observetur.

§. 447. Adductis conciliis particularibus seculo quarto disciplinæ determinandæ causa celebratis præter *Hipponense*, *Valentinum*, aliaque addenda sunt *Laodicenum* [1], Carthaginense quartum [2], & quintum [3].

1. Fideles cum hæreticis connubium inire prohibet (*Can.* 10. & 31.), nuptias in quadragesima celebrare vetat (*can.* 52.) reprimit spurias quorumdam devotiones (*can.* 35).

2. Præcipit concilium Carthaginense quartum, ut episcopus rebus ecclesiæ tanquam *commendatis*, & non tanquam suis utatur (*can.* 31.), prohibet translationes episcoporum de una ecclesia in aliam nobiliorem, & majorem (*can.* 27) quas tamen licitas fuisse ob majus ecclesiæ bonum idem concilium (*can.* 21), docet. Veterem ecclesiæ Africanæ disciplinam, secundum quam episcopus communi presbyterorum concilio ecclesiam suam regebat, ut *Cypriani* epistolæ demonstrant, hæc synodus revocat prohibens, ne episcopus absque presbyterorum concilio clericos ordinet, ne ipsis absentibus, aut non consciis causas audiat, judicetque, irritam fore alioquin sententiam, ne absque eorum subscriptione res ecclesiasticas alienet, irritam secus alienationem esse (*can.* 22. 23. 32), jubet proin synodus episcopis, ut honorifice cum presbyteris agant, nec ipsos habeant, ut servos, sed ut collegas, & quamvis in ecclesia, ac consessu presbyterorum sublimiores sedeant, nullibi tamen stare coram se presbyterum patiantur (*can.* 34. 35.) Undecim primi canones speciatim notari merentur: postquam enim in canone primo dotes episcopi ordinandi præscriptæ sunt, in sequentibus usque ad undecimum ritus sacræ ordinationis, ejusque *materia* & *forma* (ut hodie loqui solemus) præscribitur. In is notandum, solam *impositionem manuum*, non

HH:

unctionem, non instrumentorum porrectionem pro materia presbyteratus assignari; liber enim evangeliorum, & instrumenta sacra tempore Apostolorum nondum extiterant. Vestigiis hujus concilii inhæret quoque *Antiochenum* de anno 341. can. 17. *Ancyrarum* de anno 314. can. 9. *Toletanum IV.* de anno 633. can. 28., ex quo *Halierius* (de sac. ordinat. sec. 2. cap. 2.) concludit ecclesiam Hispanicam initio seculi VII. in ordinatione presbyteri, & diaconi instrumentorum porrectionem nondum adhibuisse, quam ceremoniam primo seculo decimo incepisse autumat *Morinus* de sacr. ord. P. 3. Exerc. 7.

2. Quindecim canones hoc statuit concilium. Occasione infantum, quos episcopi Mauritaniæ a barbaris redimebant, statutum est *can.* 6. ut cum baptizatos esse infantes nullo testimonio constaret, neque ipsi per ætatem essent idonei, qui de traditis sibi sacramentis responderent, absque hæsitatione baptizarentur. Quo ex canone intelligitur, in iis baptizandis, de quibus dubitaretur, *conditionem* ex veteri ecclesiæ disciplina adhibitam non fuisse. Quam disciplinam non Africana tantum (spectabat enim concilium Carthaginense ad definiendam disciplinam ecclesiæ Africanæ), sed etiam Romana ecclesia secuta est. Eamdem in ecclesia Gallicana viguisse disciplinam ex capitularium L. 7. cap. 302. compertum est. Eundem morem in ecclesia Anglicana fuisse receptum, constat ex collectione conciliorum Anglicorum. *Alexander III.* Papa, qui sedere cœpit anno 1159 primus hunc sub conditione baptizandi morem invexit. Ejus decretum refertur *Extra. de bapt. cap.* 2. sed nec statim post Alexandri III. decretum mos ille *sub conditione* baptizand. statim obtinuit, ut constat ex scriptis magistri sententiarum, Petri Pictaviensis, & Petri Cantoris propugnantium, nullam esse adponendam conditionem.

§. 448. Omnia tamen seculi quarti concilia particularia celebritate superat *Sardicense*, in quo tria rerum capita pertractanda erant. Fidem contra Arianos spectabat primum, ab Eusebianis adcusatum Athanasium, aliosque episcopos secundum, crimina, de quibus Eusebiani ipsi adcusati sunt, tertium. Edidit deinde super disciplina canones numero *viginti* ex græco textu, ex latino autem unum supra viginti. Non editi sunt hujus concilii canones, ut alias consuetum, in legis normam, sed *Osii Cordubensis*, qui huic concilio præfuit, & aliquot præterea episcoporum propositiones totius concilii consensu sunt firmatæ.

§. 449. Ex his viginti canonibus notatu digniores sunt sequentes: Primi duo *translationes* episcoporum de una ecclesia in aliam prohibent. Osius episcopus hanc fecit propositionem: „Consuetudo perniciosa radicitus tollenda est, & non permittendum, „ut ullus episcopus ab urbe sua ad aliam transeat. Nullus unquam „inventus est, qui relicta ecclesia divite transierit ad pauperem „certissimo argumento, tales nulla alia ratione, quam avaritia, & „ambitione moveri. Si vobis omnibus videtur, abusus iste severius punietur, ita, ut qui eum admiserit etiam a *communione* „*laica* [1] repellatur." & omnes responderunt. *Adprobamus.*

1. Exponendum hic, quid sit *communio laica*? Id, quod nos hodie *degradationem*, antiqui canones reductionem ad communionem laicam adpellabant. Equidem clericus per reductionem ad communionem laicam officio suo, & dignitate

clericali omnino privatus ad statum laicorum reducebatur. Ea plerumque delicta, quæ in laicis excommunicatione, in clericis reductione ad communionem laicam puniebantur. Hinc clericus ad communionem laicam reductus non fuit hoc ipso excommunicatus, sed ad statum laicalem reductus. Si vero clerico etiam communio laica est denegata, ut statuit concilium in episcopum ad aliam ecclesiam transeuntem, dejectioni a statu clericali addita est excommunicatio, qua ratione Arius, aliique hæresiarchæ non minus dejectione de gradu clericali, quam insuper excommunicatione qu que multati sunt. In genere vero ad intelligendos antiquos canones notandum, peculiarem esse notionem *communionis ecclesiasticæ*, & *excommunicationis ecclesiasticæ* ut clericis adplicatæ. Clerici enim excommunicati dicebantur, si potestate exercendi functionis suæ officia essent exuti, & talis excommunicatio non semper arguebat, quod omni prorsus communione ecclesiæ essent exturbati, sed tantum communione clericorum (*can. conc. Nic.* 16. *can. Apost.* 42. 55.) Hinc male Bellarminus communionem laicam explicuit dicendo, per eam id intelligi, quod clericus hac pœna affectus sub una tantum specie eucharistiam acceperit.

§. 450. Postquam Patres concilii propositionem ab Osio prolatam in canone primo adprobarunt, Osius iterum subdidit: „Si „quis eo temeritatis abierit, ut se velit excusare, & asserere, se „populi litteras accepisse, palam est, eorum plures, quorum haud „sincera fides est, pecunia corumpi potuisse, ut ei adclamatio „in ecclesia conquæretur, eumdemque multitudo sibi episcopum „peteret. Hinc simpliciter damnandas censeo artes pessimas, & „qui talium rei sint, etiam in morte communione laica privandos. „Si æquum esse existimatis, edicite." Respondit concilium: *æquum existimamus* [1].

1. Ut hic canon intelligatur, sciendum est, in episcoporum electione magnam olim populo partem fuisse, eumque, quem is petiit, ordinari consuevisse, ut proinde contingeret, ab episcopo, quem ad ditiorem episcopatum trahebat ambitio, aliquos promissis, aut numerata pecunia corruptos fuisse, qui eum postularent, & ad eumdem invitationis litteras mitterent. Id nempe concilium improbat laica vel ad mortem communione privans episcopos, qui hujus machinationis rei fuerit. Erat hæc sane pœna supra modum gravis, qua in re concilium Sardicense a Nicæno discrepat, statuente, nemini in articulo mortis communionem petenti esse negandam.

§. 451. Canon *tertius* inter ceteros est celeberrimus; Osius enim ita proponebat: „Si inter duos episcopos ejusdem provinciæ „lis exoriatur, neutri eorum alterius provinciæ episcopum in ar„bitrum eligere liceat. Si quis episcopus damnatus in judicio ita „causæ suæ confidat, ut hanc de novo in concilio examinari de„sideret, honoremus, si vobis videtur, S. Petri Apostoli memo„riam, qui causam primo judicarunt, scribant ad *Julium* epis„copum Romanum, cui si visum fuerit repetendum esse judicium, „judices det, si primæ instantiæ insistendum crediderit, quid„quid disposuerit, ratum esto." In hunc canonem omnes consensere [1].

1. Canonem hunc eum in finem concilium condidit, ut significaret, Athanasium,

aliosque episcopos ab Arianis injuste depositos merito fuisse restitutos. A tam parvo initio præsertim invalescentibus Isidori mercatoris decretalibus adpellationes ad sedem Romanam non tantum in causis ecclesiasticis, sed etiam civilibus adeo sunt auctæ, ut adversus eas cautum sit in Germania per recessum imperii de anno 1654 & capitulationes cæsareas Ferdinandi IV. Leopoldi, Josephi I. Francisci, & Josephi II. art. 14. §. 4.

§. 452. De sensu hujus celeberrimi canonis concertatio non modica diu jam eruditorum exercet industriam, dum alii merum jus *retractandi*, alii autem *adpellandi*, ac istud quidem non recens concessum, sed stabilitum potius in illo fuisse canone contendunt, quorum illud Petrus de Marca propugnat *L. 7. concord. sacerd. & imp.* Elias du Pin. *de antiq. eccles. discipl. diss.* 2 Van-Espen *in Scholiis ad can.* 3 *Sardic.* [1]: Alterum vero non minori conatu Nat. Alex. in *Hist. Eccl. sec.* 4. *diss.* 18 Christianus Lupus *dissert.* 1. *de antiq. eccles. Gallic. appellat. cap.* 26., aliique [2]. At enim quemadmodum hæc concertatio aliqua saltem sui parte logomachiam immixtam habere videtur, ita componi illa fortasse posset, si de notione *adpellationis* & *retractationis* pars utraque conveniret.

1. Est jurisconsultis *adpellatio* remedium juris, quo judex immediate superior imploratur, ut gravamen a judice inferiori illatum tollat. Est porro *gravamen*, quidquid adversus jus alterius suscipitur. Juxta hanc itaque definitionem jus recipiendi adpellationem tribuit jus sententiam a judice inferiori latam reformandi, hoc autem, ait Petrus de Marca, in concilio Sardicensi Papæ non est concessum, sed solum potestas judicandi, an judicium in concilio provinciali sit reformandum? & hoc ipsum quidem non per se, sed per delegatos, eosque episcopos provinciæ vicinos. Docet præterea Marca, ante synodum Sardicense episcopis depositis non licuisse ad sedem Romanam adpellare, imo etiam post concilium Sardicense usum adpellationum ad sedem Romanam in ecclesia orientali ante concilii Trullani tempora, id est, ante annum 692. non viguisse, in occidente vero universim non obtinuisse ante seculum octavum. Cum enim *Cyprianus* inaudiisset, clericos quosdam in concilio provinciali excommunicatos una cum pseudo episcopo suo Fortunato Romam ivisse, ibique apud *Cornelium* Papam contendisse, ut eos in communionem reciperet, illico ad Cornelium hanc misit admonitoriam epistolam: *Moris esse, ut quivis a proprio in propria provincia judicetur episcopo, nec licitum esse Romam, aliosve adpellare. Statutum esse omnibus ut æquum pariter, ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & fideles damnatos non debere circumcursare, sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possint.* Idem Cyprianus ab episcopis Hispaniæ consultus in causa *Basilidis*, & *Martialis* (qui in concilio provinciali ob crimen idololatriæ depositi a Stephano Papa in communionem recepti sunt) respondit, debere Hispanos episcopos primo judicio firmiter adhærere, & contra rescriptum Stephani in causa Basilidis ad Hispanos datum ita loquitur: *quare tametsi aliqui de collegis nostris extiterunt fratres charissimi! qui deificam disciplinam negligendam putant, ac cum Basilide, & Martiali communicant, conturbare fidem vestram ista res non debet.* (§. 17.) Porro usum adpellationum necdum seculo quarto in ecclesia viguisse, adeoque jus novum concilium Sardicense statuisse, ostendi quoque potest ex canonibus synodi *Antiochenæ* de anno 341. horum enim canon decimoquarto statuit: *ut cum episcopi comprovinciales in judicio criminali aliquujus e suis coepiscopis dissentirent, ad causæ ambiguæ judicium episcopi vicinioris provinciæ una cum illis a Metropolitano convocentur*, & canone decimoquinto: „episcopum ab omnibus suæ provinciæ episcopis damnatum ab aliis judicari prohibet, & supremam [illegible] in causis decernit conciliorum provincialium authoritatem." Nec juvat contra authorita-

tem hujus synodi excipere, eo quod ab Arianis episcopis sit celebrata præsente Imp. Constantio Arianorum fautore; siquidem ex sexaginta novem, qui aderant, episcopis, quinquaginta erant Catholici, ejusque canones ab ecclesia universali sunt recepti.

2. Ad mentem Nat. Alex. jus adpellationum a Synodo non est institutum, sed confirmatum, eo quod jus hoc cum primatu cohæreat. Ad Papam enim, ait, pertinet jus, & obligatio observantiam canonum urgendi, ac custodiendi. si proin episcopus in synodo provinciali contra vim canonum judicatur, ac deponitur, Pontificis est, læsionem illatam, & canonum transgressionem resarcire recipiendo adpellationem. Quod si adtendatur, ad jura Imperantis majestatica pertinere recipiendi recursum ab abusu potestatis ecclesiasticæ eo in casu, quo injuste depositus esset episcopus, etiam negato jure adpellationis Papæ competente gravatus viam haberet, illatam sibi læsionem reparandi. Athanasius a synodo *Tyria* injuste dejectus interposuit quidem recursum ab abusu ad *Constantinum* Imp., nullatenus vero ad *Julium* Papam adpellavit.

§. 453. Toleti totius Hispaniæ Metropoli celebratum anno 400. concilium *Toletanum I.* viginti edidit canones disciplinares [1]. In concilio *Arausicano I.* anno 441. habito triginta canones sunt conditi [2], Agathæ, quæ Galliæ urbs est, anno 506 habitum concilium *Agathense* ad restaurandam ecclesiæ disciplinam, in quo canones quadraginta et octo conditi, quibus postea alii viginti quinque adjecti sunt verosimiliter inconciliis poterioribus editi [3].

1. Notatu digniores sunt sequentes. *Primus* conjugatos ad diaconatum admittit, vetat tamen simul, ne ad presbyteratum, aut episcopatum promoveantur, qui cum suis uxoribus continentiam non servaverint, ex iisque filios susceperint, *secundus* ex iis qui publicam egerint pœnitentiam, lectores, aut ostiarios ordinari indulget ita exigente necessitate, hac tamen sub hypothesi, ne evangelia, aut epistolas legant. (Notandum hic lectionem evangelii, quæ talibus prohibetur, non fuisse illam, quæ in solemni missa fieri solebat, hæc enim solis diaconis competebat, sed illam *lectoribus* communiter competentem, quæ fiebat extra sacrificii tempus) *Quintus* clericos dignitate sua spoliat, si non interfuerint quotidiano missæ sacrificio. (Probat hic canon, seculo quinto *quotidie* missæ sacrificium oblatum fuisse) *Septimus*: „Si Clerici uxorem peccare „contigerit, poterit ipse eam domi ligare, jejunio subdere, & punire, quin „tamen in ejus vitam quidquam moliatur, at ei non licebit ad mensam cum „ipsa sedere, quoad pœnitentiam egerit." Obtinebat in Hispania tum quidem mos, ut viri uxores adulteras morti addicerent, hoc concilii Patres impulit, ut id clericis interdicerent. *Octavus*, qui post susceptum baptisma militiæ nomen dederit, quamvis in ea vitæ ratione haud patrasset graves culpas, & neminem occidisset, si inter clericos suscipiatur, ad diaconatum pervenire non poterit. *Decimus*, eos, qui sub aliena sunt potestate, clericos ordinare non licet sine Dominorum consensu. *Decimus-septimus*, qui præter uxorem sibi fidelem concubinæ jungitur, excommunicatus sit, si vero concubina ei est sponsæ loco, ut titulo sponsæ, seu concubinæ pro ipsius optione unius fœminæ societate contentus sit, a communione non rejicietur. Canon iste docet, ecclesiam aliquando concubinas probasse. Hujus rei causa est, quod secundum jus civile romanorum non omnis fœmina potuerit esse uxor legitima omnis viri, sed requireretur, ut ambo essent cives Romani. Senatori libertam ducere non licebat, nec viro libero, ac ingenuo mancipium sibi copulare. Mancipiorum conjugia legibus, & privilegiis justi matrimonii non gaudebant. Quæ autem fœmina legitimæ uxoris jure retineri non poterat, eam concubinam habere licebat, nec leges reprobabant, si modo vir unicam haberet concubinam, & uxorem non haberet. Liberi, qui inde nascebantur, nec legitimi erant, nec spurii, sed naturales, petentibus parentibus, sumtu, & donationibus adjuvari poterant. Ecclesiæ ejusmodi distinctiones liberorum erant ignotæ, sed juri naturali insiste-

bat, omne conjugium viri, fœminæque probabat, dummodo unius tantum viri, & unius fœminæ, atque idem perpetuum esset. Hinc concilium Toletanum cum S. Aug. *concubinatum individuum* ut licitum definivit; pone enim, hæc tria adesse, primum ut accedat fides mutua, quod nec alteri se jungere, nec a procreatione liberorum velint abhorrere, secundus ut pars utraque sit cælebs, tertius ut usque ad mortem in hac conjunctione manendum sibi proponant, adest matrimonium jure naturali, & divino positivo validum, attamen si nuptiarum ritus, & solemnitates negliguntur, non uxorem, sed concubinam leges præsumunt, *quæ uxoris loco sine nuptiis in domo est* (L. 144 de V. S. L. pen. de donat. int. vir. & uxor.) id est, tum habetur concubinatus individuus, qui tametsi jure naturali, & divino positivo licitus ex eo tempore illicitus evasit, ex quo concilium Tridentinum matrimonia sine solemnitatibus irrita declaravit, & id imperantes placito suo firmarunt. Canon tandem *vigesimus* statuit hæc duo: primo non posse Presbyterum conficere S. chrisma, ne quidem episcopi jussu, quamvis ejus unctionem etiam in fronte (id est, in Sacramento confirmationis) episcopo absente, vel si adest, permittente facere possit, secundo, diacono id facere non licere. Huic concilio adnexa est regula fidei, quam tamen non ad concilium istud, sed ad aliud Toletanum tempore S. Leonis anno 447. celebratum pertinere contendit Nat. Alexander. Notanda etiam animadversio a Claud. Fleury facta, in hoc concilio prima vice episcopum Romanum simpliciter *Papam* quasi per eminentiam nominari, antea enim nomen Papæ aliis episcopis promiscue tributum fuit, nam Hieronymus Augustino scribebat: *Beatissimo Papæ Augustino.* (Est Papa vox græca a *παππας pater.*)

2. Canone *secundo*, & inter ceteros hujus concilii celeberrimo hæc statuuntur: *Nullus ministrorum, qui baptizare possunt, quocumque exeat sine chrismate, quia statutum est inter nos, ut una tantum vice hæc unctio fiat. Si quis in baptismo ob casum necessitatis unctionem chrismatis non accepit, hac de re episcopus eum confirmaturus admoneatur. Unica est enim unctio chrismatis, quod non ita quidem accipiendum, ac si unctio iterata noceret, sed ne credatur necessaria.* Sunt manuscripti codices, in quibus legitur, ut *necessaria habeatur*, sunt & critices periti viri, qui ita legendum asserunt absque negante particula: nec latet, quam acriter super hoc capite digladiati fuerint *Sirmondus* Jesuita, qui a negatione stabat, & Abbas S. Cyrani sub *Petri Aurelii* nomine delitescens, qui negotiationem impugnabat. Hoc ergo Abbate judice ea est hujus canonis notio, ut necessariæ chrismationes duæ sint, baptismatis una, confirmationis altera. Ex Sirmondi sententia contra canonis sensus est, unam tantum chrismatis unctionem fieri debere, eam nempe, quæ fit in baptismate, in confirmatione non iterum repetendam, nisi in baptismo casu aliquo, aut necessitate quadam omissa fuerit, ita tamen repetendam, *ut non necessaria putetur rechrismatio.* Quæ lectio Sirmondi si servari debet, sequitur, juxta hunc canonem ad sacramentum confirmationis chrismationem non esse necessariam, ejusque *materiam necessariam* solam manuum impositionem esse. Porro lectionem Sirmondi servandam esse, potiores manuscripti codices suadent. Ut igitur hic canon intelligatur, sciendum est, primis tribus ecclesiæ seculis sacramenta tria *baptismi, confirmationis, & eucharistiæ* uno eodemque tempore etiam infantibus (quibus sub specie vini eucharistia data) conferri consuevisse. Tum quidem una tantum erat chrismatio, quam episcopus statim a baptismate, & ante confirmationem super baptizati capite peragebat. Deinceps confirmationis sacramentum, seu manuum impositio a baptismate sejungi cœpit, quod in causa fuit, ut consuetudo multiplex in ecclesiam quoad unctionem chrismatis induceretur, eam aliis baptismo, aliis confirmationi addentibus, aliis denique eamdem tum in baptismo, tum in confirmatione peragentibus. Canon *septimus* dicit: *sunt ecclesiasticis censuris reprimendi, qui aliquo servitutis genere sibi volunt servos subjicere, qui in ecclesia libertate donati, vel ecclesiæ sive testamento commendati sunt.* Constantinus enim dominis facultatem concessit, ut servos in ecclesia libertate donarent, duobus editis legibus, quæ extant in codice hoc titulo: *De his, qui in ecclesia manumittuntur.* Alii morientes suos libertos ecclesiæ commendabant. Et hujus quidem generis liberti sunt, quos concilium vexari vetat, quia sub ecclesiæ præsidio esse censebantur propterea, quia domini, ut manumissionis actum solemnem

redderent, eos in ecclesia coram fidelibus libertate donabant. Canon *decimus* „ecclesiæ, quam in aliena diœcesi extruit episcopus dedicationem celebrare „non poterit, clericos tamen, qui eidem deserviant, præsentare poterit." Cernitur hoc loco origo *juris patronatus*, juris scilicet ad eum pertinentis, qui ecclesiam fundavit.

1. Celebriores sunt isti: *secundus* ita habet: *Clerici non obedientes, qui ecclesiam adire negligunt, & officio suo non funguntur, ex albo, seu matricula expungantur, & ad communionem peregrinam redigantur.* Est autem *communio peregrina* pœna olim usitata, si cum clericis in sua ecclesia eodem modo agebatur, ac si peregrini forent, si sui ordinis exercitio carere debebant tamdiu, donec per condignam pœnitentiam officium, & stationem recuperassent. Ut autem intelligatur quid sit, *cum clerico in sua ecclesia eodem modo agere*, ac si peregrinus esset, animadvertendum est, antiquam disciplinam in admittendis peregrinis, præcipue clericis, qui ad extraneam quamdam ecclesiam venirent, omnino severam fuisse; ne forte in communionem reciperentur excommunicati. Quocirca litteris commendatitiis destitutis communio denegabatur, tanquam quodammodo suspectis, nec tamen penitus rejiciebantur, sed ex ecclesiæ bonis alebantur, donec ejusmodi litteræ ab ecclesia, unde venerant, possent procurari. Hæc communio peregrina advenarum intuitu non erat pœna, si autem cum clericis in sua ipsorum ecclesia eodem modo agebatur pœna erat titulo *reductionis ad communionem peregrinam* olim celeberrima. Canon *septimus* vetat episcopis domos, mancipia ecclesiæ, aut vasa sacra vendere, si vero utilitas ecclesiæ poposcerit, ut ea vendantur, aut in usumfructum concedantur, causa a duobus tribusve episcopis examinetur, & si subscripserint, tunc demum alienatio rata habeatur, res vero minoris valoris, & quæ ecclesiæ minus utiles sunt, alienare episcopus possit, quin confratres suos consulat. Canon *duodecimus* solos dies dominicos, non sabbata statuit a jejunio quadragesimali excipiendos. *Decimussextus* diaconos ante annum ætatis *vigesimum quintum* vetat ordinari, conjugatos autem absque uxorum consensu de servanda in posterum continentia. *Decimus septimus* episcopos, & presbyteros ante annum ætatis *trigesimum* consecrari prohibet. *Decimus octavus* laicis in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste communionem imperat. *Vigesimus* clericos nutrientes comam ab Archidiacono etiam invitos detonderi jubet, & vestimentis uti clericorum modestiam decentibus (nihil tamen quoad formam, & colorem harum vestium decernitur) *Vigesimus secundus* presbyteros, vel clericos res ecclesiæ tenere posse decernit cum episcopi consensu salvo tamen ecclesiæ jure, & ita, ut eas vendere, aut donare nequeant, venditionem alioquin rescindendam, & resarciendum ecclesiæ damnum ex propriis eorum facultatibus. Jam tunc episcoporum usumfructum bonorum ecclesiasticorum clericis concessisse vides qui nihil aliud est, quam *ecclesiasticum beneficium.*

§. 454. Synodus *Aurelianensis I.* habita anno 511. eam convocante Rege *Clodoveo* triginta et unum edidit canones [1], quorum confirmationem postulavit a Rege. *Aurelianensis II.* anno 533. celebrata contra simoniam, & diversos abusus viginti unum condidit canones, quorum decimus sub anathemate matrimonium cum noverca prohibet, & decimus nonus matrimonia Christianorum cum Judæis irrita declarat. *Aurelianensis III.* celebrata anno 538. edidit triginta tres canones [2]. Anno 541. celebrata *Aurelianensis IV.* Ex tripartito Franciæ regno Childeberti scilicet, Clotarii, & Theoberti convenerunt episcopi triginta octo cum septem presbyteris. Conditi canones triginta octo quibus præcedentium synodorum decreta paucis additis [3] confirmata.

1. Canon *primus secundus* & *tertius* reorum ad ecclesiam confugientium securitati

consulit, prohibetur enim, ne rei non tantum ex ecclesia, sed nec ex vestibulo domus episcopalis rapiantur, ne in manus potestatis secularis tradantur, nisi fide accepta, quod judex reum mutilaturus non sit. Mos erat inter barbaras gentes, ut reos pedibus, manibusve, aut alia corporis parte truncarent. Cum hoc concilium a Rege Clodoveo sit convocatum, ab eoque episcopi confirmationem canonum conditorum petiissent, adparet, eos haudquaquam *propria authoritate* jus asyli concessisse. Canon *quartus* prohibet, ne quis absque Regis jussu, aut prætoris consensu in clerum assumatur, & addit, illos, quorum parentes, majoresve clerici fuerint, sub potestate episcoporum esse oportere. Id videtur restringere prohibitionem circa barbarorum familias, qui ad ea usque tempora raro in ordinem clericorum suscipiebantur. Canone *octavo* dicitur: servus inscio domino ordinatus clericus erit, sed tunc vel episcopus, vel ille, qui eum ordinari petierit, domino duplum solvet. Canonibus *quinto, decimo quarto, decimo quinto, decimo sexto, et vigesimo tertio* circa bona ecclesiæ hæc statuuntur, ut fructus fundorum, quos ecclesia a Regis munificentia tenet, & a tributis exempti sunt, *reparandis ecclesiis, alendo clero pauperibus, & captivis* redimendis impendantur. Episcopus administrationem habeat omnium fundorum ad ecclesiam pertinentium. Oblationum, quæ ad altare in ecclesia cathedrali fiunt, episcopus mediam partem accipiat, & clerici alteram. In parochiis episcopus tertiam oblationum partem habeat. Si episcopus ad tempus clericis, aut monachis agros colendos concesserit, dominium tamen ecclesiæ conservabitur, nec unquam opponi poterit præscripti. Canone *vigesimo quarto, vigesimo quinto, et vigesimo septimo* circa festa, & ceremonias decernitur, ut quadraginta diebus ab olvatur, & non ad dies quinquaginta producatur, quod contra eos constitutum est, qui sabbato jejunium intermittebant, & ideo jejunare incipiebant a quinquagesima, hinc juxta hunc canonem sola dies dominica a jejunio quadragesimali excipienda fuit. Nullus pascha, festum Domini natale, & Pentecostem ruri in vilis celebret, nisi infirmitate detentus. Nemo a missa discedat, priusquam finita sit, & episcopus benedixerit. In omnibus ecclesiis dies rogationum, seu lytaniæ observentur atque his tribus diebus servi, & ancillæ a labore cessabunt. Canon *decimus octavus* matrimonium cum uxore fratris defuncti, aut cum sorore propriæ uxoris prohibet sub pœna ecclesiastica, hinc adfinitatem in primo gradu statuunt impedimentum prohibens matrimonium contrahendum, non dirimens jam contractum, nam separationem sic contrahentium non præcipiunt, sed solum ecclesiastica pœna afficiendos decernunt. Canon *tricesimus* eos excommunicandos decernit, qui divinationibus, aut *sortibus sanctorum* dant operam, quibus Romani rudes, ac barbari adeo erant dediti ut tot conciliorum mandatis aboleri vix potuerint. Fiebant autem sortes sanctorum sequenti modo: quemcunque scripturæ librum aperiebant, & prima, quæ aperto libro inspicientium oculis occurrissent verba, in omen rerum futurarum trahebant. Jam Augustinus sua ætate hanc superstitionem arguerat, ac damnaverat.

2. Quod a clericis ex episcoporum decedentium munificentia possidetur, a successoribus auferri prohibetur. (*can.* 17.) (Ex hoc canone perspicuum est, episcopos clericis concessisse agros, & prædia ecclesiæ ad usum fructum, quo ad viverent, quæ auferre ipsis successor non posset, imo nec ipse, qui concesserat, nisi contumatiæ rei essent, unde beneficiorum perpetuitas est exorta). Missa celebretur hora tertia id est, *nona* matutina diebus solemnibus, ut fideles eo facilius ad serum vesperis interesse possint. Nemo officiis divinis armatus intersit. (Hoc manifeste barbarorum causa aditum est; nam Romani, nisi militarent, aut iter facerent, ne quidem gladium ac latus habebant) can. *trigesimus octavus* ita statuit *Quia populus credit, non licere diebus dominicis iter facere cum equis, bobus, aut in vehiculis, nec cibos præparare, nec quidquam facere, quod ad domus conditionem, vel hominum pertineret, id vero magis leges ceremoniales judaicas, quam christianas redolet, decernimus, ut ea, quæ antea diebus dominicis fieri licebat, etiamnum liceat. Volumus tamen, ut omnes omittant labores rurales, id est, ne arent, fœnum non succidant, vineam non putent, frumentum non succidant, aut flagellent &c.* Canon *sextus* renovat canones antiquos, ne neophyti ætate juniores, bigami, pœnitentiam professi, semicorpore, id est, deformiter parvi, vel gibbosi, vel claudi, mutilati promoveantur ad ordines. Canon *duodecimus* cavet, ne res ecclesiæ alienentur, alienatas vero revocari jubet: item *vigesimus* presbyteros, aliosque ministros res ecclesiæ alienare aut obligare vetat sine permissu, & subscriptione episcopi sub pœna depositionis. Canon *vigesimus quintus* conjugatis pœnitentiam publicam, nisi ex alterius pariter consensu imponere vetat, quia pœnitentiæ tempore continentia servanda.

3 Ex additis hi sunt præcipui: Omnes episcopi curent quadragesimam æqualiter observari, non in uno loco prius, quam in alio jejunare incipiant, nec jejunium *Sabbati* tollatur. Inde conjectura est, aliquos consuetudinem Græcorum secutos sabbato non jejunasse, & quadragesimæ die lunæ post dominicam quinquagesimæ initium posuisse. Qui in fundis suis parochiam fundare voluerit, reditus sufficientes, & clericos qui ministrant, suppeditet. Ecce iterum juris patronatus vestigia. Plures canones in hoc concilio conditi, quibus prohibetur laicis, ne bona ecclesiæ donata rapiant, & clericis, ne illa alienent, unde inferendum, illos abusus fuisse frequentes. Canon *vigesimus primus* decernit, ut nullus puellam [in matrimonium ducere audeat invitis parentibus, hac addita ratione: *ne conjugium, quod invitis parentibus impie copulatur, velut captivitas judicetur*. Canon *vigesimus nonus* mulieres impudicas cum clericis deprehensas in adulterio ex mandato episcopi a civitatibus expelli jubet.

§. 455. Concilium *Bracarense I.* celebratum anno 563. condidit viginti duo canones disciplinares [1]. *Bacarense II.* anno 572. celebratum præmissa quatuor synodorum generalium mentione decem condidit canones. Primus, & secundus de episcoporum visitatione statuunt, ut primum incumbant examini clericorum, deinde plebis instructioni, tum ut præter honorem cathedræ suæ, seu præter *jus cathedraticum* (id est, duos solidos, seu duos numos argenteos monetæ gallicæ juxta Nat. Alex.) nihil accipiant, neque tertiam oblationum partem sibi vindicent, utpote quæ ad alendas lucernas, & sarta tecta relinquenda est. Simoniacum esse quidquam accipere pro ordinatione, pro chrismate, pro baptismo, pro ecclesiarum consecratione decernit canon tertius et sequentes quorum septimus addit, invigilandum esse, a fundatoribus ecclesiarum dos competens, & quidem publicis tabulis assignetur. Si quis vellet ecclesiam fundare ea conditione, ut oblationes deinde cum clericis partiatur, statuit canon sextus, ut nullus episcoporum tam abominabili voto consentiat, talemque ecclesiam consecret, quod talis fundator credi debeat non devotione, sed spe lucri impelli. *Matisconense I.* Guntrami Regis jussu anno 581. celebratum canones edidit decem novem, in quorum uno clericis prohibetur, ne arma gerant aut vestitu secularium incedant. Præcipit in alio, ut a festo S. Martini usque ad Natalem Domini diebus lunæ, mercurii, & veneris jejunetur, & missa sicut in quadragesima, id est vespere celebretur. Hoc jejunium solis clericis fuisse impositum creditur, & origo deprehenditur *adventus* Domini. *Matisconense II.* anno 585. celebratum viginti condidit canones [2].

1. Præcipua statuta hæc sunt: Prohibetur, ne in ecclesia ullum aliud carmen exceptis psalmis, & sacra sperjptura cantetur (itaque videntur hymni rejici) Episcopi populum salutent sicut presbyteri illis verbis: *Dominus vobiscum* (quia inepte Priscillianus hæreticus non semel tantum, ut moris est, sed semper episcopos salutare debere populum his verbis: *pax vobis*, nunquam illis: *Dominus vobiscum* agebat. Apud Græcos nullum esse hujus salutationis usum, nec reperiri in eorum liturgiis, sed ad formulam *pax vobis* tum ab episcopis, tum a presbyteris populum salutari, constat ex liturgiis S. Basilii, & Chrysostomi (Hom. 3 in Ep

ad Colosess.) Qui subdiaconus non est, vasa sacra non tangat. Lectores, dum in ecclesia cantant, vestitu hominum secularium non utantur, nec capillos alant. Diaconi orarium, id est *stolam* non occultent, sed illam super humerum gerant, ut a subdiaconis discernantur. Clerici, qui carnes non comedunt, ut omnem suspicionem priscillianæ hæreseos effugiant, saltem olera cum carnibus cocta comedant. Ecclesiæ bona in partes tres dividantur, quarum una episcopo, altera clericis, tertia sartis tectis adhibeatur. Quæ pro mortuis, aut alterius devotionis causa offeruntur, inter omnes clericos semel, bisve per annum dividantur, & nemo sibi soli oblata per septimanam usurpet. Sepultura ecclesiastica privantur, qui sibi ipsis manus violentas intulerunt, aut capitis pœna damnati sunt, pro his, & pro catechumenis sine baptismo mortuis non oretur. Nemo in ecclesiis sanctorum sepeliatur, nec tantum extra muros earum, cum urbes privilegio adhucdum gaudent, nequis intra muros sepeliatur.

2. Horum hæc est summa: In primo præcipitur diei dominicæ observatio, quæ valde negligebatur. Prohibetur, ne quis illa die in judicio actionem moveat, addita pœna ut, si fecerit, causa cadat, prohibetur, ne quis labores domesticos ita ordinet, ut necessarium sit die dominica boves plaustro jungere, & præscribitur pœna, ut ruricolæ hujus præcepti transgresores fustibus castigentur, clerici, & monachi sex mensibus sint excommunicati. Præcipitur, ut tempore paschali fideles per dies sex ferientur, ab omni opere servili cessent, & sacro intersint. Nullo alio tempore, nisi paschali baptismus conferatur (nam mos invaluerat, ut multi omnibus fere martyrum festis baptizarentur, ita ut in festis paschalibus vix duo, tresve invenire esse, qui baptismum reciperent.) Præcipitur, ut decimæ ecclesiæ ministris secundum legem Dei (veteris testamenti), & consuetudinem Christianorum, quæ supra hominum memoriam est, sub pœna excommunicationis solvantur (nulla lex pœnalis de decimis hac antiquior reperitur). In Gregorio Turonensi multa exempla leguntur, episcopos, aut presbyteros ex suis ecclesiis raptos, vinculis oneratos, verberibus, aliisque contumeliis adfectos fuisse, nempe necdum satis barbarorum mores mansuetudo christiana emendaverat. Huic malo ut mederetur concilium, prohibet, ne asyla violentur, & ne judices seculares episcopum ex claustris ecclesiæ suæ injectis manibus abstrahant, sed si quis episcopo litem movere voluerit, adeat Metropolitanum, aut synodum provincialem, pari modo episcopi, & clerici ab episcopo suo judicentur. Clericis prohibetur, ne judicio intersint, dum sententia mortis pronunciatur, aut dum executioni mandatur. Hujus concilii canones confirmavit Rex *Guntramnus* generatim judicibus secularibus injungens, ut transgressores hujus decreti puniant.

§. 456. Concilium *Ilerdense* in Hispania anno 524. canone primo clericos, qui urbem ab hostibus obsessam defenderint, & ab officio, & a communione suspendit (injusta hæc est pœna, clerici enim *qua cives* in casu necessitatis patriam contra hostes defendere *obligantur*.). Concilii *Lugdunensis II.* anno 566. celebrati canon secundus decernit, ut rata sint testamenta episcoporum, & presbyterorum in gratiam, & commodum ecclesiæ facta, etiamsi stricti juris apices in iis observati non fuerint (canon hic transcendit limites potestatis ecclesiasticæ, & sine placito regio vim obligandi habere nequit.) Concilium *Cæsaraugustanum II.* anno 592. canone secundo statuit, ut reliquiæ sanctorum apud Arianos inventæ episcopo præsententur, & igne probentur, si quis deprehensus fuerit, quod reliquias coluerit, excommunicabitur (istud ignis experimentum indicare videtur, tunc creditum fuisse, veras reliquias igne consumari non posse.) Concilium *Parisiense V.* anno 614. canone decimo quinto statuit, ut nul-

lus Judæorum publicam actionem ullam super Christianum exerceat, & præcipit, ut Judæus, qui prædictam sanctionem violaverit, ab episcopo cum omni familia sua baptizetur (ex quo patet, hanc olim in Gallia viguisse consuetudinem, ut Judæi ad baptismum suscipiendum cogerentur, quæ convenienter abrogata est meliori disciplina.) Concilium *Rhemense* anno 526. statuit canone septimo, eos, qui reum ad asylum ecclesiasticum confugientem inde extraxerint absque addito promisso, & juramento eum nec capite plectendum, nec torquendum, nec mutilandum esse, a communione removendos. Canon octavus ejusdem concilii incestarum conjunctionum reos, nisi pœnitentiam agant, non solum a communione, sed etiam a militia, & a causarum advocatione repellit, ipsorum bona vero propiis parentibus addicit ea lege, ut neque ea redimere, nec parentum cessione, nec Regis authoritate, nec quibusvis artibus recipere possint, nisi separati pœnitentiam agant (canon omnem ecclesiæ potestatem transcendens, quæ nullis bonis temporalibus privare potest.) Concilium *Toletanum IV.* anno 633. varia circa ritus ecclesiæ ordinavit. Præcipit, ut diversitas officiorum in ecclesiis particularibus tollatur, ne hominibus rudibus istud discrimem schisma esse videatur [1]. Idem concilium statuit canone quinquagesimo septimo ne in posterum compellantur Judæi ad suscipiendam fidem, quam omnes nonnisi libera voluntate, & sola prædicationis vi permoti amplecterentur. Concilium *Toletanum VI.* anno 637. statuit, ut Rex legitimis suffragiis electus non antea solium conscenderet, quam inter reliquas conditiones sacramento pollicitus fuisset, non passurum se catholicam fidem violari, nec degere in regno suo aliquem a religione catholica alienum [2].

1. Ad hanc diversitatem tollendam inter alia præcipitur, ut tribus mensibus ante festum Ephiphaniæ Metropolitæ alter ad alterum scribant, qua die festum Paschæ celebrandum esse, idque suis suffraganeis indicent, ut omnes una die hoc festum celebrarent. Etiam in conciliis seculi quinti, & sexti sæpius statutum, ut Metropolita episcopis comprovincialibus indicet, qua die Pascha sit celebrandum, unde deducitur, seculo septimo usum *calendariorum*, qualia hodie habemus, ignotum fuisse.

2. Hoc canone tolerantia diversarum religionum prohibetur, & non potest spectari qua lex ecclesiastica, sed qua civilis fundamentalis, seu *capitulatio* Regis; episcopi enim tunc temporis, ut ex canone ultimo concilii Toletani IV. liquet, jam admittebantur ad regiminis politici partem.

§. 457. Tempore concilii *Toletani XII.* anno 681. celebrati *Wamba* Rex Gothorum fraudibus Ervigii, qui imperium ambiebat, regno spoliatus est. Ervigius enim Wambæ potum veneno mixtum propinabat, quo veneni genere Wamba morbo gravissimo implicatus ab archiepiscopo Toletano pœnitentia munitus vestem monasticam induit, eo nimirum ritu Deum am-

plius propitiari credebatur. Postea convalescens cucullum numquam amplius sibi esse deponendum credidit, & abdicato regno Ervigium successorem pronunciavit [1]. Prima Ervigii cura fuit Toletum synodum convocare. Libellum episcopis Rex præsens tradidit, in quo rogabat, ut sibi regnum stabilirent. In hoc concilio conditi canones tredecim, in quorum primo dicunt episcopi: "Vidimus instrumentum a proceribus signatum coram quibus Wamba vestem religiosam, & tonsuram recepit. Vidimus ejus decretum, in quo Ervigium successorem »habere exoptat, — — »quibus perlectis electionem hanc assensu nostro firmandam esse existimamus. *Itaque declaramus populum a fide juramenti, quo Wambæ obstringebantur, liberatum* [2]."

1. *Mariana* L. 6. de rebus Hispaniæ narrat, Wambam ante reconvalescentiam intermorientibus vocibus, menteque veneni operatione alienata Ervigium successorem nominasse, idque extemporaria syngrapha, & regio diplomate confirmatum fuisse.

2. Primum hoc est (ait Fleury) exemplum, quod ocurrit, episcopos voluisse subditos a juramento fidelitatis suo Principi præstito liberare, & sub prætextu pœnitentiæ usum potestatis secularis interdicere, nam in eodem concilio sequentem condidere canonem, *sunt, qui recuperata sanitate tonsuram, & habitum monasticum dimittere volunt, impudenter dicentes, hoc voto se non obligari, quia pœnitentiam non petierunt. At sicut infantes fide baptismi, quem rationis expertes acceperunt, obstringuntur, ita etiam quibus pœnitentia, etsi sui insciis injuncta est, eum sancte adimpleant, iis que omnem reditum ad munera militaria interdicimus.* Nemo non videt, hunc canonem ea solum de causa editum, ut Wambæ spes omnis ad solium redeundi præcideretur, nec legimus hanc ei mentem fuisse, nam in monasterio perseverans post annos septem obiit. Ceterum nullum potestatis indirectæ in Principum temporalia patroni in hoc facto sententiæ suæ habent præsidum; nam ecclesiæ, vel Papæ juxta eorum systema tum solum potestatis hujus exercitium competit, quando *casus indirectæ dependentiæ* adest, is vero ipsis fatentibus tunc tantum adest, quando imperium civile fini ecclesiæ impedimento esset, id est, si Imperans infidelis esset, aut hæreticus, subditos suos ad infidelitatem, vel hæresim pertrahens, vel si aliorum criminum gravium reum se faceret, tum enim illum excommunicari, ac ita per indirectum solio deturbari posse ajunt, horum autem cum nihil Wamba perpetrasset, liquido adparet, nihil in hoc facto sententiæ hujus patronis præsidii esse.

§. 458. Tribus annis post nimirum anno 683. celebratum concilium *Toletanum XIII.*, conditique canones tredecim, quorum pars bona ad causas seculares pertinet; ut enim cetera omittam, canone tertio reliquiæ tributorum necdum solutorum usque ad annum primum Ervigii condonantur. Canone quinto viduis Regum prohibetur, ne nuptias secundas meditentur, & cuique, etiam Regibus, ne eas ducant [1]. De concilio *Toletano XVII.* anno 694. celebrato notandus venit canon quintus, quo superstitio, & impia consuetudo emendatur, qua nonnulli presbyteri missam pro defunctis institutam, ac præscriptam pro vivis, aut potius contra vivos celebrabant, hoc sacrificio mortem illorum accelerandam arbitrari [2].

1. Sola Regis voluntas, aut optimatum consensus episcopis *qua talibus* ejusmodi præcipiendi authoritatem dare potest; & nisi canon ultimus concilii Toletani IV. nos doceret, episcopos tunc temporis ad regiminis politici partem jam admissos fuisse, non immerito concluderemus, limites potestatis civilis, & ecclesiasticæ jam seculo septimo mire fuisse perturbatos.

2. In actis hujus concilii non habentur subscriptiones episcoporum, qui ei interant.

§. 459. Cum nec in concilio generali VI., in quo Monothelitæ, nec in quinto, in quo tria capitula sunt damnata, de disciplina aliquid sancitum esset, anno 692. Constantinopoli in turri palatii (quæ *cupula regia*, aut *Trullus* dicebatur) cura *Justiniani II.* concilium celebratum, quod a loco, in quo habitam, *Trullanum*, & simul etiam *Quinisextum* ideo dicitur, quia Græci quinti, & sexti concilii generalis acta perfectionem in eo adepta esse judicant. Interfuerunt huic synodo juxta *Balsamonem & Zonaram* episcopi 217., & in exemplaribus inveniuntur subscripti 211. Canones in illa editi 102. ad disciplinaria pertinentes [1].

1. Aliquos horum canonum ecclesia Romana rejecit, uti canonem *tertium*, quo constitutiones, & canones Apostolorum decernuntur genuini, canonem *decimum tertium*, quo conjugium sacerdotibus permitittur, canonem *quartum*, quo jejunium sabbati in ecclesia Romana usitatum damnatur, canonem *sexagesimum septimum*, abstinentiam a sanguine, & suffocato velut ex scripturæ mandato imponentem, & canonem *octogesimum tertium*, quo prohibetur, ne Christus pingatur in imagine agni, sed hominis. Nemo Catholicorum hanc synodum pro œcumenica habet, etsi cæteri canones, exceptis qui adducti sunt, ab ecclesia quoque Romana sint recepti.

CAPUT QUINTUM

DE

LEGIBUS IMPERATORUM DISCIPLINAM ECCLESIÆ CONCERNENTIBUS.

§. 460. Elegantissime S. Augustinus contra Cresconium pronunciavit: *In hoc Reges, sicut eis divinitus præcipitur, Deo serviunt, in quantum Reges sunt, si in regno suo bona jubeant, mala prohibeant; non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum quæ pertinent etiam ad divinam religionem.* Quam ad se curam pertinere Constantinus M. post susceptam ab eo Christi fidem, ejusque successores non ignorarunt [1]. Leges contra heresum authores, eorumque asseclas ab iis latæ adductæ sunt (§. 341. 354. 393. 1. 412. 1.), superest, ut de ceteris ad disciplinam pertinentibus dicatur.

1. Egregium Constantini promovendæ religionis studium elucet ex ejus epistola ad ecclesias de synodo Nicæna apud Euseb. de vit. Constant. L. 3. cap. 17. *In hoc*, inquit, *præcipue mihi elaborandum esse existimavi, ut a sanctissimis ecclesiæ catholicæ populis una fides, sincera charitas, & consona erga omnipotentem Deum religio servaretur.* Ea de causa apud eumdem Euseb. L. 4. de vita Constan. cap. 25. *vos quidem*, inquit episcopis, *in iis, quæ intra ecclesiam sunt, episcopi estis. Ego vero in iis, quæ extra geruntur, episcopus a Deo sum constitutus.* Nec minorem Constantini successores in tuenda religione curam impendisse constat: *Marcianus* in prima concilii Chalcedonen is sessione ita Patres alloquitur: *Imperium divino nutu sortiti subditis proprietate, & mansuetudine similiter necessaria plurimam solicitudinem impendimus, quatenus & vera religio, & nostra respublica cultu Dei purissimo, & pietate firmata præfulgeat* (apud Harduin. Tom. 2. col. 71.) Neque immerito; nihil enim religione ad salutem publicam efficacius, nihil utilius.

§. 461. Constantinus in favorem religionis Christianæ sexta Martii anni 321. diem solis, id est, dominicam celebrari jussit (non enim a Paganis celebrata fuit) atque in urbibus tribunalia a litibus, & populum a labore quiescere, quem tamen in agris permisit, ne tempus huic culturæ aptissimum frustra elaberetur. Prima die Julii ejusdem anni lex emanavit, ut cuique liberum esset, quæ vellet, ecclesiæ catholicæ de bonis suis relinquere (nempe quod legibus Imperatorum Ethnicorum prohibebatur, permisit.) Leges juris romani antiqui contra cælibatum [1] abrogavit. Alia lege suplicium crucis abolet antea apud Romanos usitatum. Rursus alia lege partibus litigantibus jurisdictionem magistratuum secularium declinare permisit, & episcoporum sequi judicium, sententiæ illorum talem authoritatem adtribuit, ac si a se ipso lata fuisset, magistratibus injungens, ut eas executioni darent. Ita episcoporum arbitrio, quod jam antea inter Christianos maximi ponderis erat [2], authoritatem a lege civili conciliat.

1. Legibus enim Romanorum antiquis in cælibatu viventes, & prolem legitimam non habentes & faciendæ donationis inter vivos, & legati incapaces erant, & hoc quidem juste, quia plerisque Ethnicorum cælibatum eligendi non alia fuit causa, quam ut in omnem vitæ licentiam impune solverentur.

2. Mos eligendi episcopos in litis arbitros jam Apostolorum tempore originem sumpsit: cum enim animadvertisset Paulus inordinatum litigandi super rebus temporalibus inter Corinthios studium irrepsisse, in prima ad eos epistola eos increpabat, quod, cum possent causam agere apud fideles ut *delectos arbitros*, mallent apud infideles judices experiri non sine scandalo Ethnicorum, dum vident illos, quorum lex fundamentalis est charitas, adeo promptos ad lites esse, & cum perjurii periculo, quoniam si eis præstandum esset juramentum, per Deos falsos jurandum erat. Ut autem Corinthios a tribunalibus Ethnicorum avocet, hunc illis ad dirimendas lites suas proponit modum, ut relicto judice Ethnico fideles pro arbitris eligant, cum jam episcopi semper in ecclesia magna authoritate pollerent, fideles plerumque negotia sua temporalia illis qua arbitris detulerunt, qui mos a Christianis introductus primitus a Constantino, dein iterum ab *Honorio* lege est confirmatus, nam anno 398. edixit Honorius: *Si qui ex consensu apud S. legis antistitem litigare voluerint, non vetabuntur: sed experiantur illius in civili duntaxat negotio more arbitri sponte residentis judicium.* Et sane nihil erat his episcoporum arbitriis humanius, nihil ad pietatem Christianam adcomodatius. Sedebat episcopus in medio presbyterorum quasi quidam magistratus medius inter consiliarios suos, adstabant

Diaconi tanquam ministri justitiæ. Partes ipsæ litigantes rogabant, ut causam eorum decideret, quod & sine formularum ambagibus fecerat, simul intentus de justitia causæ eos convincere.

§. 462. Alia lege prohibuit Constantinus aliquem in clericum ordinari, nisi ut in alterius defuncti locum succedat (clericorum itaque numerus tum fuit determinatus, quia nullæ fiebant ordinationes vagæ, sed singuli certæ ecclesiæ erant addicti). Edixit porro, tales in clericos non esse eligendos, qui sublimiore loco nati, aut pinguiori fortuna beati ad portanda onera civilia obligantur, quia (inquit lex) divites oportet pendere seculi exactiones, pauperes vero ecclesiarum bonis nutriri. (*Codex Theod.*)

§. 463. Eidem Constantino M. debent clerici initia privilegiorum tum realium, tum personalium, quæ habuerunt, aut etiam nunc habent; ad *Anulinum* enim Africæ proconsulem epistolam dedit, qua mandat, ut in sua provincia omnes ministri ecclesiæ, qui clerici dici solent, ab omnibus oneribus publicis sint exempti, ut nulla re a religionis servitio avertentur. Dubium non est eadem ad alios quoque provinciarum rectores fuisse pærscripta.

§. 464. *Constantius* Constantini filius anno 353. decretum pro clericis dedit, in cujus edicto primo eos eximit a censu alias fisco pendendo ob possesionem fundorum; secundo, concedit exemptionem ab oneribus servilibus, qualia erant farinam, panem, carbones ad Regiam suppeditare, eo modo, quo aulæ proceres exempti erant; tertio, liberabantur a tributo *lustrali*, quod mercatores solvere tenebantur [1], & tandem ab alia servitute qua aliqui equos publicos, currusque subministrare tenebantur. Ab eodem Constantio cum petiissent concilii Ariminensis episcopi, ut ecclesiarum fundi ab *omnibus* oneribus publicis liberarentur, id denegavit, sed tantum a tributis *extraordinariis* ecclesiarum exemptionem salvam esse voluit. Quod autem pertinet ad clericos mercatores, & qui agros proprios possiderent, onera etiam extraordinaria pendere jussit. Dedit hoc edictum anno 360., at anno sequenti legem priori contrariam edidit, omnibus clericis exemptionem a tributis extraordinariis concessit.

1. Tributum lustrale desumptum videtur a *lustro* quod tempus quinquennale a luendo, id est, solvendo nominatum, quod quinto quovis anno vectigalia per censores locata persolvebantur; lustrare enim idem esse, quod expiare a luendo, id est, solvendo ex Virgilio constat dicente: -- *& cum lustrabimus agros.* Hæc exemptio ad clericorum uxores, liberos, mancipia extendebatur nam multi clericorum tum uxores habebant, pluresque mercatores erant, & opifices. *At [illegible] est* (sunt verba edicti) *lucrum, quod ex mercatura faciunt, in utilitatem pauperum cedere.*

§. 465. Etiam de asylis quædam Imperatorum leges in hac

epocha inveniuntur. Est *asylum* vel ecclesiasticum, vel profanum prout loco sacro, vel profano conceditur, utrumque definitur, quod sit locus securitatem præstans iis, quibus ob læsam civitatem imminet coercitio. Primi natales asylorum inveniuntur in legibus judicialibus veteris testamenti [1]. A Judæis ad Græcos transferebantur [2]. Dein *Romulus* exemplum Græcorum eo ex fine est imitatus, ut urbem à se recenter conditam incolis impleret [3].

1. Erat Judæis ob nimium vindictæ studium permissum, ut is, cujus consanguineus occisus est, tanquam vindex occisorem deprehensum interficeret. Quia vero occisio quandoque necessariæ defensionis causa, aut aliunde justa esse poterat, & hujusmodi occisor in periculo fuerit, a consanguineo occisi mactari, Deus civitates refugii statuit, ut ibidem occisor securus esset, donec de delicto constaret. Inde vero adparet, in lege veteri civitates refugii non in favorem reorum, sed innocentum, non ad turbandum justitiæ cursum ordinarium, sed ad evitandum nimium vindictæ privatæ studium constitutas fuisse. Si enim probari poterat, homicidium dolo, & voluntarie patratum fuisse, reo civitates refugii non proderant, quoniam Deuter. cap. 19. statuitur: *si quis odium gerit erga proximum, eum explorat, & percutit, ut moriatur, & postea ad civitatem refugii se confert, seniores populi cum inde avocent, tradantque in manus ejus, cujus occisus erat consanguineus, ut occidatur. Non misereris ejus, sed amove ex Israel sanguinem nocentis, ut tibi bene sit.* Imo Exod. 21. dicitur, dolo, & voluntarie alterum occidentem ab altari abripiendum esse.

2. *Cornelius Nepos* memorabile factum superstitionis græcæ circa asyla narrat. *Pausanias* belli dux Lacædemoniorum, cum suspicionem proditionis patriæ incurrisset, ad templum Minervæ confugit. Lacædemoni reverentiam Deæ debitam lædi exstimantes, si illum vi inde extraherent, portas templi muris obstruxerant, ne fuga sibi consulere posset; & ut eo citius pereundum ipsi esset, eum tecto templi dejecto libero aeri exponebant. Cum vero animadvertebant (narrat Thucidides in L. I. belli Pelopon.) Pausaniam fame brevi periturum, semimortuus e templo est extractus, quo facto illico obiit. At Ephori eorum hac ratione jus asyli læsum fuisse clamabant, & oraculum delphinum consulebant, quo modo Dea Minerva reconcilianda sit, qui responso ab oraculo accepto duas ei in templo posuere statuas.

3. Locum densis sepibus circumdatum, qui locus *inter duos lucos* adpellabatur, asylum constituit, omnibusque illuc confugientibus securitatem promisit, cui ut majorem conciliaret reverentiam, ibidem templum extruxit. Hac inventione (narrante Plutarcho) ingentem copiam servorum fugitivorum, homicidarum, & alieno ære gravatorum Romam pertraxit, id quod testatur *Florus* dicens: *Imaginem urbis magis, quam urbem fecerat. Incolæ deerant. Erat in proximo lucus: hunc asylum fecit, & statim mira vis hominum, Latini, Tuscique, pastores quidam, & transmarini Phryges, qui sub Aenea Arcades, qui sub Evandro duce influxerant.* Cum autem sat incolarum advenerant, locus iste sepibus adeo arctæ est occlusus, ut remanente solo nomine asyli nemini ad eum patuerit aditus testante *Dione Cassio L.* 47. Adulatio, quæ statuas Imperatorum plus justo venerabatur, novam produxit apud Romanos asyli speciem; sceleratissimus nequam virum honestum calumnia adficere, servus dominum suum impune offendere, reus magistratui illudere poterat, quamprimum ad Cæsaris statuam confugit, eamque amplexus est, erat enim crimen capitis, si dominus servum suum penes statuam Cæsaris stantem castigavit. Politica illius temporis etiam actus indifferentes crimini læsæ majestatis adnumerandi, ut populus eo citius libertatis reipublicanæ oblivisceretur, causa erat hujus asyli.

§. 466. Constantinus, ejusque successores, qui fidem amplexi

sunt, præcipue eo tendebant, ut ecclesiarum Christianarum authoritas augeretur, & vicissim templorum Ethnicorum minueretur. Hunc in finem concesserunt ecclesiis fidelium privilegium illuc confugientes recipiendi, & a rigore pœnarum tutandi, quod successu temporis etiam ad cœmeteria, monasteriaque est extensum [1]. Præterea episcopi misericordia commoti sæpius pro reis ad mortem condemnatis intercesserunt, cujus quidem intercessionis non erat finis excusare delicta, aut desiderare, ut impunita maneant, sed ut reis tempus pœnitentiam publicam ab ecclesia impositam peragendi concederetur [2].

1. *En la juventud de la religion Cristiana trató el Emperador Constantino y sus sucesores de dar mayor dignidad á los templos Cristianos y disminuir la suya á los de los Gentiles. Este fue el motivo de comunicar al principio á las iglesias aquella libertad que se extendió despues en el sinodo de Efeso primero á la extension de las iglesias y luego á los claustros. Un sinodo de eclesiásticos no podia emprender de autoridad propia la extension de las libertades; pero los Emperadores por si ó por sus enviados presenciaban las juntas eclesiásticas: y asi se propuso la aclaracion de la palabra iglesia, y Teodosio dió á esta dilatacion la fuerza de ley. (Sonnenfelo en los principios de la Política* §. 330.). Lex ista Theodosii in codice justinianeo est tertia sub titulo: *de his qui ad ecclesiam confugiunt.*

2. Hunc intercessionum ab episcopis factarum fuisse finem docet epistola 153. S. Aug. *Nullo modo culpas, quas corrigi volumus adprobamus, nec quod perperam committitur, ideo volumus impunitum esse, quia placet, sed hominum miserantes, facinus autem, seu flagitium detestantes, quanto magis nobis displicet vitium, tanto minus volumus inemendatum interire vitiosum — — —. Morum corrigendorum nullus alius, quam in hac vita locus: ideo compellimur humani generis charitate intervenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium, ut ea finita non possint finire supplicium.*

§. 467. Asylis ad conciliandam ecclesiis authoritatem datis successu temporis adeo abuti cœperant, ut ea legibus restringenda esse Imperatores judicaverint. Theodosius constitutionem edidit, ut qui tributa non præstiterant ad ecclesiam confugientes inde extrahantur, vel eorum debita e clericis eos extradere nolentibus solverentur. Quoniam Judæi intuitu asyli fraudes sæpe commisere, eos recipi vetuit *Arcadius*, & *Honorius* [1]. Anno sequenti 398. Arcadius omnia asyla in oriente revocavit instigante eunucho *Eutropio* [2]. Anno 414. Theodosii junioris constitutione extractio rei ex ecclesia crimen erat læsæ majestatis, anno autem 466. prolixa *Leonis* Imp. constitutione vel sola cogitatio asylum ledendi crimen erat capitis. Has delinquentibus adeo faventes leges Imp. *Justinianus* anno 535. restrinxit, & homicidas, adulteros, virginumque raptores asylo exclusit [3].

1. Judæi quandoque ære alieno gravati, aut cujusdam criminis rei sub prætextu suscipiendi fidem ad ecclesiam venere. Inde eos recipere prohibuit Imperator, usquedum aut debita solverint, aut se innocentes probaverint.

2. Cum Eutropius astutia sua adjutus in Imperatoris favorem se insinuaverit,

brevi summam in imperio authoritatem est nactus. Hac potestate abutebatur in perniciem virorum de republica optime meritorum, quod inter alios expertus est copiarum præfectus *Timasius*, hunc enim in exilium misit. *Pentodia*, exulis præfecti conjux, Eutropii iras timescens ad ecclesiam confugit, at ut ei nec sibi salvam esse liceret, Imperatorem ad talem ferendam legem persuasit, vi cujus non tantum omnia asyla essent sublata, sed ii etiam, qui actu in asylis commorantur, extrahi possent. Sed rerum facies brevi mutata est; anno enim sequenti cum amissa cæsaris gratia capitis a *Gaina* postularetur Eutropius, ad ecclesiam confugit. Populus eum etiam in ecclesia latentem in frusta dissecuisset, nisi Chrysostomus eum celebri illa oratione liberasset, qua furorem populi sedabat.

3. *Eos extrahes* (sunt verba edicti Justinianei) *non enim decet iis parcere, qui talia agunt, sed iis potius parcendum, qui talia patiuntur. Libertas ecclesiæ non reis, sed læsis a lege est data, neque est possibile, ut sanctitas loci & reum, & læsum protegat. Tributa publica* (pergit Imp.) *etiam in ecclesia, sed modeste peti debent, quoniam financiæ tam militibus, quam privatis, imo ipsi ecclesiæ, & toti reipublicæ & utiles sunt, & necessariæ.*

§. 468. *Leo* Imperator sequentes edidit leges, ne quis causidicum, aut advocatum ageret coram quocunque tribunali, nisi Catholicus esset, sub pœna exilii perpetui. Omnibus clericis privilegium concessit, ne coram alieno tribunali ad judicium trahi possent, nec propriæ defensionis causa ecclesias relinquere teneantur, sed actio contra clericum loci illius judice moveatur. Modici sumptus a clericis actionem moventibus exigantur, & cui eos temere persequuntur, ad expensas damnentur. Legem promulgari jussit de festorum observatione, ne quis actus forensis, ne quidam simplex citatio die dominica fiat, item prohibetur, ne theatri, vel circi, aut bestiarum pugnantium spectacula exhibeantur. Si illi, quorum curæ ista commissa, legem hanc violaverint, officio, & bonis suis priventur. Anno 469. legem dedit contra simoniam, quam iisdem cum crimine læsæ majestatis pœnis vindicat [1].

1. De lege Justiniani, qua legata pia a *detractione Falcidia* immunia dixit, jurisconsultorum est agere.

CAPUT SEXTUM

DE

DOCTRINA, DISCIPLINA, ET RITIBUS.

§. 469. Quæ a Constantino M. ad Carolum M. ecclesiæ fuerit doctrina ex patribus, & scriptoribus ecclesiasticis hujus temporis, nec non ex conciliis contra hæreticos celebratis est eruendum. Certum est, Christum a Christianis tanquam Deum suum semper

fuisse adoratum, quod ipse Julianus Apostata iis objecit. Rursus certum est aliunde, Christianos unicum semper Deum, & nunquam plures adorasse, ergo Jesus Christus idem Deus est, ac pater creator universi. Item indubitatum est, Jesum Christum esse filium Dei, & eumdem respectu sui ipsius non posse patrem simul esse, & filium; nam Jesu Christi sermones absurdi essent, & insani, dum dicit, se a patre procedere, se a patre missum, se & patrem unum, seu rem unam esse, quoniam id idem esset, ac dicere: *a me ipso procedo, me ipsum misi, ego & ego unum sumus*: sensus nullus rationi consentaneus his verbis inesset, nisi dicamus, Christum aliam esse personam, quam patrem, licet sit idem Deus. Si filius Dei est, sequitur, ipsum necessario perfecte æqualem, & perfecte similem patri esse. Hæc contra *Arianos* demonstrata fuere, retinendum dicimus ὁμοούσιον, & ὁμοιούσιον caute usurpandum, atque in sensu semi Arianorum rejiciendum. Contra *Macedonianos*, qui divinitatem filii admittebant, & divinitatem Spiritus sancti negabant, demonstratum fuit, Spiritum sanctum a patre fuisse missum, sed alium esse a filio, cum nullibi filius dicatur, aut genitus. Item in forma baptismi æqualiter nominari: Ite baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ergo Spiritus sanctus tertia persona est, & idem Deus [1]. (*Fleury Diss. II. H. E.*)

1. Hac methodo concilia, & Patres contra hæreticos illorum temporum existentiam mysterii *Trinitatis* probarunt, ex verbis scilicet expressis Jesu Christi, & ex usu constanti, quo Christiani filium cum patre, & spiritum sanctum cum utroque nunquam non adorarunt. Multum quidem etiam de hoc mysterio sunt ratiocinati sed tunc tantum, quando, ut id facerent, ab hæreticis cogebantur, qui ad illud destruendum subtilissimas humani intellectus argutias adferebant.

§. 470. Personarum Trinitate invictis argumentis demonstrata ostenderant Christum simul verum esse hominem contra *Apollinarem* dicentem, in eo verbum divinum vices animæ humanæ supplevisse. Dum *Nestorius*, ejusque sectatores hunc impugnabant errorem, in extremum alterum, & oppositum inciderunt, separantes Deum ab homine, & adfirmantes Mariæ filium solummodo esse divinitatis templum & purum hominem. Itaque concilia, & Patres adversus Nestorium probarunt, eumdem esse Deum, & hominem, atque Christum esse unicam personam in duabus naturis sine ulla confusione, quam docebat *Eutyches*. Hic duo habemus mysteria, quæ nisi credat, nemo Christianus esse potest; cum omnis Christianus profiteatur, se Jesum Christum adorare, atque nec creaturam, nec alium Deum, nisi solum omnipotentem adorare liceat [1]. (*Fleury Diss. II. in H. E.*)

1. Hinc atrox calumnia est Machumedanorum, Judæorum, & Socinianorum nos

incusantium, quod in nostra catechesi subtilissimas theologiæ quæstiones proponamus, & rudes simplicium animos perturbemus; nam vel Christus non est adorandus, vel quis Christus sit, & quo titulo adoretur, scire nos oportet.

§. 471. Doctrina de gratia ex *Pelagianorum* damnatione infertur, quippe hi hæretici, omnia viribus liberi arbitrii tribuentes, nemini quam sibi ipsis salutem suam in acceptis referebant. Ut hunc errorem debellaret Augustinus, sæpe ecclesiæ usus opposuit, scilicet orationem ad Deum, quæ absolute esset superflua, si id, quod nobis est maxime necessarium, nempe ut boni efficiamur, in nostra potestate positum sit. Item orationis formulam, qua fideles a Deo omnia per Jesum Christum petunt, qualia sunt, ut nos in tentationes non inducat, ut faciat nos ea implere, quæ præcipit, atque nobis fidem, & bonam voluntatem donet. Tandem usus parvulos baptizandi pro remissione peccatorum evidens est argumentum.

§. 472. Doctrinam de sacramentis disceptiones exortæ cum *Donatistis* solide stabiliverunt. Demonstratum fuit, virtuti sacramentorum ministrum dignum nihil addere, & indignum nihil demeri, sed quicunque baptizat externe, semper Christum interne baptizare. Tandem ex dictis disputationibus adversus Donatistas nata est occasio articulum de ecclesia invicte definiendi, nam clarissime contra eos confectum est, ecclesiam esse catholicam, id est omni tempore & in omnibus locis visibilem; non paucis regionibus inclusam, exiguæ hominum societati cognitam, & a reliquis membris a certo tempore separatam. Eadem esse sanctam, & sine macula, ita tamen, ut impii ab externa ecclesiæ societate non sint exclusi.

§. 473. Quæ de disciplina hujus epochæ notanda veniunt, ex parte ex iis, quæ de conciliis, & legibus Imperatorum dicta sunt, erui possunt. Jejunia certis legibus communita sunt seculo quarto; *quadragesimale* tamen ceteris habebatur sanctius. In hujus temporis jejuniis multi jam sufficere judicabant, si carnis, & vini usum omitterent, quum olim contra ab omni plane cibo, & potu abstinerent. Præterea specialis seculo quarto pietatis exercitium putabatur, si quis in aquis *Jordani* baptizari se sinebat, non quidem ac si major hujus fluvii aquis inesset efficacia, sed quia per Christi baptismum quodamodo sanctificatæ fuisse credebantur [1].

1. Qui Constantinum M. excusant, quod baptismi susceptionem ad exitum vitæ distulerit, hanc moræ adferunt causam, quod in iisdem, in quibus Christus baptizatus est, aquis ablui desideravit.

§. 474. Jam a seculo III. institutus fuit presbyter *pœnitentiarius*, qui peccata publicæ pœnitentiæ obnoxia sibi a pœnitenti-

bus delata excipiebat, at seculo quarto anno nimirum 390. *Nectarius* Patriarcha Constantinopolitanus ob stuprum alicujus diaconi propalatum presbyteri pœnitentiarii officium abrogavit, data populo facultate pro libitu sibi deligendi presbyterum, cui peccata sua confiterentur. Morem hunc a Nectario introductum omnes orientis episcopi sunt amplexi. (*Tillemontius.*).

§. 475. Cura Constantini M., ejusque matris Helenæ loca sacra, in quibus Christus mysterium redemptionis peregit, restaurandi, & exornandi novam pietatis speciem, nempe *peregrinationes sacras* produxit. Consuetudo visitandi crucem, sepulchrum Christi, locum nativitatis, aliaque, quæ sua præsentia, aut miraculis sanctificavit, primum in oriente introducta, successive in occidentem propagata adeo invaluit ut subsequis seculis ex remotissimis Europe provinciis magna hominum copia Hierosolymam proficisceretur.

§. 476. Antiquæ disciplinæ rigor ob barbarorum incursiones seculo quinto relaxari cœpit. Episcopi quidem vigilabant pro inviolabili canonum observantia, verum ipsi quandoque exigentibus temporis circumstantiis ab iis recedere cogebantur. Hæc erat causa, quod sub Wandalorum incursionibus defectus ministrorum religionis Episcopos Africæ in electione eorum, qui ad clerum assumendi erant, antiquo insistere rigori vetabat. Eamdem ob causam episcopi Galliæ, cum tot exercuissent aut barbari, aut Ariani crudelitates, faciliores se præbebant in recipiendis pœnitentibus ad communionem, & metus, ne ecclesiæ iis mortuis pastore orbatæ manerent aut hæreticus se intruderet, effecit, ut sibi successores designaverint [1].

1. Nec desunt exempla, quod episcopi seculo quinto etiam tum sibi successores designaverint, dum nullus aderat metus, fore, ut iis mortuis hæretici sedem invaderent; nam S. Augustinus *Eradium* sibi successorem suum designavit, consentiente tamen populo Hipponensi, ac *Severus* Milevitanus episcopus communicato cum clero consilio sibi delegit successorem non postulato consensu plebis. Hunc tamen abusum reprobavit synodus Romana in causa *Irenæi*, quem sibi successorem elegit *Nundinarius* episcopus Barcinonensis.

§. 477. Canones pœnitentiales, uti ex conciliorum decretis, & Pontificum decretalibus constat præcipiunt, pœnitentes in exitu vitæ ad communionem recipiendos esse, etsi rationis usu destituti essent, & incapaces reconciliationem petendi, modo testes adessent, qui testarentur, eos ante amissum rationis usum desiderium habuisse, eamdem obtinendi, vetabatur quoque conjugatis pœnitentiam publicam sine alterius conjugis consensu imponere, eo quod publicæ pœnitentes continentiam servare jubebantur. Ii pœnitentium, qui integram pœnitentiam injunctam non perage-

bant excommunicabantur. Seculo septimo peccatores sub comminatione excommunicationis ad suscipiendam pœnitentiam publicam adigebantur [1].

1. *El uso de penitentias forzadas se introdujo en Francia y en España. Se imponian por fuerza y se amenazaba con destierros á los penitentes que rehusaban sujetarse á ellas. Este segundo punto era de la antigua disciplina de la iglesia y conforme á la naturaleza de las penas espirituales; pero el primero excedió visiblemente los límites de la facultad eclesiástica, y no pudo menos de caer en desprecio como perjudicial á su dignidad, como sucedió despues.* (*Ducreux.*)

§. 478. De bonorum ecclesiasticorum adquisitione, & administratione hæc notanda veniunt: Primitus ex communi oblationum massa clerici, & pauperes sustentabantur, attamen ecclesiam domos, agros, & hortos possedisse ante Constantinum M., inde patet: quia hæc omnia ei restitui jussit, ut Eusebius de vita Constant. l. 2. cap. 39. testatur. „Omnia ergo, quæ ad ecclesias recte visa fuerint pertinere. sive domus, sive possessio sit, sive agri, sive horti, seu quæcumque alia — — — salvis omnibus restitui jubemus." Ecclesiæ patrimonia multum auxit Constantinus præterquam enim, quod ecclesias a se extructas magnifice dotaverit, etiam frumentum singulis annis ecclesiis suppeditari jussit, clericis, viduis & ceteris pauperibus distribuendum, (*Athanas. in Apolog. de fuga sua*) lege quoque lata, ut dictum, omnibus concessit libertatem pro lubitu ecclesiis testamento legandi [1]. Multos hac favente lege bona sua, vel eorum partem ecclesiis reliquisse, antiqua monumenta testantur. Verum non suscipiebat ecclesia donationes eorum, qui pauperes parentes, vel filios prætererant, cujus rei testimonium apud S. Augustinum est invenire serm. 49. de divers. cap. 5. „Quicunque vult exhæredato filio hæredem facere ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum, imo propitio Deo neminem inveniet."

1. *Valentinianus* Imp. prohibuit quidem clericis, ac monachis viduarum, aut devotarum quarumlibet fœminarum hæreditatem, legatave colligere, at non hac de causa, ac si id injustum existimasset, sed propter abusus, qui irrepserant; nam observante *Thomasino P. 3. L. 1. cap.* 18. clerici ac monachi blanditiis, variisque artibus viduas, & orphanos circumveniebant, ac alliciebant, ut testamento hæredes scriberentur, idque in propria commoda convertebant, quod pauperibus erat destinatum. In hanc legem dicebat Hier. in Ep. ad Nepotianum: *Non de lege conqueror, sed doleo, cur meruerimus hanc legem.*

§. 479. Seculo quinto æque ac quarto bonorum ecclesiasticorum administratio penes episcopos fuit. Ecclesiæ bona in quatuor partes dividebantur, quarum pars una episcopo, altera clericis, tertia templorum fabricæ, & quarta pauperibus cedebat (*ex Gelasii I. Ep. ad episcopos Lucaniæ*). Hac ex ratione clerici se bonorum ecclesiasticorum administratores, non dominos putarunt.

Omnium loco audiatur Aug. Ep. 50. ad Bonifacium: *Si autem, quæ nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodamodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.*

1. Ulterius adhuc progressus est *Julianus Pomerius* seculi quinti scriptor, contendens, clericos, qui ex patrimonio proprio vivere possunt, reditus ecclesiasticos pro servitio sacro percipere non debere, quæ sententia certe falsa est, & veris principiis contraria.

§. 480. Etiam seculo sexto, & septimo bonorum ecclesiasticorum administratio penes episcopos fuit, ut variæ *Gregorii M.* epistolæ testantur, variique conciliorum canones jam relati, quibus prohibetur episcopis rerum ecclesiasticarum alienatio, ipsis vero permittitur, ut usumfructum aliquorum prædiorum clerici suis concedant. Divisio bonorum in quatuor partes adhucdum erat usitata [1].

1. In Hispania tamen in tres tantum partes dividebantur; prima episcopo, clericis altera, tertia ecclesiarum restaurationi destinata erat, portio itaque pauperum ibi cum episcopi, & clericorum portionibus permixta erat, pars autem clericorum singulis distribuebatur secundum uniuscujusque meritum, & laborem.

§. 481. Testamenta episcoporum, & clericorum quod adtinet, poterant episcopi bona ante consecrationem adquisita, & possessa ad hæredes transmittere, at de bonis post consecrationem adquisitis testari non licuit, iis solis exceptis, quæ ipsis ex consanguineorum hæreditate usque ad gradum quartum obvenerant, ut ex legibus Constantini adparet (*Cod. de episc. & cler. L.* 33.) Eamdem legem ad xenodochiorum, nosocomiorum, aliorumque priorum locorum administratores Justinianus extendit. Poterant tamen episcopi, & clerici bonorum, quæ propria compararunt industria, non vero ex oblationibus congregaverant, quem vellent, scribere hæredem, modo filios, aut parentes suos *legitima* non fraudarent, sicut milites ex peculio *castrensi* testari poterant, ut patet ex Justiniano *cod. de episc. & cler. L.* 33.

§. 482. Circa ritus hujus epochæ *Moshemius*, aliique eruditi generatim animadvertunt, seculo quarto instituta, ac ceremonias, quibus antea Romani, Græci, ceterique populi Etnici utebantur, ab episcopis immutatos religioni Christianæ adcommodatos fuisse, eo quod speraverint, populos facilius religionem Christianam suscepturos, si ceremonias a majoribus acceptas salvas manere apud Christianos animadverterent. Ideo jam tum adhibebantur vestimenta splendida, mitræ, tiaræ, vasa aurea, litui, cerei, & quæ sunt hujusmodi.

§. 483. Tempore persecutionum Christiani sæpius cogebantur in cavernis, & speluncis sacra peragere mysteria, at postquam Constantinus M. pacem ecclesiæ reddidit, sacra Christiana liberius obire licuit, quem in finem partim munificentia Imperatorum, partim privatorum fidelium liberalitate splendidæ ædes sacræ sunt erectæ [1], verum numerus ædium sacrarum brevi tempore adeo crevit, ut *Justinianus* lege lata prohibuerit, ne quis ecclesias posthac sine consensu episcopi ædificet [2].

1. In solo libro tertio vitæ Constantini Eusebius refert templum ad sepulchrum Domini cap. 33. Bethlemiticum ab Helena illius matre extructum cap. 43, magnificentissimum in honorem salvatoris Nicomediæ cap. 50, in loco, qui vocabatur *Mambre* cap. 51, apud Heliopolim cap. 58. De ecclesiis autem imperante, & adjuvante Constantino Romæ, Albani, Neapoli, Constantiæ in Numidia, & in regia præsertim urbe Constantinopoli legendum opus Joannis *Ciampini* de sacris ædificiis a Constantino M. extructis. Complura quoque Theodosius Magnus, ejusque filii Arcadius, & Honorius construxerunt. Dirutum inter alia consule *Manlio* anno 399. Carthagine simulacrum *Cœlestis*, hinc S. Augustinus L. 18. de civit. Dei cap. 54. demonstrat, quam falsum sit jactatum a Gentilibus oraculum, per annos solummodo 365. Christi nomen fuisse colendum. Ubi Cælestis, seu Junonis erat templum consecrata est ab Aurelio Carthaginensi episcopo amplissima ecclesia. Condita Constantinopoli a S. Gregorio Nazianzeno sacra ædes, quam αναςασιαν nominavit, quæ distinguenda est ab ecclesia Novatianorum *Anastasia* memorata a Socrate L. 2. C. 38. Idem historicus L. 6. C. 6. laudat templum S. Euphemii Chalcedone, ubi inter Gainam, & Arcadium Imp. inita fuit concordia. Meminit quoque eo loci Constantinopolitanæ ecclesiæ Gothorum, & alterius Joanni Apostolo dicatæ, quæ ab urbe distabat septem milibus passuum. De *Serapio* Paganorum templo in ecclesiam Alexandriæ commutato legendus Sozomenus L. 7. C. 15.

2. Causa legis hujus sita erat in abolendis hæreticorum conventibus, quibus publica sacra interdicta, & sic quoque extruendorum templorum facultas penitus est adempta. Hanc Justiniani fuisse mentem testatur Novell. 67. Cap. 1. *Multi enim simulantes fabricare quasi orationis domus, suis medentur languoribus, non orthodoxarum ecclesiarum ædificatores facti, sed speluncarum illicitarum.* Vana quoque gloria in iis extruendis sæpe intercessit, ut Just. in cit. Novell. innuit: *nomen forte desiderans, quo & ipse fabricator ecclesiæ vocetur.*

§. 484. Templa post Constantini conversionem condita duplicis erant generis, alia in sepulchris martyrum erigebantur, ad quæ populus statis tantum temporibus confluebat, hæc dicebantur *martyria*, alia ordinariis, & consuetis ad rem sacram faciendam conventibus destinata erant, his *titulorum* vocabulum postea a Latinis datum est [1], & ut opulentiores ad ecclesias extruendas, dotandasque incitarentur, *jus patronatus* est inventum, cujus originem in decretis conciliorum infra adductis vidimus.

1. Romæ præcipue seculo quarto ecclesiæ *titulorum*, seu *tituli* illæ dicebantur, quas hodie *parochias* adpellamus. *Como se habia obtenido la libertad de edificar iglesias, se esforzaban a trasladar alli los cuerpos de los mártires que por la mayor parte estaban en parages distantes é indecorosos. Por lo comun los ponian debajo del altar segun el cap. 6. del versiculo 9 del apocalipsi de San Juan: „Yo „vi bajo el altar las almas de aquellos que sufrieron la muerte por la palabra de Dios y la confesion de su nombre." Por esta causa se dió á los altares la forma*

que han conservado mucho tiempo, y que el gusto de la antigüedad ha conservado en muchas iglesias recien construidas y adornadas. (Ducreux.)

§. 485. Cultus ipse hymnis, precibus, lectione sacrarum scripturarum, sermone ad populum, & eucharistiæ celebratione absolvebatur. Non tamen omnes ecclesiæ particulares eamdem sequebantur regulam, & normam, quilibet enim episcopus in sua ecclesia ceremonias præscribebat, hinc variæ *liturgiæ* erant, nec enim tunc adhucdum Romanus episcopus suam ceteris ecclesiis præscribebat.

§. 486. Diem dominicam peculiari lege sanctius, ac ante obire jussit Constantinus M. Præter dominicam plerisque in ecclesiis quinque festa celebrabantur, nempe nativitas Domini [1], ejus passio, & mors, resurrectio, ascensio in cœlum, & pentecoste. Baptismus solemnis in paschate, & pentecoste (necessitati tamen nulla lex erat) accensis cereis peragebatur, nonnullis in locis sal, puritatis & sapientiæ signum, baptizatis in os injiciebatur, ubique vero unctio adhibebatur, hoc tamen cum discrimine, ut in aliquibus locis duplex, nimirum tum in baptismo, tum in confirmatione, in aliis vero unica in baptismo nimirum fiebat. Lavacro egressi septem dies toga alba vestiti erant.

1. Ecclesia orientalis nativitatem Domini sexta Januarii, quæ *Epiphania* dicebatur, celebrare solebat, occidentalis vero semper vigesima quinta Decembris natalem Christi obibat, cujus diversitatis ratio in eo est, quia natalis Christi est incertus.

§. 487. Seculo quinto cultus Dei publicus ubique ad pompam oculorumque oblectationem magis instructus fuit. Vestibus sacerdotum, vasisque sacris varia ornamenta addita sunt [1]. Hymnorum, precum, & supplicationum nova genera permulta inventa, in Gallia imprimis *Rogationes* instituebantur, nonnullis in locis perpetuæ Deo laudes decretæ sunt. In templis splendidæ imagines collocabantur, inter quas post lites Nestorianas principem tenebat locum imago Mariæ filium brachio sustinentis (*Marten:*).

1. *Los obispos, presbíteros, diáconos y otros eclesiásticos usaban vestidos determinados con que agercian las santas ceremonias, aunque no se les habia dado aun la forma que despues tienen: se usaba de lienzo fino ó de ricas telas preparadas por lo comun por vírgenes consagradas á Dios, viudas y otras mugeres piadosas. Despues con bordados representaban varios sucesos de la historia del Salvador, ó simbolos sagrados, como por exemplo el buen pastor, que lleva al hombro la oveja perdida &c. Tambien se gravaban semejantes representaciones historicas en los cálices y demas utensilios que pertenezcan á los oficios divinos. (Ducreux).*

§. 488. Pacis osculum post consecrationem in Missa *Præsanctificatorum* [1] in parasceve paschatis seculo quinto obtinuerunt. Utebantur diaconi ad lævam pallis linostimis, scilicet ex lino, &

lana contextis. Suspecti erant erroris Manichæorum, qui a sacri calicis sumptione abstinebant (*Berti*). Convivia charitatis, seu *agape* eodem seculo quinto abrogata sunt, eo quod plerique iis abutebantur, & peccandi occasionem suppeditabant.

1. In ecclesia græca invaluit, ut durante quadragesima diebus tantum dominicis, & sabbatis fieret consecratio. Ne autem reliquis hebdomadis diebus facultas deesset eucharistiam sumendi, præsertim si necessitas id postularet, ex pane diebus dominicis, & sabbati consecrato tantum reservabant, quantum usibus illis sufficere arbitrabantur. Hujusmodi panis die dominico, & sabbati consecratus Græcis προηγιασμένα Latinis vero *præsanctificata* vocatur. Idem mos etiam in Ecclesiam latinam deinceps est introductus, hoc tamen cum discrimine, quod apud Græcos omnibus quadragesimæ diebus, excepto sabbato, die dominica, & festo annunciationis Mariæ, usus præsanctificatorum admittebatur, apud Latinos autem nonnisi semel in anno die scilicet parasceves, quippe quo pane pridie consecrato, & reservato communio peragebatur. Porro pro missis præsanctificatorum sanguis non fuit semper asservatus, sed tantum cochleari in sacro sanguine intincto eucharisticum panem delinire Græci consueverant.

§. 489. Cultus publicus vernacula uniuscujusque populi lingua celebrabatur adhuc seculo sexto, verum hymnis variis, aliisque rebus minutis passim amplificabatur. Cantabantur in ecclesia psalmi, in quorum fine *gloria Patri &c.*, cum responsione *sicut erat in principio &c.* addebatur. Instituit Gregorius M. initio sui pontificatus litanias majores [1] (ut scribit cap. 57. Micrologus), nec non *canonem Missæ* [2], ut communiter loquimur, seu si mavis, veterem canonem auxit. Diebus festis seculo sexto accesere dies memoriæ *purgationis* S. Virginis, ne populus gaudia *lupercalia* [3] nimis desideraret, dies item *conceptioni Servatoris*, & *nato Joanni* sacer. In oriente Nestorianæ, & Eutychianæ lites varios ritus excogitandi occasionem præbuerunt, quibus sectæ inter se dimicantes tanquam notis characteristicis dignoscerentur. Hæc ceremoniarum multitudo interpretes requirebat, itaque novum pene scientiæ genus natum est: quod in exquirendis, & declarandis causis, & rationibus sacrorum rituum versabatur. Tradunt Latini hanc scientiam in suis de *divinis officiis* libris.

1. Intellige litanias, quæ celebrantur VII. Kal. Majas; nam quæ habentur in tribus feriis ante ascensionem Domini, auctorem habuerunt seculo VIII. *Leonem* III. ad universam ecclesiam extendentem rogationes, quas pro ecclesia sua instituerat Mamertus Episcopus Vienensis.

2. Justinianus Nov. 137. mandavit, ut integra missa elata voce ubique celebraretur, inde recte infertur, ante novellam contrarium usum obtinuisse, & *canonem* submissa voce pronunciatum fuisse. Originem hujus moris aliqui a lege veteri repetunt, ubi præsertim cap. 16. Levit.: cum solemne sacrificium thuris describitur, jubetur solus sacerdos ultra velum pergere, ibique precari non modo non auditus, sed ne visus quidem a populo, quin idem etiam Ethnici in suis sacrificiis fecere. Expressa legitur ea consuetudo in vetustissimis liturgiis Sancti Basilii, & Sancti Chrysostomi, tametsi de quibusdam vocibus, quæ ibi elato sono dicuntur, cujusmodi sunt voces consecrationis, græcus ritus discrepat a latino. Ita Pallavicinus *Hist. conc. Trid. l.* 18. *c.* 50. *n.* 5. Verum Card. Bona *rerum Liturgic.* *L.* 2. *cap.* 13. existimat, nonnisi seculo X. usum illum obtinuisse. Sic ille loqui-

tur: "Græci, & orientales verba consecrationis elata voce pronunciant, & „populus respondet *Amen*. Dionysius Alexandrinus de hoc ritu testimonium „perhibet epistola ad Xistum Romanum Pontificem apud Eusebium L. 7. Hist. „c. 9. Eumdem morem servabat olim ecclesia occidentalis; omnes enim audie„bant sanctissima, & efficacissima verba, quibus Christi corpus conficitur. „Hinc Tertullianus L. de spectac. cap. 25. in eos invehitur, qui eo ore, quo „*Amen* in sanctum protulerunt, gladiatori testimonium reddere non verebantur. „Ambrosius L. de iis, qui initiantur ait: *ante consecrationem aliud* (nimirum „panis. & vinum) *dicitur post consecrationem sanguis nuncupatur: Et tu dicis „Amen hoc est, verum est.* Alcuinus idem asserit, & ex eo Florus magister „in expositione missæ --- Postea statutum est, ut canon submissa voce reci„taretur, & sic desiit ea consuetudo seculo X."

3. In festo purificationis Deiparæ, quod festum Græci ὑπαπαντή id est, *occursum* adpellant, quoniam tunc Simeon obviam Christo processit, instituta fuit a Gelasio, aut a Sergio Rom. Pont. benedictio candelarum adversus lustrationes *ambarbales*, quibus Ethnici accensis facibus, ut justa persolverent Diis manibus, urbem expiabant, seu februabant; sive, ut aliis placet, ad eliminanda *lupercalia*, quæ *februa sacra* vocitabantur, & a quibus secundus mensis dicitur Februarius. Erant autem lupercalia festa, quibus ad expiandos manes Pani Lyceo juvenes Romani nudi canem, & capram immolabant. Deinde facie sanguine fœdata se his pellibus cingebant, lorisque e pelle factis currebant nudi, circa Palatium obvios quosque coriis illis verberantes, & præsertim mulieres gravidas, quæ ultro obviam occurrebant, facilem partum percussione sperantes (*de qua re vid. Ovid. L. 2. Fastorum. Meminit Lupercalium & Plutarchus in Romulo.*

§. 490. Monenda sunt hic quædam de origine celeberrimæ illæ liturgiæ, quæ *Muzarabica*, seu *Gothica* dicitur. Catholici, qui seculo septimo in Hispania sub Arabum dominatu degebant *Mosarabes* [1] sunt adpellati. Horum divinum officium *Mosarabicum*, seu *Muzarabicum* nuncupabatur dispositum a *S. Isidoro* Hispalensi; obtinuitque in Hispania usque ad tempora *Alphonsi VI.* & Gregorii VII. Papæ ad annum nempe Æræ Hispanicæ 1109., ut suo videbimus loco, imo diutius in sex Toletanæ civitatis parœciis, & Salmanticæ item servatum fuit, posteaquam Hispaniarum ecclesiæ ritus recepere romanos.

1. Alii a *Muza* Arabum duce: alii a *Musa*, quo vocabulo Arabi Christianum significant, prædictum nomen arcessunt. *Mixtarabes* quoque dicebantur.

CAPUT SEPTIMUM

DE

HIERARCHIA, SEU REGIMINE SACRO.

§. 491. Episcopi presbyteri, & diaconi, qui gradus hierarchiæ divinitus institutæ constituant, non interrupta sibi succedebant se-

rie, possumus quoque evolvere cathalogum episcoporum Romanorum Petri in primatu successorum, ut adeo ex continua hac serie recte concludamus, ecclesiam nostram esse apostolicam.

§. 492. Agnovisse seculo quarto episcopos primatum Romani Pontificis partim ex canone tertio concilii Sardicensis (§. 451.), partim inde colligitur, quod in variis punctis dubiis consilium ejus expetierint. Ejusmodi responsa Pontificum circa res dubias episcopis data *epistolæ decretales* vocari solent. Antiquissima harum illa est quam dedit *Siricius* (sub fidem seculi quarti sedem Romanam tenens) ad *Himerium* Tarraconensem in Hispania episcopum; nam *Dionysius Exiguus*, qui sub exordium seculi sexti collectionem decretalium edidit, quamvis in iis conquirendis maximam diligentiam adhibuerit, nullam hac antiquiorem producere valuit. Consuetudo dandi decretales per sequentia secula continuata occasionem dedit Pontificibus potestatem suam amplificandi.

§. 493. Post Romanum Pontificem primum in hierarchia sacra locum tenebant *Patriarchæ*, quod nomen in sensu hierarchico, quo hic sumitur, primo in concilio Chalcedonensi generali IV. episcopo Romano est tributum [1]. Etsi vero qui limites fuerint Romani Patriarchatus non ita clarum sit, ac eo difficilius perspici posse videatur, quia partitio provinciarum ecclesiasticarum ut plurimum conformis fuit partitioni civili Principum, quæ sæpius ad nutum eorum immutata est [2], tamen Patriarchatum Romanum cunctas occidentales ecclesias complexum fuisse, certissima testantur monumenta [3].

1. Scilicet a presbyteris, & diaconis Alexandrinis in libellis, quos *sanctissimo, ac Dei amantissimo, & universali archiepiscopo, & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sanctæ, ac universali Chalcedonensi synodo* inscripserant, quique in synodo illa Act. III. lecti sunt.

2. Ita primo antiquæ administrationis formam delevit Augustus, orbemque imperii modo novæ monarchiæ accomodo divisit, ut docet *Dio Cassius Lib.* 53 Secunda divisio ab Adriano facta est a prima non adeo discrepans: tertia a Constantino in præfecturas, diœceses, & provincias: & quarta a diversis Imperatoribus, quorum plures ex una provincia duas fecerunt, maxime post imperii divisionem inter Græcos & Latinos.

3. Discere id licet ex Hieronymo ad Marcum scribente: *Hæreticum me cum occidente, hæreticum me cum Ægypto, cum Damaso, Petroque condemnant*. ubi Damaso episcopo Romano occidentem velut Patriarchalem diœcesim perspicue tribuit, æque ac Ægyptum Petro Alexandrino episcopo: sed vel ipsi Græci semper id confessi sunt. *Zonaras* enim in exposit. Can. VI. conc. Nicæn. I. ait: *Alexandrinum igitur episcopum iis, qui in Ægypto sunt, Lybia, & Pentapoli præsidere jubet. Antiochenum subjectis provinciis Syriæ nimirum, Cœlesyriæ, Ciliciæ, utriusque Mesopotamiæ, aliosque episcopos suis quemque regionibus præesse, quemadmodum & ecclesiæ Romanæ Antistes, ut occidentales provincias regat, mos obtinuit.*

§. 494. *Antiqua consuetudo* (ait canon VI. conc. Nicæni) *servetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim ita, ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem; quia & urbis Romæ episcopo parilis mos est.* Dum igitur hoc canone Alexandrinus episcopus cum Romano componitur, nomen Patriarchæ, in concilio Chalcedonensi Romano episcopo tributum, imitatione etiam ad Alexandrinum [1], & Antiochenum [2] est translatum; nam citatus canon ita prosequitur: *similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque provincias suis privilegia serventur ecclesiis.*

1. Patriarcha Alexandrinus tenebat Ægyptum sensu latiori sumptam, id est, pro tota præfecti augustalis diœcesi, quæ licet Ægypti nomine designaretur uta nobiliori sui parte, sex tamen includebat provincias secundum librum, qui *notitia imperii Romani* nominatur, scilicet Libyam superiorem, Libyam inferiorem, Thebaidem, Ægyptum, Arcadiam, & Augustamnicam, quibus addenda Æthiopia, & India. Neque quemquam movere debet diversitas illa, quæ apud Patres, & concilia, cum provincias Alexandrini patriarchatus recensent, deprehendi videtur, dum modo plures, modo pauciores provincias enumerari videt; hæc enim diversitas solum adparens est orta non ex diverso eorum sensu, sed ex diversis acceptionibus nominis Ægypti, quæ aliquando sumitur apud antiquos pro Delta ægyptiaco, mare mediterraneo, & fluviis Bubastico, & Agathodæmone concluso, aliquando vero pro maximo Delta, cujus anguli tres sunt Alexandria, Pelusium, & Siene, interdum denique pro tota diœcesi præfecti Augustalis quæ sex complectebatur provincias ex notitia imperii Romani antea recensitas.

2. Antiocheni Patriarchæ diœcesis *Oriens* erat; in actis etenim concilii Chalcedonensis *Act.* 14. Joannes episcopus Antiochenus princeps orientis diœcesis vocatur, & apud Theodoretum Hist. Lib. 5. cap. 23. Flaviano Antiocheno principatus inter Episcopos orientis tribuitur. Nonnullis quidem haud satis eliquatum videtur, quænam provinciæ nomine *orientis* istic veniant, propterea quod orientis significatus non sit uniusmodi, cum interdum Asiam universam ab Hellesponto ad Trigrim usque designet, interdum autem eam tantum Asiæ partem, quæ circa Antiochiam est, quæque ab Asia, & Ponto distinguitur, ac postea in quindecim provincias a Romanis Imperatoribus divisa reperitur: verum attendendus in hac re est canon secundus concilii Constantinopolitani primi generalis, in quo episcopi *Orientis* ab episcopis *Asiæ*, *Ponti*, & *Thraciæ* disertis verbis distinguuntur.

§. 495. Seculo quarto in Patriarcharum ordinem evectus etiam est episcopus *Constantinopolitanus*, nam cum Byzantium a Constantino M. sedes Imperatorum, ac Romæ veteris æmula, totius orientis caput esset constituta, urbis hujus episcopi, qui Præsuli Heracleensis in Thracia ceu Metropolitano suo subditi erant, novo hoc urbis splendore, Cæsarumque in eam propensione ita usi sunt, ut in concilio Constantinopalitano generali secundo *primatus honoris post Romanum episcopum eisdem concederetur* [1].

1. Fuit enim in concilii citati canone tertio decretum: *Constantinopolitanæ civitatis episcopum habere oportet. Primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit nova Roma. Esto al principio era solo un punto honorifico que se concedió al pastor de la ciudad imperial; y despues fue una autoridad muy*

extensa. Los PP. en el concilio no previeron que seria un manantial de grandes disputas entre los patriarchas de Constantinopla y los supremos sacerdotes de Roma, y que seria la primer semilla de un cisma, que aun en el dia hace que las dos mitades de la iglesia sean extrangeras entre si. (*Ducreux*).

§. 496. At quamvis honoris solum prærogativa a concilio Constantinopolitano illis esset concessa, paulatim tamen etiam jurisdictionem majorem usurpare cœperant annitentibus partim Imperatoribus, partim urbis Constantinopolis splendore, ac authoritate ocasionem præbentibus. Cum enim tum civilium, tum ecclesiasticorum negotiorum, aut obsequiorum causa ad urbem illam, aulamque Cæsarum venire frequenter oporteret integrarum diœcesium episcopos, illisque plerumque a loci episcopo patrocinium impenderetur, facile hoc pacto alliciebantur, ut eidem subesse non abnuerent [1]. Atque cum advenientes in urbem episcopi sæpe ab urbis Regiæ præsule vel consulerentur singuli de causis ecclesiasticis, vel jubente Imperatore etiam congregati responsa darent, inde rursus occasio nata evocandi episcopos quasi jure suo ad concilia ex provinciis & diœcesibus [2].

1. Hinc cum in concilio Chalcedonensi tres diœceses Asiatica, Pontica, & Thracica episcopo Constantinopolitano subjiciendæ essent, *Nunechius* episcopus Laodiceæ lubenter consensum præbens dicebat: *gloria sedis Constantinopolitanæ gloria nostra est. Hujus enim honoris nos sumus quoque participes, quoniam sollicitudines nostras suscipit.* Act. 16.

2. Veluti ab Anatholio factum constat, qui conventum episcoporum Constantinopoli collegit, ut eorum suffragiis novum jus metropoliticum episcopo Berytensi stabiliretur, quod ex concilio Chalcedonensi Act. 4. discimus.

§. 497. Denique cum iisdem de causis accideret non raro, ut episcopi Constantinopolitani vel ipsi rogati ad coercendas episcopatuum invasiones, cohibendasque pecuniarias nundinationes lustrarent provincias, aut ad sedandos civitatum tumultus Metropolitas vel deponerent, vel novos ordinarent, ex inde rursus jus ordinandi episcopos a Constantinopolitanis Præsulibus pedetentim occupatum est, maxime in tribus diœcesibus autocephalis [1].

1. Ita a S. Chrysostomo tredecim episcopos in Asia exauthoratos, iisque novos substitutos ex *Act. XII.* concilii Chalced. discimus. Idem etiam Heracleæ in Thracia, ac succesor ejus Atticus Philipopolis episcopos creavere (Socrates L. 6. cap. 10. & 15.) Quamquam tamen illæ Chrysostomi ordinationes perinde ac ipsa illa adscititia episcoporum Constantinopolitanorum jurisdictio contradictionibus non caruit, ut vel ex synodo *ad Quercum* apud Socrat. L. 6. cap. 10 Sozom. L. 8. cap. 6., & concilii Chalced. *Actione* 11. perspicitur.

§. 498. Atque hinc quum iteratis hisce actibus, qui quasi in consuetudinem abivisse videbantur, inixi Præsules Constantinopolitani rem eo perduxissent, ut in concilio chalcedonensi canone vigesimo octavo jurisdictio in autocephalarum diœcesium *Ponti-*

cæ, Asianæ, & Thracicæ Metropolitas, & *qui sunt in Barbarico*, episcopos eisdem concederetur, trium illarum diœcesium Præsules rogati a legato Romani episcopi, num canoni illi vigesimo octavo libere subscripsissent? non modo nullo dolo, aut vi ad id se adductos professi sunt, sed eam etiam inter ceteras, quibus ad subscribendum permoti essent, adduxere causam, quod tum ipsi, tum eorum antecessores non pauci a Præsulibus Constantinopolitanis in episcopos essent consecrati. (*conc. Chalced. Act.* 16.)

§. 499. Novi hujus Patriarchæ institutioni contradixit quidem Leo Papa datis tum ad *Marcianum* Imperatorem, tum ad *Anatolium*, & ad episcopos in synodo Chalcedonensi congregatos litteris, quibus Anatholium, ut ambitionem poneret, ceteros, *ut jura ecclesiastica, sicut ab illis trecentis decem et octo. Patribus divinitus inspiratis* (Nicænis) *sunt ordinata permaneant*, admonet; verum etiamsi vivente Marciano nullum robur canon vigesimus octavus obtinuisse videatur post hac tamen effectum esse sortitum testatum reliquit Liberatus diaconus in *Breviario causæ Nestorianæ, & Eutych. cap.* 13. de laudato canone inquiens: "licet „sedes apostolica nunc usque contradicat, quod a synodo firma„tum est, Imperatoris patrocinio permanet qu . ue modo." Unde & in quinta, sexta, septima, octava generalibus synodis secundo sedisse loco episcopi Constantinopolitani, omnibusque juribus patriarchicis per tres illas diœceses perfuncti deprehenduntur [1]. Quin & ipse postea Gregorius M. Papa in epistolis eos in Patriarchis numerare haud detrectavit, atque adeo pro veris Patriarchis ab omni ecclesia habiti sunt.

1. Subin etiam in totum Illiricum manum extendebant, illudque sedi Romanæ subtrahere conati sunt tempore Bonifacii I., ut d cent acta concilii Romani sub Bonifacio II. Imo & titulum episcopi *universalis* usurpare non dubitabant sub tempora Gregorii M. qui ut fastum hunc reprimeret *servum servorum Dei* in litteris scribere se posthac cœpit (quæ tamen subscri ti ex humilitate a Gregorio adhibita apud pontifices eum subsequentes in con u tam formulam & meram ceremoniam abiit) *Joannes Diacon. in vita Greg. L.* 4. *cap.* 58. Conf. *Nat. Alex.* H. E. Sec. V. & *Petrus de Marca.*

§. 500. „Magna semper veneratione fuit Jerosolymorum „ecclesia ab exordio Christiani nominis, quam verissime Jus„tinus Imperator ad Hormisdam Pontificem scribens *matrem* „*christiani nominis* adpellavit —— —— illi usque Antistites spon„tanea ceterorum episcoporum concessione, & veneratione erga „locum adorandis Christi vestigiis, & mysteriorum salutis nos„træ consumatione sanctificatum primatum quemdam saltem „honoris habuerunt ---. Nicæna synodus laudabilem, & an„tiquam traditionem confirmans hunc primatum honoris episco„po Æliæ, id est, Hierosolymitanæ civitatis, quæ ab Ælio

„Adriano Imperatore juxta veterem Jerusalem ædificata Ælia „vocata est, detulit, servatis episcopo Cæsariense metropoliti„cis juribus [1]. (*Nat. Alex.*)

1. *Quia consuetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut Æliæ episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salva Metropoli propria dignitate* (can. 7. conc. Nic.).

§. 501. Verum ob hanc eamdem *honoris consequentiam* sedes Hierosolymitana dein cum aliis in vehementem venit contentionem (ut liquet ex actis synodi Ephesinæ generalis III. ex Leonis Ep. 62. ad *Maximum Antioch.* & Sozom. L. 2. c. 24.) quam demum finivit concilium Chalcedonense, in quo jus ipsum patriarchicum consecuti sunt episcopi Hierosolymitani [1].

1. Postquam nempe *Juvenalis*, qui tum sedi Hierosolymitanæ præerat, sepositis, quibus nihil se apud synodum Chalcedonensem profecturum præviderat, contentionibus, privatim a *Maximo* Patriarcha Antiocheno precibus obtinuit, ut sponte tres Palæstinas de suo patriarchatu eidem cederet, quod Maximus ipse ad synodum retulit, illa continuo ratihabuit (*conc. Chalced. Act. VII*). Ac exin monumenta ecclesiastica episcopum Hierosolymitanum ceu Patriarcham trium Palæstinarum exhibent, quibus etiam anno 518. in concilio jam præsedit, falso itaque Willelmus Tyrius L. 14. cap. 12. scribit, patriarchicam dignitatem Jerosolymitano episcopo primum fuisse delatam in synodo quinta œcumenica (*Nat. Alex. H. E. Sec. V. Diss. 16.*)

§. 502. Metropolitæ olim ii proprie erant, qui episcopatum tenebant in provincia Metropoli, dum autem Imperatores novas subinde Metropoles constituerunt, hæ non semper ecclesiasticam quoque Metropolitani dignitatem consecutæ sunt: veluti etiam id, quod in urbe aliqua forte Reges sedem elegerint, nihil omnino ad ecclesiasticam rationem valuit: accidit contra, ut duabus provinciis in unam contractis antiquæ ecclesiasticæ Metropoles pristinum suum statum conservarent. (*Nov.* 28. *c.* 2. *Nov.* 31.)

§. 503. Quæ fuerint seculo quarto jura, & dignitas Metropolitarum, ex variis monumentis ecclesiasticis erui potest. Concilium Laodicænum can. 12. decernit *episcopos non oportere præter judicium Metropolitanorum & finitimorum episcoporum constitui.* Adde can. 4 conc. Nic. (§. 446. [1]). Capitalis est canon nonus concilii Antiocheni. *Episcopos, qui sunt in unaquaque provincia, scire oportet, episcopum, qui præest Metropoli, etiam curam suscipere totius provinciæ, eo quod in Metropolim undequaque concurrunt omnes, qui habent negotia. Unde visum est, eum quoque honore præcedere, reliquos vero episcopos nihil magni momenti aggredi sine ipso.* Canone

14. 16. 19. & 20. idem concilium Metropolitano jus tribuit convocandi concilia provincialia & canone secundo episcopis prohibet sine Metropolitani licentia ob qualecunque negotium ad aulam Imperatoris proficisci, cui similis est canon vigesimus octavus concilii Carthaginensis, III. *Episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ sedis episcopo suæ cujusque provinciæ, ut ab eo præcipue sumere possint formatam.* (En! legem residentiæ) [1]

1. Ex his, aliisque monumentis satis constat, hæc fuisse jam seculo quarto Metropolitanorum jura: primo, episcopos suffraganeos ordinare, & confirmare: secundo, concilia provincialia convocare, iisque præsidere: tertio, visitare omnes provinciarum suarum ecclesias: quarto, episcopos sibi subjectos judicare in synodo provinciali: quinto, clericorum inferiorum causas cognoscere, si ab episcoporum suorum judiciis adpellarent: sexto, litteras formatas concedere suffraganeis extra provinciam pergentibus: septimo, promulgare tam statuta canonum, tam leges Imperatorum ad commune ecclesiarum bonum conditas: demum octavo, novos erigere in concilio provinciali episcopatus de consensu ejus ad cujus diœcesim pertinebat ecclesia, in qua erigendus erat novus episcopatus.

§. 504. Frequentibus decretis seculo quarto vetitum fuit, ne in agris, villulis, aut modicis urbibus episcopi constituerentur (*con. Loadic. can.* 57. *Sardic. can.* 6. *Carthag. can.* 5). Pagorum ecclesias *chorepiscopi* regebant ita dicti, quia erant quasi ruris episcopi [1], quorum nomen, & officium jam a tempore concilii Laodiceni notum fuit, cumque in finem est institutum, ut clericis ruri existentibus, ecclesias rurales visitarent, deque omnibus ad episcopos urbis referrent. Nullum de cetero alicujus momenti negotium inconsulto episcopo aggredi illis licuit, quoniam vero brevi suas functiones inconssultis episcopis peragere cœperant (ut liquet ex Epist. Basilii ad chorepiscopos data) & æqualem sibi cum ipsis arrogabant potestatem, initio quidem potestas illorum arctioribus circumscripta limitibus, at cum hoc remedium experientia teste minus fuerit efficax, ordinatione illorum omnino interdictum est, ut seculo 11. nomen eorum ubique absoleverit.

1. Non erant veri episcopi, sed tamen ordines minores conferre poterant. Legitur quidem can. 8. conc. Nic. eos majores quoque contulisse ordines: verum animadvertendum est, aliquos eorum charactere episcopali fuisse insignitos, ut ii, qui hæresim ejurarunt, eorumque sedes ab alio authoritate legitima interim occupata fuit. ejusmodi enim in oppidis, & vicis officium presbyteri obtinuere, & de his laudatus conc. Nic. canon loquitur, similiter & can. 10 conc. Antioch. & can. 13. conc. Ancyr. ceteri autem, etsi nomen chorepiscopi gerebant, simplices erant presbyteri.

§. 505. Seculo quarto, & sequentibus episcoporum electiones communibus cleri, & populi suffragiis fiebant [1], præcipuam tamen in hoc negotio partem habebat Metropolitanus cum episcopis comprovincialibus [2]. Sed Imperatorum quoque in electionibus episcoporum jam inde a seculo quarto magna fuit authoritas [3].

1. *Nullus invitis detur episcopus, cleri, plebis, & ordinis consensus, ac deside-*

rium requiratur. (Cœlestinus I. Ep. 2.) *Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus, & plebis, qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur* (Leo Ep. 89.) E clero ecclesiæ vacantis eligendus erat episcopus.

2. *Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in provincia, episcopis constitui. Si autem hoc difficile fuerit aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in id ipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur* (can. 4. conc. Nic.)

3. Ita *Nectarius* a Theodosio Imp. episcopus Constantinopolitanus est designatus teste Sozomeno L. I. H. E. cap. 8. Idem Imperator episcopatum urbis regiæ S. Gregorio Nazianzeno his contulit verbis: *Deus tibi, tuisque sudoribus per me ecclesiam committit. En sacram ædem, & thronum tibi trado.* In electione S. Ambrosii Valentiniani intercessit authoritas teste Theodoreto T. 4. C. 6. Post Nectarii obitum episcopum ab Arcadio Imperatore plebs Constantinopolitana postulavit, ut testatur Palladius in vita Chrysostomi, & Imperatorem confirmasse electionem Chrysostomi Sozomenus scribit.

§. 506. Seculo quinto noti jam fuerant *coadjutores*, etsi can. 8. conc. Nic. vetet ne in una urbe duo sint episcopi, nam *Valerius* Hipponensis episcopus senio, & morbo confectus in coadjutorem *Augustinum* ordinari voluit episcopum. Imo jam seculo tertio *Narcissus* Hierosolymitanus episcopus annum agens centesimum, & amplius *Alexandrum* coadjutorem sibi assumpsit consentientibus vicinarum ecclesiarum episcopis. Inveniuntur quoque vestigia episcoporum *in partibus infidelium* a tempore synodi Quinisextæ, in qua statuitur, ut episcopi, quorum ecclesiæ in potestatem Sarracenorum venerant, honorem episcopalem, & sedis suæ titulum retinere valeant.

§. 507. Obligationem residendi hujus epochæ episcopi noverant. Conc. Sardic. can. 14. prohibuit, ne episcopi ultra tres hebdomadas a suis ecclesiis abessent, & S. Augustinus absentiam episcoporum ab ecclesiis suis nulla ratione excusari posse existimavit, quam necessaria servitute, seu utilitatis ipsius ecclesiæ gratia. Episcoporum translationes vetitæ erant, nisi ecclesiæ authoritate, & ad majus bonum fierent. Cognitio, num majus bonum ex translatione oriatur? synodo provinciali competebat. Episcoporum cessiones, seu resignationes permittebat illorum temporum disciplina, si gravibus de causis fieret [1].

1. Sic *Martyrius* Antiochenus episcopus ob cleri inobedientiam, populique rebellionem, ac pravos mores Antiochenum episcopatum dimisit (*Theodorus lector L. 1.*) *S. Gregorius Naz.* Sasimos reliquit ob loci intemperiem, ac paupertatem.

§. 508. Seculo sexto, & septimo electio Romani Pontificis ita peragebatur: mortuo Papa ad Exarchum Ravenæ nuntius mittebatur, post indictum triduum jejunium, & publicas preces eligebatur Papa convenientibus clericis optimatum, & populi votis. De electione mox referebatur etiam ad Imperatorem, a quo pete-

batur electionis *confirmatio* [1]. Eligebatur autem ex presbyterorum, vel diaconorum, non episcoporum ordine, quod ante *Formosum* factum non legimus. Tum ante tum post ordinationem nec electus Papa professionem fidei emisit. (*ex Lib. diurno R. P.*)

1. Ait quidem *Nat. Alexander* hanc consuetudinem *vim* potius, quam *legitimam* disciplinam invexisse, verum non ita scripsisset, si ad *jus dandi exclusivam* in electionibus Prælatorum Imperantibus competens adtendisset.

CAPUT OCTAVUM

DE

MONACHIS.

§. 509. Originem anachoretarum, seu eremitarum in præcedenti epocha deduximus ex persecutione Deciana, cujus metu multi se ad solitudinem receperunt, nec amplius, ea etiam sedata, e suis cellulis redierunt. Vita hæc brevi ita propagata est, ut sub finem seculi quarti in sola Ægypto ultra 76000 numerarentur, iis non computatis, quorum calculum non habemus [1]. S. Athanasii opera anno 341. Romæ vita monastica innotuit eo quidem maxime, quod vitam Antonii tum quidem adhuc viventis a se conscriptam Romam adtulisset; antehac enim Romæ vita monastica tanquam nova contemptui fuerat, hancque matronæ Romanæ penitus ignorabant. *Marcella* omnium prima eam arripuit.

1. Medio seculo quinto tanta fuit monachorum in Capraria, & Lirino, seu Lerina insulis multitudo, ut illustrium quoque poetarum illius ævi describantur carminibus; nam de *Capraria* insula maris Tyrrheni legitur apud *Rutilium Numatianum*, qui floruit Honorii Aug. imperante, scripsitque ubera vena ingenii duos *itinerarii* libros ad Venerium Rufum:

Processu pelagi jam se Capraria tollit
    Squallet lucifugis insula plena viris
Ipsi se monachos grajo cognomine dicunt,
    Quod soli nullo vivere teste volunt.
Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur,
    Quisquam sponte miser, ne miser esse queat.
Quænam perversi rabies tam stulta cerebri
    Dum mala formides, nec bona posse pati?
Sive suas repetunt ex fato ergastula pœnas
    Tristia seu nigro viscera felle tument,
Sic nimiæ bilis morbum assignavit Homerus
    Bellerophontæis sollicitudinibus.

§. 510. Seculo quarto vitam monasticam maxime promovebat *Pachomius*, qui aliquot millibus monachorum præfuit, ejusque soror, quæ ad exemplum fratris moniales regebat; nam ante Pacho-

mium nulla erat hominum vitam hanc amplectentium *consociatio*, atque *communitas*, sed dispersi vivebant. Primus Pachomius in Thebiade Ægypti ædificanda curavit monasteria, hic ergo discipulos suos a vita solitaria ad communem reduxit, & in una domo, attamen in desertis, unius imperio parerent, inde *Cœnobitæ* dicti sunt. Quod Pachomius incepit, postea Basilius promovit, qui suis cœnobitis non solum regulam peculiarem præscripsit, sed etiam primus fuit, qui eos ex locis desertis in hominum societatem ad vicos, & urbes traduxit. Eodem seculo quarto etiam in regionibus occidentalibus non tantum Romæ opera S. Athanasii, uti dictum, sed etiam in Gallia innotuit, ubi primum monasterium, seu cœnobium extruxit S. *Martinus*, quo quam maxime etiam pertinet *Cassianus*, qui orientalium disciplinis adprime imbutus, innumeros in Gallia monachos ipse rexit, ac propagavit. At jam seculo quinto tanta monachorum multitudo varios excitandos tumultus ecclesiæ sat noxia evasit [1].

1. *Los conventos se multiplicaron en el siglo V por todas partes; pero los votos religiosos que eran un establecimiento humano se apartaron del objeto que habian tenido en su feliz principio. Los monges se metieron en intrigas, se mezclaron en cosas de la iglesia, aspiraron por vanidad á dignidades; quisieron eximirse de la potestad episcopal, se dieron á disputas teológicas, y defendieron con calor sus opiniones, y se les vió de tropel mover alborotos en las ciudades de su residencia y en otras, é introducir el desórden en los concilios. Fueron tan frecuentes los desórdenes que el Emperador Marciano, entre otras providencias de disciplina, tuvo por necesario mandar que no se edificasen conventos sin licencia del Obispo, y que los frailes de las ciudades y de los despoblados quedasen sujetos al Obispo del distrito. El indecoroso alboroto de los monges de Palestina contra el Patriarca de Jerusalen y los demas Obispos confinantes prueba la necesidad de este mandato. (Ducreux.)*

§. 511. Hactenus monachi nondum certis ordinibus distincti, nec ab authoribus suis, ut hodie fit, sunt denominati, nomina enim sua vel a locis, quæ incolebant, sortiti sunt, vel alioquin diversis vivendi modis distingui consueverunt. Post ducentos, quibus jam vita monastica floruit, annos tempore Justiniani Imp. circa annum 530. surrexit *S. Benedictus*, qui novam vitæ monasticæ epocham tribuit. Cum enim per triennium cum unico socio nomine *Romano* in spelunca solitariam vitam ageret, adscitis fratribus *Mauro*, & *Placido* ad Cassinum montem Romam inter, & Neapolim situm se transtulit, monasterioque a se ibi condito regulam novam præscripsit, non quidem ea intentione, ut novum quemdam, & ante insolitum ordinem monachorum conderet, sed ut cœnobitarum genus monachorum tunc fortissimum disponeret, neque Benedictus hanc regulam universalem esse voluit, sed peculiarem tantum cœnobio Cassinensi, cui præerat; verum ab eo tempore per secula subsequentia ejus institutum per omnes occidentis partes propagatum adeo inclaruit, ut aliæ regulæ monasticæ, quæ in occidente viguerunt, successive exoleverint.

§. 512. In exordio suæ regulæ Benedictus quatuor monachorum genera enumerat; *cœnobitarum*, qui in congregatione sub Abbate vivunt, Anachoretarum seu *Eremitarum*, qui postquam in congregatione longo tempore fuissent exercitati, in solitudinem recedebant. Alia duo monachorum genera perversi erant homines *Sarabaitæ*, qui bini, aut terni arbitrio suo vivebant, & nullam sequebantur regulam, & *Gyrovagi*, seu vagabundi, qui semper de uno monasterio in aliud divertentes, gulæ illecebras, & voluptates quærebant. Hi ultimi omnium erant deterrimi.

§. 513. Monachi Benedicti omnes erant laici, & nullum adparet indicium, Benedictum aliquo ordine clericali fuisse initiatum. Regula ipsius præscribit modum recitandi *divinum officium*, *laborem manuum* [1], & *alimenta* [2], de vestitu vero monachorum Abbatis erat decernere pro diversitate climatis calidi, aut frigidi [3].

1. Singulis diebus per totum annum septem horæ labori manuum destinatæ erant, quæ pro diversitate annui temporis ita determinabantur, ut tempore hyemali septem horis, sine interruptione ab octava matutina usque ad tertiam pomeridianam, tempore æstivo vero a sexta ad decimam, & tribus horis vespertinis laborandum fuerit.

2. Existimabat Benedictus, se magna usum conniventia cum monachis parum vini, ac duos ultra panem cibos concessisset, nec eos ad jejunium integri anni obligasset, & Gregorius papa eodem vivens seculo ejus regulam *discretione præcipuam* vocabat. Inde colligitur, quantus fuerit rigor seculis Benedictum præcedentibus inter monachos, cum suam regulam ceu perfectionis exemplar non proposuerit, sed tantum velut exiguum initium a perfectione præcedentium seculorum longe remotum. (Reg. Bened. proleg. & cap. ult.)

3. „Credimus, inquit Benedictus Reg. C. 55, in regionibus temperatis sufficere, cucullum, & tunicam, cucullum in hyeme villosum, in æstate purum, „aut vetustum, & scapulare propter labores." Hoc vestitu a longo jam tempore observante Fleury pauperes incedebant, & ruricolæ. Itaque Benedictus nec colorem, nec longitudinem vestitus præscripsit, quam haud dubie ejusmodi esse oportebat, ut commode laborare possent. Scapulare latius erat, ac brevius quam hodie, quod dum a labore cessabant, deponebant.

§. 514. De novitiorum susceptione ita statuebat Benedictus (Reg. C. 58.), ut nonnisi rigide probati ad monasterium admittantur. Adveniens per quatuor, aut quinque dies portam monasterii pulsans non audiebatur, & tam difficilis ei reddebatur ingressus, ut etiam injurias pati cogeretur. Si susceptus per annum perseverasset, professionem in oratorio coram tota congregatione emittebat, & nihil aliud promittebat, quam stabilitatem, conversionem morum, & obedientiam [1].

1. Liquet inde, veteres monachos de sensu, definitione, explicatione votorum non ita fuisse sollicitos, ac scriptores ascetæ erant.

§. 515. Interea in variis ecclesiis coaluerunt clericorum communitates, qui vitæ monasticæ æmulam ducebant. *Eusebius Vercellensis* est episcopus primus, quem inveniamus, clericos suos ad hanc vivendi rationem induxisse. Hujus exemplum secutus est Augustinus, ut ex ejusdem duobus de vita communi sermonibus videre est [1]. Clerici secundum Augustini institutum communem, & quasi monasticam vitam agentes, vocati fuerant *canonici.*

1. Decipiuntur ii, qui contendunt, Augustinum fuisse monachum, aut habitu monastico, ut nunc pingi solet, usum fuisse, neque enim cucullatus erat, neque discalceatus, sed iisdem quibus vulgo in Africa uti solebant clerici, indutus erat vestibus, uti patet ex ipsius sermone quinquagesimo *de diversis*, in quo hæc habet: *qualem vestem potest habere presbyter, qualem potest habere decenter diaconus, & subdiaconus, talem volo accipere, quia in commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo, ut quando non potest esse vestis communis, pretium vestis sit commune.*

§. 516. Augustini institutum extra Africam parum vigebat, at circa medium seculi septimi *Chrodegangus* Metensis episcopus ecclesiæ suæ clerum ad vitam communem induxit, & ipsis regulam dedit, quæ postea jussu Ludovici Pii in concilio Aquisgranensi probata ab omnibus canonicis recepta fuit, sicut regula S. Benedicti ab omnibus monachis. Ecce! duo religiosorum genera unum *clericorum*, *laicorum* alterum, quales maxima ex parte erant monachi. Canonicorum institutum Chrodegangi sequentium congregationes, seu collegia *capitula* adpellabantur, occasionem præbentibus institutis monasticis, quæ Chrodegangi regula imitabatur [1].

1. Nam monachi singulis diebus ad audiendum aliquod capitulum regulæ Benedictinæ certo in loco conveniebant, qui locus *capitulum* dicebatur. Inde autem invaluit, ut & cœtus canonicorum, quibus certis diebus simili ex causa conveniendum erat, *capitulum* vocaretur.

§. 517. Illud demum hic loci notandum, seculo sexto potuisse parentes devovere filios suos vitæ monasticæ ante annos pubertatis, quorum votum exsolvere tenebantur, nec vitæ monasticæ jugum excutere poterant, ubi adultam ætatem attigissent [1]. Consuetudo omnimode reprobanda, quæ parentes tyranos suarum prolium efficere apta est, id quod revelationi æque, ac juri naturali adversatur.

1. Hujus rei testimonium legere est apud Bedam in H. E. gentis Anglorum cap. 24., nimirum Regem *Oswi* filiam suam, quæ vix primum ætatis annum excesserat, perpetuæ virginitati, monasticæ vitæ devovisse: „Vovit, si victor „existeret, filiam suam Domino sacra virginitate dicandam offerre, simulque „duodecim possessiones prædiorum ad construenda monasteria donare &c. Pro „collata victoria gratias referens dedit filiam suam *Elfledam*, quæ vix dum „unius anni ætatem impleverat, perpetua ei virginitate consecrandam —— „—. Intrabit filia Deo dicanda monasterium."

Finis Tomi primi.

INDEX

ALPHABETICUS NOMINUM

ET

RERUM PRÆCIPUARUM.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

M

N

Pag.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

V.

W.

X.

Z.





MEINER
HISTORIA
ECCLESIASTIC

1


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm